This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LO 10.277

HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

P. OVIDII NASONIS HEROIDES,

IN LITERARUM STUDIOSAE JUVENTUTIS USUM,

CUM VARIORUM ET SUIS

ADNOTATIONIBUS

EDIDIT

W. TERPSTRA,

Gymnasii Erasmiani Rector.

INDICES ADJECIT

J. TERPSTRA,

Ejusdem Gymnasii Praeceptor.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

Academiae Typographos.

MDCCCXXIX.

Lo 10.272

1861, Nov. 15.
$ 2.47
Gray Fund.

1975
44-65
13

JANO DIDERICO

FILIO CARISSIMO

S. P. D.

W. TERPSTRA.

Cum fratri Tuo, Jacobo, in publicum mei in Illum amoris testimonium, Manuductionem ad Graecas Latinasque Literas in Scholis Latinis docendum vernacule conscriptam nuper dedicassem: et Te quanto amore ego complecterer, hac Ovidii Heroidum editione Tibi inscribenda, palam facere apud animum constitui.

Nec tamen sola pietas in causa fuit, quare, ut antea Manuductionem Fratri, ita nunc Heroidum Interpretationem Tibi dedicandam censerem, sed Tuum etiam, earumdem Literarum, quibus ego incredibiliter delector, studium maximum, quod mihi, et dum mea disciplina utereris, probasti, et etiamnum Lugduni Batavorum S. S. Theologiae vacans probare pergis.

Rectissime enim Tibi persuasisti, ad S. S. Ministerii munere rite in aliorum utilitatem fungendum non parum proficere veterum Literarum Doctrinarumque cognitionem, qua ad perspicue, suaviter ac graviter dicendum nemo iisdem, quibus Tu, studiis deditus, sine suo et aliorum damno carere posse et mea fert sententia.

Quod si itaque studiorum communium amor tantum valet, ut ignotos etiam, quos nunquam vidimus, diligamus; quo tandem animo me in Te esse putas, quem, quae Praeceptorem inter et Discipulum intercedit, necessitudo mihi conciliavit, atque, quod maximum est, Natura tam indissolubili copulavit sanguinis vinculo, quod nulla solvat aeternitas? Qui paternus in Liberos amor cum tantus sit, ut, materno excepto, ne cogitari quidem major possit, facile intelligis, mi Fili! quam supplex ego Deum O. M. saepissime precatus sim, ut animum Tibi daret Ipsius amantissimum, veri, boni, ac pulcri studiosum, in Parentes gratum ac vere pium. Qualem cum Te semper praestiteris, nemini, credo, patri mirum videatur, hanc me arripuisse occasionem, ut maximam, qua pater et per Te fruor, felicitatem testatam facerem. Quae scribens non equidem metuebam, ne mea Tuae laudis praedicatione spiritus sumeres, quos homine, qui, quibus gaudet ingenii animique dotibus, Deo acceptas refert, indignos semper judicaveris, illud Agamemnonis saepe laudans

Εἰ μάλα καρτερός ἐσσι, θεὸς πού σοι τὸγ' ἔδωκεν.

At verum vitae Tuae ex Religionis ac rationis praeceptis bene actae praeconium a Patre profectum apud Te id effecturum certo sciebam, ut in virtutem artesque bonas magis magisque, si fieri possit, incumbas, quibus Dei consilio, quo Tibi vitam largitus est, melius etiam respondeas, Patriae

ac Civibus quam utilissimus fias, Tibique Ipse senectutem (ad quam, spero, pervenias) praeparas, quae, ut ait Tullius, vitae bene actae conscientiâ, multorumque benefactorum memoriâ quam jucundissima sit, ac mortem imminentem aequissimo animo exspectet.

Quod ad has Heroidum interpretationes publici juris faciendi consilium attinet. Est hoc non nunc demum initum, sed, cum Z. Bommeliensi scholae praeëram, jam a me captum. Exsequi autem illud tum temporis non potui, quia Typographum invenirem nullum, qui Interpretationes solas, non addito, quem dicunt, textu, typis excudere vellet. Recens enim tunc Lennepii, Professoris apud Amstelodamenses Clarissimi, Epistolarum Ovidii editio erat, neque justam videbam causam, quare Ovidiani carminis contextus addendus esset, cum Lennepiana editio parvo parari posset, atque ita Interpretationum fasciculi pretium temere augeretur. Quatuor ergo priorum Epistolarum, quam scriptis jam mandaveram, interpretationem seposui, edendi consilio abjecto.

Accidit autem, postquam Gymnasio, quod ab Erasmo nomen habet, praeësse coepissem, ut cum amicissimo H. W. Tydeman, V. Cl., de hocce meo inrito conatu, non mea sed Literarum studiosae juventutis gratia, conquererer, quae, cum optimae, quae Ovidianas Epistolas explicant, Virorum Doctorum editiones, in dies rariores fierent et cario-

res, quam ut in omnium juvenum manibus esse possent, non haberet, quo confugeret, si quando vel de verborum significatione, vel de totius sententiae sensu dubitaret.

Pro maximo, quo Vir Cl. est, Literarum promovendarum studio mihi persuadebat, ut derelictum opus denuo adgrederer, non dubitans, quin Luchtmansii, Viri honestissimi, suis sumtibus, quod alii Typographi noluissent, libenter facerent. Suam itaque mihi pollicitus operam dictos Viros adiit, nec tamen voluntati meae respondit eventus. Heroidum enim interpretationum editionem libenter quidem in se suscipere velle dixerunt, modo textui Ovidiano subjicerentur. Tandem ergo necessitati parendum ratus mox subsecivas horas, quas paucissimas mihi esse nosti, in conquirendis Virorum Doctorum interpretationibus, et meis perscribendis consumsi. Qua re cum occuparer, convenire mihi licuit clarissimum M. Tydeman, Virum mea laude longe superiorem, qui simulac ex me cognoverat me in Ovidianis Epistolis enucleandis versari, ultro, qua solebat V. Cl. humanitate, Oudendorpii et Saxi V. V. Cl. ineditas in Heroides scholas obtulit, quibus pro meo arbitratu uterer. Oblatas me perlibenter accepisse, Ipse intelligis. Quamvis autem illas nunquam inspexissem, tamen, auditis horum Virorum nominibus, quantum utilitatis inde in Literarum amantem juventutem esset redundaturum, facile augurabar. Sax-

um vero in sex tantum priores Epistolas habuisse scholas cum vidissem, valde dolebam, eoque magis, quo penitius harum perspexeram praestantiam, quae non verba tantum explicarent, sed Poëtae ipsius animum aperirent, et quantum Ovidius humanam naturam cognitam habuisset, luce clarius ostenderent. Ex Saxianis ergo scholis plurima, quantum potui, descripsi, ne Literarum studiosi, maximo suo damno, illis carerent, quae quidem Viri Cl. adnotationes, quod meas ad quatuor priores literas jam perscripseram, in hisce secundum, in reliquis primum obtinuerunt locum; quod equidem non tanti putabam, ut iterum eas describerem ordinemque commutarem; praesertim cum ea mutatio magno cum temporis, cujus me scis esse parcissimum, dispendio conjuncta fuisset.

Jam vero in eo eram, ut perscriptum adnotationum exemplum typis excudendum traderem, cum ecce! J. Geel V. Cl., cui meum Heroidum edendarum consilium innotuerat, pro ea, qua est humanitate, pro eoque, quo claret, Literarum studio, Loersii Adnotationis in P. Ovidii Nasonis Heroidas specimen ultro mihi donum mitteret, quod, quantum mihi placeret meumque consilium pateretur, ad Juventutis adhiberem commodum. Et huic de Tuis Aequalibus bene merendi occasioni, amicissime mihi oblatae, me non defuisse, inde descriptae adnotationes testantur.

Maximo quidem cum dolore frustra adhucdum

Drakenborchii et Ruhnkenii VV. Cl. in Heroides Notas et Dictata in Auditorum utilitatem confecta, necdum edita quaerebam, donec beneficio Collegae amicissimi, P. H. A. Zillesen V. D., cum jam prela exercebantur, Ruhnkenii Dictata habere mihi licuit, quae, quamvis non integra, tamen, ut potui, in meos usus converti.

Nec diu post Senis Reverendissimi Literarumque amantissimi, W. C. Ackersdyck, humanitas et de me bene merendi voluntas effecerunt, ne in Heroidibus adornandis Arnoldi Drakenborchii in hoc Ovidii opus notis atque adnotationibus destituerer. Omnium vero Virorum, mi Jane! quos supra laudavi, Scholas ita ad Ovidianarum Epistolarum interpretationem adhibui, ut ex singulis ea desumerem, quae ad rerum verborumque explicationem mihi quidem omnium maxime facere viderentur. Meam autem adnotationem, ubi, me quidem judice, opus esset, vel addidi solam, vel subjunxi, critica, nisi qua recta interpretatio postulabat, fere omissa. Saxi proöemium, quam meum praemittere malui, quo majorem auctoritatem oratio haberet. Quae quam bene fecerim, me peritiores judicent. Vale!

Scripsi Rotterodami d. 6 Decembris 1828.

CHRISTOPHORI SAXI

PROOEMIUM.

Instituti nostri ratio non patitur, ut, qualis sit poëta Ovidius, unde ortus, ubi vixerit, cur exilii fortunam subire debuerit, curiose describam; opera enim haec foret cum inutilis post Virorum Doctorum collocatam in ea re diligentiam, tum in principio Epistolarum Heroïcarum haud multum profutura. Quis enim nescit vixisse Ovidium in aula Augusti, illa ingeniorum fautrice, ibique cum Virgilio et Horatio Triumviratum velut poëtices amplificandae constituisse, gratia apud Principem valuisse, post sive errore, sive culpa iram Caesaris in se provocasse, nulla re alia nisi exsilio sedandam expiandamque, tandem Tomis, in oppido prope ostia Istri occubuisse. Plura tamen de Ejus vita scire volentibus abunde satisfaciet ipse Ovidius Trist. L. IV. El. 10. et nostra aetate Jos. Massonii,

eleganter docti hominis, vita Ovidii ordine chronologico digesta.

Verum hîc multo majora se mihi offerunt dicenda, nostroque argumento propiora, quae in universum prius me monere oportet, quam ad interpretationem carminum pedem promoveam. Omnia quippe hic occupat ingenium; hac facultate censeri vult divinus Poëta, hàc aestimari liber ejus spiritus et indoles carminum debet; non enim is erat Poëta, qui legem Pediam (1) novit, verbaque probabiliter adligat rythmi et mensurae vinculis, sed qui inventionis laude floret, resque numquam gestas, ut gestas, sic ad fidem temporum canit et hominum mores verisimiliter ita depingit, ut aut fieri potuisse hoc pacto, aut oportuisse lectoribus persuadeat: quam finitionem cum sumo, facile, quam difficulter aliquis sibi nomen poëtae vindicare possit, intelligetur. Dico artem inveniendi praecipuam esse poëtae dotem, quae non in eo sita est, ut omnia pro arbitrio fingat, ut neque pes, neque caput uni reddatur formae; alioquin in eum caderet, quod ait Horatius de poëtastro Ep. ad Pis. vs. 30, sed ut princeps argumentum, vel fictum, vel e populari rumore sumtum, vel antiquitate dubium ingeniose legat; unde tamen haud sequitur, ut fides poëtarum in argumento historico vim nul-

(1) V. Sueton. in Caes. c. 88, in Nerone c. 3. T.

lam habeat, quasi eorum sit semper mentiri.

Scio equidem, nihil frequentius hodie more hominum circumferri, quam Horatianum illud

. . . . . » Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas."

Sed nesciunt forte imperitum hunc vulgi sermonem, quo suos carminum naevos purgare tum solebant versificatores, ideo ab Horatio induci, non ut illi suffragaretur, sed ut vanum et ineptum satyrico sale perfricaret: proinde statim subjungit. » Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim" Verecunde sane. Quasi agnosceret etiam in *suis* carminibus aliquid, quod tollere velles; verum illico *addit* arietem, quo tota illa falsi judicii arx subvertebatur » sed non, inquiens, ut placidis coëant immitia, non ut serpentes avibus geminentur, tigribus agni." Unde ratione concludimus primarium quidem actionis genus, in quo describendo occupatur carmen, posse aut nullo aut incerto auctore sumi, sed cetera omnia argumentis ex Historia sive vera sive fabulari, e Geographia, aliisque id genus artibus petitis, naturae, hominum, populorum, temporum caussas imitari oportere. Quae generatim diximus, clarius manifestiusque exemplorum inductione apparebunt. Sumamus Homerum Virgiliumque, quibus deinde ad latus ponere Nostrum juvabit. Apud Homerum ergo in Iliade (ut hoc

tantum utamur) caput Epici carminis est ira et furor Achillis, praemio victoriae suo, videlicet Briseide, fraudati, unde jurgia et rixae inter Proceres Graecorum oriebantur, quae expugnationis Trojanae successum vehementer remorabantur. Hujus argumenti principis, scil. indignationis Achilleae sumtio, utut vana, saltem nullis Annalium monumentis firmata, eam tamen vim non habet, ut credi possit reliqua carminis huic fabulae similia fuisse, immo aliunde constat verissima esse, quae de moribus Gentis Graecae et Trojanae, de sacrorum ritibus, de Ducum bellicorum nominibus et virtute, de armorum genere, de navium numero, de regionum locorumque situ et habitu docte inspersit.

Similis ratio in Virgilii Aeneïde spectatur, cujus summa est profectio Aeneae in Italiam, partim oraculorum et fati lege instituta, partim ex pietate erga parentem suum Anchisen, partim e cura Deorum Penatium nata, cujus rei memoria etsi non fabulosa, Virgilii tamen aetate adeo obliterata fuit, ut a nonnullis, licet perperam, in dubium vocaretur. Ponamus vero numquam contigisse illum adventum, adeoque fictam quibusdam et nunc et olim hanc coloniam videri potuisse; num propterea bellum Trojanum, cujus historiam Poëta perquam nobili Episodio, Lib. II, persequitur; num regionum litora, quae classe sua legit Heros; num reges, apud

quos in itinere deverterat Aeneas; num res Romanorum, quas veluti in tabula depinxit Lib. VI; num mille aliae rerum, hominum, oppidorum imagines in cerebro Virgilii natae et incorruptis monumentorum testibus destitutae videbuntur? Nihil profecto minus.

Ipsas si intuemur Epistolas Heroïdum, quis adeo credulus foret; ut opinetur, tales eo pacto epistolas a Penelope ad Ulyssem, a Briseïde ad Achillem, a Didone ad Aeneam, aliasque id genus scriptas esse. Sunt ingenii Ovidiani partus; ab hoc naturam, vim ac formam acceperunt; quia vero, ut ait Cicero de Off. L. I. c. 28, poëtae servare decorum, h. e. quid cuique conveniat, quid quemque deceat, videre debent; hinc fit, ut, licet ejusmodi literae ab Heroidibus exaratae numquam fuerint, exarari tamen atque sic scriptae earum persona dignae haberi potuerint, quoniam mores, quos Graeci ἤθη vocant, tempora, opiniones sive verae, sive vulgo creditae ad amussim respondeant, ideoque, tametsi scriptionis causam ingenium pepererit, rerum tamen et naturae sit imitatio, (quam) ita temperavit, ut ad veritatem proxime accederet. Manet ergo in eo finitimum oratori poëtam esse, ut ait Cic. de Orat. (2), quod uterque persuadet. Id vero ut efficiatur, nova et multiplici inventione sententiarum

(2) L. I. c. 16.

et verborum, quibus princeps argumentum credibile redditur, poëtae opus est. Nihil jejune, nihil exiliter dicatur, res a poëta cognita et percepta similitudinibus exemplisque non longe arcessitis, sed de medio sumtis i. e. popularibus et sponte obviis exornetur; verbo, quam laetissimis floridissimisque coloribus pingatur. Recte enim Simonides apud Plut. de gloria Athen. pag. 346. l. f. » Picturam tacitum poëma, poëma vero loquentem picturam esse" quem haud dubie secutus est Auctor Librorum Rhetoricorum ad Herenn. L. IV. c. 28. si poëma, inquiens, loquens pictura est; pictura tacitum poëma debet esse. Addatur Horat. ad Pis. vs. 361. » Ut pictura, poësis." Scilicet quod pictores lucis eminentia et umbra i. e. coloribus apte illatis praestant; id poëtae epithetis et metaphoris efficiunt, in quarum elegantia versatur tota saepe carminis dignitas et venustas, tanquam cum rebus inanimatis vitaque carentibus attributa viventium, et vicissim animatis materiae affectiones adscribuntur, uti *aquae insanae* apud hunc ipsum Ovidium Ep. I. Heroid. vs. 6. pro mari fluctibus agitato et furibundo homini simili; ita vs. 54. *luxuriat humus*, sumta metaphora ab obeso homine, qui luxu et voluptate corporis habitudinem contraxit. Sic vs. 58. *ferreus homo* pro durissimo. Ita cum *opes* tanquam viscera *dilaniantur* vs. 90, et sic in sexcentis aliis. Similiter dicitur herba *sitire et mori*, quae nimio calore flaccescens im-

brem poscit, aut levi rore spargi amat, in quibus omnibus regnat audacia felix, non profecto informanda ex misero aliquo Gradu ad Parnassum, aut nescio quibus prosodicis Lexicorum quisquiliis, sed ex ipsa Poëtarum veterum assidua lectione. Neque hic nos morabitur vana plerorumque Grammaticorum praeceptio de licentia poëtica. Utantur familiariter Priscorum, in primis Ovidii carminibus, videbunt gratam illis saepe negligentiam et liberum placuisse spiritum. Quid enim? Putabimusne numerorum vincula, quibus adstricti erant, timuisse poëtas et commisisse, ut licentius, quam dicendi consuetudo ferebat, in scribendo peccarent? Ipse certe Ovidius de se et cum eo plures alii verissime gloriari poterant

Sponte sua numeros carmen veniebat ad aptos:
Et, quod tentabam dicere, versus erat (3).

Sane qui pectus varia lectionis Antiquorum copia innutritum habet, intelligit suopte judicio alium sermonem in oratione, alium in quotidiana hominum consuetudine, alium in carminibus obtinuisse: proinde si quis ausit hodie quippiam carmine Latino, cogitet primum Latine; quod est verissimum Clerici in omni scribendi genere, quod Latine fit, praeceptum; mores populi Romani, ingenium, ritus cum sacros tum civiles teneat, histo-

(3) Trist. L. IV. El. 10. vs. 25. sq.

riae sive verae sive fabularis capita intelligat, uno verbo, omnem antiquitatem in promtu habeat.

Epistolas vero Heroidum, quas nunc in manus sumemus, quanta parte sui nectaris imbuit Venus, cum ob miram inventionis et sententiarum suavitatem, tum ob simplicem dictionis ornatum, in quibus sane Ovidius se ipse superavit, omnesque pigmentorum loculos effudit. Ipse etiam sibi temperare non potuit, quin opus suum sanequam tenerum, sollers, ingeniosum laudaret (4). Cavere tamen nos jubent Viri Docti, ne existimemus omnes epistolas ab Ovidio concinnatas esse, quoniam non omnium meminit Am. L. II. El. 18. vs. 20. sq. sed nonnullarum, quarum aliquas ad A. Sabinum, aequalem Ovidio poëtam, referunt. Utcunque vero ea existimentur, nonnullas largior forte inter Epistolas Heroïdum recenseri, quae Ovidii non sunt; alias tamen nullas equidem Sabino adscribere ausim, quam responsorias; nam tales concinnasse Sabinum ipse docet Ovid. Am. L. s. laud. vs. 27.

Ut autem hanc Epistolarum inimitabilem virtutem animo recte informemus, imitarique discamus, intueri nos oportet veras Epistolarum causas et rationes, quarum legum diligenti observatione et cura effecerunt veteres sive Oratores sive Poëtae, ut literae eorum tantopere nobis placerent.

(4) A. A. L. III. vs. 345.

Duplex est epistolarum genus, aut ut absentes de iis, quae acciderunt, certiores reddamus, aut ut sensum illis animumque nostrum aperiamus. Primum genus, utpote de medio sumtum et parabile, ingenio minime indiget, idque omnes, etiam rudes artium opifices, sellularii, mercatores suapte natura tenent; alterum vero, quo amorem, observantiam, iram, indignationem, spem, dolorem, laetitiam significamus, longe magis arduum est; in primis, si suademus aliquid aut dissuademus, ingenium profecto in quascunque argumentorum formas versatile et foecundum postulat; non enim sufficit vulgari et frigido rationis cribro nos amare illum ac diligere, nos dolere ejus casum, misereri ejus fortunae, laetari fausto ejus rerum eventu, institutum ejus vel probari nobis vel displicere, sed venusta et eleganti causarum commemoratione, propter quas amamus, dolemus, gaudemus, maxime opus est, ut credibilis ei fiat oratio nostra, ut sentiat ille magnitudinem affectionis et voluntatis nostrae, ut novitas et jucunditas dictorum valeat cum ad delectandum, tum ad persuadendum impetrandumque id quod volumus, uno verbo, ut animus legentis, eodem modo, quo scribentis, afficiatur.

Valet enim quoque Horatianum illud de tristitiae ac doloris aegritudine (5) quod in demonstratione omnium animi affectionum caput rei est. Un-

(5) Ad Pis. vs. 101. sq.

de luce meridiana clarius apparet non communia esse dicenda, sed propria personis et temporibus, nova et jucunda pro cujuslibet argumenti modulo et ratione. Quae cum ita sint, ut sunt sane verissima, quis ausit negare, omnes has, quas enumeravimus, quasque scire omnium interest, qui illotis manibus ad Poëtam nostrum accedere nolint, virtutes carminis et particulatim Epistolarum dotes in nullum ferme alium ex tota antiquitate poëtam, quam in hunc nostrum convenire et cadere.

P. OVIDII NASONIS

HEROIDES.

EPISTOLA I.

PENELOPE ULIXI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Inter bella, quae Heroïca Graeciae vidit aetas, Trojano bello nullum fuit clarius. Ad unam enim urbem, Trojam, obsidendam tota confluxit Graecia, ut injuriam vindicaret, quam Menelao, Spartae Regi, intulerat Paris, Priami, Trojani Regis, filius. Hic nempe, patre non invito, Spartam contenderat, ut Hesionen, amitam, Laomedontis Regis filiam, quam Hercules, vastata Troja, Telamoni, Graeco duci, conjugem dederat, repeteret. Quod autem petiit, consecutus non est.

§. 2. Nec tamen hospitalitatis jura neglexit Menelaus, qui benigne et humaniter Paridem hospitem excepit. Par autem pari non retulit Priami filius. Cum enim negotiorum causa Menelao iter in Cretam esset necessarium, ea opportunitate usus est, ut Menelai uxorem, Helenam, Ledae et Jovis filiam, sibi conciliatam classe Trojam abduceret. Quod quidem facinus, quamvis scelestum, hospitalitatique contrarium non reprobavit Pater, sperans, fore, ut ita Hesione soror, cum Helena permutaretur.

§. 3. Habuit tamen Paris, qua culpam tegeret, speciosam causam, Veneris Deae scilicet voluntatem. Acciderat enim, cum in Ida monte pastorem ageret Paris, (quo eum pucrum pastoribus educandum miserat mater Hecuba, ne patris jussu interficeretur, cui ac toti patriae facem aliquando fore ipsa somniaverat) acciderat, inquam, ut in Thetidis, Nereï ex Doride filiae et Peleï, Aeäci ex Endeïde filii, Thessaliae regis, nuptiis, ad quas praeter Jovem Juno, Pallas et Venus invita-

tae erant, inter hasce Deas lis de pulcritudine oriretur, cui ad nuptias non vocata Eris, invidiâ mota, dederat causam fatali in medium projiciendo pomo, cui inscriptum erat «detur pulcriori."

§. 4. Hoc inter Deas certamen cum dirimere ne Jupiter quidem posset, iis persuasit, ut Paridem, optimum pulcritudinis spectatorem, sibi sumerent arbitrum. Arcessitus venit Paris, qui, neglecta potestate, quam ipsi promittebat Juno, neglecta sapientia, quam daturam sese affirmabat Pallas, Venerem, quippe quae pulcerrimam pollicita erat uxorem, pulcerrimam judicavit. Haec itaque a Venere Paridi destinata formâ praestantissima femina erat Helena, quam a Dea promissam ac debitam quis mortalium ipsi negabit?

§. 5. Hesiones vero cum Helena permutationis spes Priamum fefellit. Agamemnone enim, Menelai fratre, potentissimo Argivo Rege, signum tollente ad ipsum concurrerunt Graeci cum gente sua Principes, qui illius auspicio classe ad Trojam venere, quam urbem decem annos obsessam arte ac fraudibus cepere tandem Graeci. Hos inter duces calliditate et consiliis eminebat Ulysses Ithacae, aliarumque vicinarum insularum rex, Laërtae (vel potius Sisyphi Corinthi regis) ex Anticlea filius, qui inveniendo Equi Trojani stratagemate ab Horatio Ep. L. I. Ep. 2. vs. 17. Trojae domitor recte laudatur.

§. 6. Post excisam Trojam Ulysses cum ceteris ducibus domum redeundi cepit consilium, sed tempestatibus huc illuc actus varias orbis terrarum plagas adiit. Primum in Thraciam, mox in Africam ad Lotophagos delatus est, ubi sociorum plurimos arboris Loti fructuum dulcedine captos invitus reliquit. Cum ceteris Siciliam insulam petiit, in qua Cyclopum teterrimus Polyphemus sex eorum devoravit; quam injuriam ut Ulysses ulcisceretur, unum, quem in media fronte habebat, oculum ei eruit. Quo facto ad Aeolum, Ventorum regem, Jovis e Segesta filium, in Aeoliis insulis degentem, aufugit, a quo acceptos adversos ventos utribus inclusos secum abstulit. Socii vero male curiosi hosce utres aperuerunt, quo factum, ut novis tempestatibus jactaretur Ulysses.

§. 7. In Italiae litus prope Formias ejectus Laestrigonum manu periisset, nisi servasset Circe, famosa Venefica, cujus arte in varias monstrorum formas Ulyssis socii mutati sunt, quod idem passus fuisset Ithacae Rex, nisi sapientiae symbolo, herba Moly, antea a Mercurio esset instructus. Hac Circe duce Inferos adiit, ubi a Tiresia vate, quae sibi eventura erant, didicit. Ab Italia solvens, Sirenum suavissimis cantibus neglectis, Sici-

iam rursus temuit, ubi socii, quamvis ut abstinerent praecepisset Ulysses, e sacris soli dicatis armentis, quae Phaëtusa Nympha pascebat, quosdam abduxere boves, qua re iratus sol novae tempestatis auctor fuisse dicitur, unde, fractis navibus, amissisque sociis, vix in Ogygiam insulam evasit Laërtiades.

§. 8. Ibi cum a Calypsone retineretur, Minerva, Mentae personam mentita, Telemachum, ut de patre sciscitatum Nestorem et Menelaum adeat, adhortatur, illi viae sese offerens comitem. Interea Jupiter demittit Mercurium ad Calypsonem, qui, ne Ulyssem retineat diutius, jubeat. Vix vero ab ea demissum tempestate obruit Neptunus, hac opportunitate usus, ut Polyphemi filii, ab illo excaecati, poenas sumeret. Attamen e naufragio servatur, et nudus in Phaeacum insulam, Corcyram, enatat, unde ab Alcinöo rege omnibus ad iter necessariis instructus in patriam tandem deducitur. Quo cum pervenisset, Minerva monente, Eumaeum subulcum primum adit, ex quo de familiae rerumque suarum conditione cognoscat. Quibus intellectis, subulco comite, domum suam visit, ubi Ulysses proc as, servos et ancillas, a quibus male habitus erat, praeter Phemium, cantorem, et Medontem, praeconem, mox interficit omnes. Peracta demum caede sese primum Penelopae uxori, dein Laërti Patri ostendit; cum interea Telemachus, jam ante in patriam redux, Penelopen de Ulyssis reditu certiorem fecisset.

§. 9. Fuit autem, ut Saxii verbis utar, Penelope Icarii, Spartanorum regis, e Periboea filia, mulierum Graecarum nulli, assiduitate, frugalitate, rei familiaris cura, castitate et fide erga maritum secunda. De assiduitate ejus testatur tela, quam texebat, retexebatque; unde etiam in proverbium abiit, sumtum de laboris ejus tenore et nexu, quo respicit Cic. Acad. Quaest. L. IV. c. 29.

De castitate ipsa res loquitur, proverbio etiam notata, cum Penelope apud poëtas pro quavis pudica et frugi ponatur, veluti apud Mart. L. I. Epigr. 63. vs. 6. et Penelopaëa fides pro immutabili apud Ovid. Trist. L. V. El. 14. vs. 36. Etsi vero mariti sui profectionem ad bellum Trojanum maxime gravaretur, tamen, ut solent castae et pudicae, mariti sui absentiam publicae rei et honoris causa tulit. At postquam victores Graeci laude et praemiis onusti in patriam reversi essent, nihilque de marito suo inaudiisset, ubi haereat, quorsum abierit, omnes simul animi motus feminam consilii inopem agitarunt, in variasque rapuerunt sententias, quos h. Epist. scitissime velut in tabula depinxit Poëta.

§. 10. Scilicet summa aegritudo animi et sollicitudo eam ad scribendum appulit; hac cruciata hortatur maritum, tandem aliquando redeat, cum sui, tum uxoris, tum parentis senis et Telemachi filii gratia, quae suasionem elaborantia diligenter ita instituit, ut, quin vere et ex animi sententia cupiditate uxor arderet et teneretur, dubitare nullo modo posset: incredibili enim mota amore et benevolentia erga maritum, indignatione in Trojanos et Sponsos justi mariti aemulos, pietate erga necessarios, metuque in praeceps iturae familiaris rei, ni maturaret reditum, argumentorum copiam ita coacervavit, ut plane studii sui causam omnisque morae taedium Ulyssi suo persuaderet.

HANC tua Penelope lento tibi mittit, Ulixe:
Nil mihi rescribas ut tamen; ipse veni.

Vs. 1. *Hanc.* Semel modo Ovidium hoc pronomine, subaudita *Epistola*, usum observat diligentissimus Vavassor *de vi et usu quorundam verborum*, pag. 86. Burm. De nominis *Literae* ellipsi V. Sanct. Minerv. in v. *Litera* L. IV. c. 4. pag. m. 598.

Tua. Hoc pronomen amoris affectum indicat, ut apud Ciceronem *mi Cicero*, *mea Tullia*.

Lento. Qui tardus es ad reditum, neque uxoris desiderio commoveris. Cui epitheto, ut ait Saxius V. Cl., vs. 66. recurrenti inest exprobrationis acrimonia, qua Ulyssem velut longae desidiae indormientem excitavit Penelope: valde enim morosi sunt, qui amant, vel levissima de causa irritabiles, nedum ob languorem et tarditatem, cujus impatientissimae esse solent praesertim feminae. cf. Ep. III. vs. 138. Hinc est, quod Penelope ad *longam moram* vs. 74. et *immensas moras* vs. 80. iterum iterumque revertatur.

Ulixe. Notanda est vocativi terminatio nominum in *es*, Graeco more. Ondend.

2. *Nil mihi rescribas ut tamen; ipse veni.* Sensus est: mitto ad te hanc epistolam, non eo tamen animo, ut responsoriam (epistolam subaudi) accipiam: ne rescribe, quaeso, ipse veni; vel, ut Sanctius in Minerva L. IV. c. 5. pag. 661. Moneo, vel fac ut etc. vel volo, ut nil mihi rescribas; ipse veni. « Odit verus amor, nec « patitur, moras" Seneca in Herc. Furente Act. II. Chor. vs. 588. Literae enim, inquit Saxius, non satis idoneae, neque ad leniendam resarciendamque praesentiae tuae jacturam efficaces erunt, te ipsum amplecti,

Troja jacet certe, Danaïs invisa puellis.
Vix Priamus tanti, totaque Troja, fuit.
O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat,
Obrutus insanis esset adulter aquis!

te possidere cupio, tu mihi reddas vultum, quaeso.

3. *Troja.* Hanc urbem in ea Phrygiae Minoris parte, quae mare respicit, ad Idam montem Dardani, Jovis et Electrae filii, socer Teucer condidit.

Jacet. Opponitur τῷ *stare*; de rebus inanimatis si usurpatur, significat *dirutum esse et eversum* uti hic, vel *non frequentari*: de personis vero *cum adversa fortuna luctari*, *infelicem* vel *animo dejectum*, *contemtum* vel *despectum* vel *interfectum esse*. cf. Propert. Eleg. L. I. El. 6, vs. 25. ibique Not. ex edit. Laurentii Santenii JC., Trajecti ad Rhenum 1780. Burmannus ad Ovid. Am. L. II. El. 2. vs. 30. Nepos in Thrasybulo c. 2. extr.

Certe pro *saltem*. V. Turselinus de particulis linguae Latinae c. XLIV. §. 4. in v. *certe*. Significat nempe Penelope, quaecumque morae causa sit marito, saltem Trojanae urbis jam jacentis obsidionem praetendi non posse. cf. Lennepius Vir. Clar. in Animadv. ad h. l.

Invisa. Propter absentiam vel et caedem maritorum. Quomodo „bella detestata matribus" dixit Horat. L. I. Od. 1. vs. 24. sq.

Puellis. Puellae hic sunt nuptae, sed florentes et juvenilibus annis, quae maritorum absentiam ferunt molestius. Cf. infra vs. 29, 115. Ep. II. vs. 63. Horat. Od. L. III. Od. 22. vs. 2. et L. III. Od. 14. vs. 10, 11.

Danaïs. Graecis. Danaï dicuntur a Danao Rege, qui, annis A. C. circiter 1475 ex Aegypto in Graeciam colonos duxit, et in ea regione, quae et tunc et postea Argos ab Argo, antiquo rege, vocabatur, consedit. Apud poëtas vero, Homerum imitatos, universa Graecorum gens Danaorum nomine appellatur.

4. *Tanti.* Ut tam diu absis nimirum. Heins. Egregia imago fidae uxoris erga maritum, non modo auro, sed quibuslibet divitiis totoque imperio cariorem habentis. *Vix Priamus*, inquit, *tanti fuit totaque Troja*, ut te vel paulo, nedum tam diutino tempore, carerem. Abrupta paulum oratio, nec satis nexa cum antecedentibus: sed decora tamen et conveniens indignanti dolentique, ut saepe in motibus animi, non certa admodum sede manentis. Sax.

5, 6, etc. *O utinam.* Sensus est: utinam ille adulter (Paris) qui,

Non ego deserto jacuissem frigida lecto,
Nec quererer tardos ire relicta dies:
Nec mihi, quaerenti spatiosam fallere noctem,
Lassaret viduas pendula tela manus. 10

rapta, ex Lacedaemone, Peloponnesi urbe, Helena, Trojani belli, adeoque malorum meorum causa fuit, undis *insanis*, saevientibus, in cursu submersus fuisset. V. Biblioth. Classica in v. *Helena*. Onomasticon. Poëticum Dorn Seif. in v. Gravis est et acerba detestatio in Trojanos et raptorem in primis Helenae, quae verbis apertis et male ominatis concipitur: alioqui pro sua superstitione veteres, etiamsi malum praevidèrent, tamen infaustis precationibus diligentissime parcebant, frequenter addentes, *quod omen Dii avertant, quod Dii omen obruant, Di meliora*. Sax.

6. *Classe. Classis* sumi arbitror pro quacunque navium vi ac copia, non, ut quibusdam scriptoribus placet, pro armata instructaque militibus navium multitudine, qua Hesionem amitam, quam Telamon, Ajacis pater, sive rapuerat sive ab Hercule acceperat, Paris legatus repeteret. Credibile enim non est, exceptum hospitio a Menelao, Spartae rege, Paridem futurum fuisse, si vi et armis urbem petiisset: non eam ob causam *perfidus* et *rem nefariam perpetrasse* dicitur, quod classe Spartam petiit, sed quod, vi tiata et rapta Helena, religiosum id jus hospitii violarat. Sax.

7. *Frigida*, sola, sine viro. Mire, inquit Ciofanus ad h. vs., exprimit mulieris, quae legitime virum amat, ingenium. Frigidum, inquit Sax., omne id dicitur, quod torpet, remissumque ac languidum sit. *Frigido* itaque egregie respondet *jacere*, remissionis et exanimationis index.

8. *Tardos*. Absentia tua.

Ire. Eleganti metaphora de tempore dicitur. Sic etiam Ovid. de Arte Amandi L. III. vs. 62. « Eunt anni more fluentis aquae." Plautus in Pseudolo Act. I. sc. 3. vs. 12. « It dies." cf. Schrader ad Musaeum c. 19. pag. 322.

Relicta. Uti versu antecedente simpliciter *desertus lectus* dicitur, ita et hic, poëtarum more, pro *relicta a te*. In utroque vocabulo *deseri* et *relinqui* obliqua sed modesta inest exprobratio officii et uxoris tam diu neglectae.

9. *Fallere noctem* dicitur, qui tale quid facit, quo noctis molestia non sentiatur. Sic *nox decepta* Ep. XIX. vs. 55. et Trist. L. IV. El. 10. vs. 114.

« Sic tamen absumo, decipioque diem."

Quando ego non timui graviora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

10. *Lassaret*, Solebant nempe antiquitus feminae etiam illustriores lanificio operam dare, quod pudicitiae et probitatis signum erat. V. Feith. Antiquitatum Homericarum L. IV. c. 3. §. 3. et infra vs. 77. De Lucretia Fastorum L. II. vs. 741. sq.

Manus viduas, eleganter suas dixit Penelope, quae, marito absente, tanquam vidua agebat. *Manus* autem *viduae* eodem modo dicuntur, quo *torus viduus* et hujus generis alia. Sic loquitur Ovidius more poëtarum, qui dant epitheta singulis partibus ea, quae sunt toti homini propria. Oudend.

Pendula tela, in talario. Situs enim staminum non erat horizontalis sed perpendicularis, Stabat stamen, uti patet ex Senecae Epist. 90. Ovid. Metam. L. IV. vs. 275. *Tela* autem est id quod texitur. « Stamen, inquit Gesnerus in Thesauro linguae Latinae in v., est filum fundamentale a stando dictum, quod secundum antiquam texendi rationem ad perpendiculum extendebatur" suspensis, secundum Senecam l. l., ponderibus. De texendi arte Veterum V. Schneiders in Indice ad scriptores rei rusticae pag. 382. Goguet l'origine des Lois, des arts et des sciences Vol. I. pag. 145. Edit, Paris 1820. et auct. ibi cit.

11. *Quando non?* h. e. nullo non tempore. Haec interrogatio singularem habet vim atque efficaciam, oratione affirmante majorem. cf. Am. L. III. El. 11. vs. 17.

12. *Res est solliciti* etc. Sic Cic. ad Attic. L. II. Ep. 24, « Non ignoro, quam sit amor omnis sollicitus atque anxius." Twyfelende vrees vreest alle quaden 't zamen. Hooftius in Baeto Act. III. *Solliciti* activye ponitur pro eo, qui facit sollicitos, anxios ac curarum plenos. Oudend.

13. *Fingebam*. Animo scil.

Ituros. *Ire in aliquem* pro irruere in aliquem. Eodem verbo usus est Virg. Aen. L. IX. vs. 424.

. . . . . Simul ense recluso
Ibat in Euryalum,

Venire ad dixit Phaedrus L. I, fab. 21. vs. 5.

« Aper fulmineis ad eum venit dentibus."

14. *Nomine in Hectoreo*, h. e. ad auditum Hectoris nomen pallebam, metuens, ne et ille adversus te insurgeret. Elegans est hujus praepositionis *in* usus,

Sive quis Antilochum narrabat ab Hectore victum;
  Antilochus nostri caussa timoris erat:
Sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis;
  Flebam successu posse carere dolos.
Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat hastam;
  Tlepolemi leto cura novata mea est.
Denique, quisquis erat castris jugulatus Achivis,
  Frigidius glacie pectus amantis erat.

Sic Virg. Aen. L. X. vs. 446. de Pallante « Stupet in Turno" h. e. ad conspectum Turni.

Pallida. Penelopes metum pallori colore et imagine depingit Ovidius; nam terrorem pallor sequi debet, ut pudorem rubor. Cic. Tusc. Quaest. L. IV. c. 8. Timor quippe sanguinem gelat, qui ad praecordia fugiens, et coactus gignit frigus, ut scripsit Serv. ad Aen. L. III. vs. 30. Sax.

15. *Antilochum victum*, cf. Lennep. ad h. vs. et G. J. Vossius Inst. Poët. L. I. §. 5.

17. *Menoetiaden* i. e. Patroclum, Menoetii filium, Achilli amicissimum.

Arma falsa, non sua, aliena, nempe Achillis, exponunt Interpretes. Malo *fallacia*, i. e. quae hostem fallerent: ideo enim illa induerat Patroclus, ut hostis arma haec conspiciens sibi cum Achille rem esse putaret, atque adeo deciperetur. Sic *falsam Minervam* dixit Propert. L. II. El. 7. vs. 43.

« Conjugium falsa poterat differre Minerva,
  Nocturna solvens texta diurna dolo."

Patrocli mortem habet Homerus Il. L. XVI.

18. *Flebam successu* etc. Haec generaliter quidem Patrocli casum respicere observat ad h. l. Micyllus, ita tamen, ut simul innuat Penelope se vereri, ne mariti etiam doli atque astutiae prospero successu aliquando destituantur; *Pellax* enim, i. e. per blanditias decipiens Ulysses. V. Virg. Aen. L. II. vs. 90.

19. *Tlepolemus* Herculis et Astyochiae filius Homer. L. II. in catalogo navium vs. 658. a Sarpedone, Lyciae rege, occisus est Hom. Il. L. V. vs. 628. sq. *Tepefecerat* calido cruore suo, cf. Hom. Il. L. XVI. vs. 333. et Köppen. ad h. vs. Versus initio omissa est particula *sive*, familiari poëtis more. Sax.

20. *Novare.* Renovare, instaurare. Sax.

21. *Denique*, ut paucis dicam. V. Ruhnk. ad Terent. Andr. Act. I. Sc. 1. vs. 120.

Castris Achivis intellige *in.* Achivi enim sunt Graeci, ab

Sed bene consuluit casto Deus aequus amori.
Versa est in cinerem sospite Troja viro.

Achaïa regione sic dicti; uti Achaïa pro ipsa Graecia Ep. VIII. vs. 13. *Jugulatus. Jugulare* pp. est per jugulum abigere et demittere ferrum. Sed sumitur quoque de omni ratione caedis, quae jugulo non fracto aut percusso fit. Sax.

22. *Frigidius glacie*, prae metu scil. Per hyperbolen sive veritatis superlationem, ut res, de qua sermo est, videatur major. Naturae, inquit Sax., hic ingenium depinxisse Poëtam liquet ex iis, quae dixi ad vs. 7. h. Ep. Nunc miremini Ejus eloquentiam, quae eandem rem scitissima dictionis varietate ornat et illuminat; ut enim timidam se fuisse persuaderet Ulyssi, mox a causa vs. 12 et 16, mox ab incrementis vs. 20, mox a signis internis vs. 22, mox ab externis quibusdam notis et quasi effectionibus palloris et fletus aegritudinem descripsit vs. 14, quod ad fletum vs. 18.

23. *Sed bene consuluit-amori*, i. e. *fecit aliquid boni amori. Consulere* enim tria significat. Proprie quidem *consultare, consilium quaerere*, et dein, quia frustra sit consultatio sine effectu, etiam idem quod *consilium capere;* denique et idem, quod *illud exsequi seu facere quid sibi aut aliis boni aut mali* Sunt verba Perizonii in notis ad responsionem ad L. Kusteri Diatriben de verbo *cerno*. Sanctii Minerv. L. IV, c. 15. pag. 783. Dii antiquitus videbantur ab hominum studiis alieniores esse, nisi muneribus sive votis, et sacrificiis placabiliores redderentur: tunc enim pacati *lenes, mites, volentes, propitii*, aequi evadere credebantur. Quem vero nominatim Deum sibi amicum fuisse glorietur Penelope, haud definiveris. Interim casto amori nemo respondet magis, quam Hymenaeus nuptiarum praeses et fautor. Sax.

24. *Cinerem* in singulari numero rectius quam *cineres* legi monet ad h. l. Heins., quod poëtae singulari numero uti ament; quam Heinsii observationem justis limitibus circumscribit Burm., cujus verba adponam. « Magis poëticum esse singulari uti quam plurali, tum verum est, si plus significet illo numerus, quam pluralis. Nam *in cinerem* versa Troja si dicatur, ita universa deleta intelligitur, ut omnia sint unus cinis, cum *in cineres*, si dicatur, hic et illic praecipua membra Trojae exusta et in cineres versa intelligentur." Non autem ubique hanc Burmannianam valere distinctionem putat Lennepius ad h. l. cf. Longinus de sublimitate, Gallice versus a Boilavio (Boileau)

Argolici rediere duces: altaria fumant: 25
Ponitur ad patrios barbara praeda Deos.
Grata ferunt nymphae pro salvis dona maritis:
Illi victa suis Troïa fata canunt,

c. 20. p. m. 278. Oper. tom. II. et Belgice a Matth. Siegenbeekio V. Cl. c. 23.

25. *Argolici.* Ab Argis, Argolica in Peloponneso urbe, quae interdum pro tota Graecia sumitur, unde *Argolici* Graeci. *Argolicos* autem *duces* intelligit haud dubie Menelaum, Agamemnonem, Nestorem, alios, Sax. cf. Ann. ad vs. 3. h. Ep. v. *Danais.*

Altaria fumant, disposita nempe ubique, ob felicem victorum reditum. Burm. *Fumant* odoribus et sacrificiis, quae Diis pro victoria ac salvo reditu obtulerunt. Oudend. Recte, inquit Saxius V. Cl., *altaria* non *arae*, quae proprie non fumant, sed illae ararum partes (eminentia ararum Serv. ad Virg. Ecl. II. vs. 66.) quae victimam sive τὸ ἐμπυρον continent, vel libamina ipsa. Serv. ad Virg. l. l. *Altarium* et *ararum* discrimen clare ostendit Quinct. Declam. XII. c. 26. p. 267. Edit. Burm. « Quod aris altaria h. e. victimas non imposuimus." Reversi enim domum cum laurea et laude Duces vota, quae, durante bello, conceperant nuncupaverantque, Diis solvere et reddere solebant.

26. *Ponitur.* Ponere est res consecratas sive usibus humanis exemptas cuidam Deo dedicare. Uti legere est in not. ad Nep. Pausaniam c. 1. n. 3.

Barbara praeda est praeda a peregrinis, Phrygibus eorumque sociis, devictis reportata: haec autem *ad Deos patrios*, h. e. patriae tutelares poni dicitur, quod quaedam praedae pars Numinibus consecrari solebat, tamquam grati animi testimonium; quin etiam bella gesturi de praeda aliquid Diis vovebant, in primis Jovi, qui inde *Praedator* cognominatus est, quod ei ex praeda aliquid debeatur. Servius ad Virg. Aen. L. III. vs. 229. Nec tamen soli Jovi; Hector v. g. spolia, si reportaverit arma hostilia, Phoebo suspendenda vovet apud Hom. Il. L. VII. vs. 81, cf. Virg. Aen. L. III. vs. 286. sq.

27. *Grata dona*, i. e. sacra, sacrificia, donaria, quibus gratias Diis agunt Nymphae. V. infra vs. 85. v. *Pudicis precibus.*

Nymphae Graecorum more pro *nuptis*, sponsis. V. Lucian. Dial. Mort. Dial. X. vs. 39. Heyne Observ. in Tibull. L. III. El. 1. vs. 21. Νύμφη enim, μ ante labialem literam interposito, pro νύφη est a νύφω, cum et antiquitus νύβω in usu fue-

Mirantur justique senes trepidaeque puellae:
Narrantis conjux pendet ab ore viri.
Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa,
Pingit et exiguo Pergama tota mero.

rit', unde Latinum *Nubo*, quae verba omnia significant *tegere*. Nova enim nupta a viro domum ducta, pudoris causa ei nubebat, h. e. *se obtegebat*. V. Jo. *Dan. Lennep.* in observ. ad origines ling. Graecae editis ab Everh. Scheidio Part. I. pag. 615. sq. cf. Lennep. in animadv. ad h. l.

28. *Victa fata.* Singulis quippe nationibus, civitatibus, hominibus sua fata tribuerunt veteres. Alium vero fatis vincere is dicebatur, cujus causa praevaluerat, et apud Deos quasi potior erat habita: ut huc redeat hujus loci sententia. Graeci duces reversi *canunt*, h. e. gaudent et laeti praedicant suam caussam Trojanorum causa potiorem a Diis habitam et Trojanos a se victos esse. Hinc alia fata majora, alia minora leguntur, uti observavit, qui pluribus hunc locum pertractavit, Burm., cui assentitur Harles. in Chrestomathia Latin. poët. pag. 92. Simili atque Ovidius dictione usus est Seneca de constant. Sap. c. 6. « Vicit fortuna tua fortunam meam" cf. Virg. Aen. L. XII. vs. 149. et Juven. Sat. V. vs. 133.

29. *Justique Senes.* Interpretibus Ovidianis sunt *graves*, *severi*, *religiosi*: sed nonnè senes h. l. dici possint *justi*, qui, velut aequi ac periti rerum Judices, de rebus gestis, quas narrabant Graeci reversi, cognoscerent?

Trepidaeque Puellae, h. e. quae trepidabant, horrebant narratione rerum a maritis gestarum, simul reputantes, quam parum illi a vitae periculo abfuissent, ipsaeque a viduitate.

30. *Narrantis.* Eodem modo Dido ab Aeneae Iliacos labores « Narrantis ore pendere dicitur" Aen. L. IV. vs. 79. Ubi haec notat Servius « ut eum intueretur. Et hoc loco per omnia amantis affectus exprimitur." Quae nota ad Argolicas mulieres accommodari meretur. *Haar oog en hart volgt zijnen tong* O. Z. van Haren. De Geuzen.

31. *Atque* pro *statim.* V. Tursell. de part. ling. Lat. in v. Gell. Noct. Att. L. X. c. 29. Virg. Georg. L. I. vs. 203. et ad h. v. Serv. Ut scil. narrantis alacritas significetur.

Posita mensa. Spectat Ovidius morem, qua et Graeci et Romani usi sunt, ut post coenam crateras in mensam afferrent, ex iisque in mensam, quae

Hac ibat Simoïs; hic est Sigeïa tellus;
Hic steterat Priami regia celsa senis.
Illic Aeacides, illic tendebat Ulixes: 55
Hic lacer admissos terruit Hector equos.

epulantibus pro ara erat, aliquantum vini effunderent ac libarent; uti variis poëtarum locis probatum dedit Cioſanus, in primis Tibull. Eleg. L. I. El. 10. vs. 31. Heins. ad Ovid. Am. L. I. El. 4. vs. 27. Ceterum dulcem uxoris nugacitatem et φανταστας suavitatem observavit Harles. l. cit.

32. Notentur τὰ *exiguo* et *tota*.

33. *Hac ibat*, scil. ajens. Oudend.

Simoïs Phrygiae minoris est fluvius ſama, quam natura major, (Pomp. Mela de ſitu orbis L. I. c. 18. §. 30), ex Ida monte profluens, cui Xanthus, alter fluvius, miscetur, unde a Poëta junguntur. « Simoïs et Xanthus et Ide." Exit autem in mare juxta Sigeum, Trojae promontorium, ad Scamandri fluvii oſtia, ab Herculis taciturnitate ita dictum, qui a Laömedonte, Trojae rege, hospitio prohibitus simulavit abscessum, et inde contra Trojam per silentium venit, quòd σίγη dicitur. V. Serv. ad Aen. L. II. vs. 312. Alii aliter.

35. *Aeacides tendebat*. Achilles Aeäci ex Peleo nepos tentoria posita habebat. Caesar Bell. Gall. L. VI. c. 37. « Qui sub vallo *tenderent* mercatores."

36. *Hic*. Adverbium apud poëtas semper producitur, cum pronomen fere semper corripi soleat. V. Clarke ad Iliad. L. I. vs. 51; unde intelligitur *hic* proprie *heic* adverbium, natura sua, cum adverbia semper sint accusativi vel ablativi absolute positi, esse ablativum, Graecis dativum singularem, pro *hice* sive *heice*, Graece ἔγε sive εἶγε, et id, cum olim Graeci pro γ scripserint ει pro γγε, ut, secundum Lamb. Bosium in Ellips. Graec. in v. μέρος, plena phrasis foret, ἐν ᾗ γε μερίδι, *in qua quidem parte*. Pluribus de hoc pronomine disserentem V. Everh. Scheid. in Animadv. ad Analogiam linguae Graecae Jo. Dan. Lennep. pag. 304. sq. Ex quibus de adverbio *illic*, vs. 35. h. Epist. obvio, fiat judicium.

Hic lacer etc. Exiguo nempe mero aliquis Ducum notare fingitur locum, quo Achilles Hectoris a se interfecti cadaver de curru suspensum ad Trojae muros rapuit, adeo saucium et sanguinolentum, ut adspectu suo equos *admissos*, h. e. veloces terreret, vel saltem terrere potuisset; ut Burm. ad h. l. observavit. De significatione vocis *admissus* cf. Davies. ad Caes. B. G.

Omnia namque tuo senior, te quaerere misso,
Retulerat nato Nestor: at ille mihi.

L. I. c. 22. et V. V. D. D. ad h. l. Versu 44. El. IV. L. I. Edit. Heynii canit Tibullus.

« Venturam admittat inbri-
« fer arcus aquam."

Ubi *admittere* pro *incitare, accelerare.* cff. Obs. ad Tibulli vs. l. et Heins. ad Ovid. Am. L. I. El. 8. vs. 5.

37. *Senior Nestor.* Tria secula Nestor vixisse fertur, unde triseclì senex dictus Naevio ad Gell. Noct. Att. L. XIX. c. 7. Ter aevo functus Horat. L. II. Od. 9. vs. 13. cf. Cic. de Senect. c. 1. init. Propert. El. L. II. El. 10. vs. 46. Verum de annorum numero, qui seculum conficiunt, non eadem omnium est sententia. Ovid. Metam. L. XII. vs. 187. Köppen Erklärende Anmerk. zum Homer. ad L. I. vs. 250. seculum 100 annorum spatium intellexit, exprimens Homer. Il. L. I. vs. 250. sq., ad quem locum Eustathius scribit, « veteribus γένεην seu aetatem fuisse spatium triginta annorum," cujus auctoritatem secutus Clarkius in sua Edit. ad verba Homerica « μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἀνάσσεν," notavit, « Nonagenarius circiter exsistens."

Ab hac computandi ratione non longe recedunt illa Herodoti L. II. c. 142. pag. 173. « γένεαὶ γὰρ τρεῖς ἀνδρῶν ἑκατὸν ἐτέα ἐστί," ubi V. Wesselingius, et Valesii nota ad Liv. L. IX. c. 18. Sextam quoque Lunam seculi initium post annum 30 fuisse apud Druidas, Gallorum magos, refert Plinius Hist. Nat. L. XVI. cap. ult. extr. cf Servius ad. Aen. L. VIII. vs. 508. Meziriac. ad h. l.

Omnia namque etc. Ne miraretur Ulysses, unde omnia rescivisset Penelope, domi sedens, lanae operam dans, nec rumores captans, ex decoro Poëta auctorem addit filium, nempe Telemachum, qui ex Nestore, Pyli rege, illa cognoverat. V. Burm. ad h. l. et argum. §. 8. Pylus autem fuit urbs Peloponnesi in Messenia ad ostia Pamisi, a Sparta 400 stadiis. V. Baudrand in Lexico Geographico in v. *Pylus.*

Senior idem quod *Senex.* V. Ovid. Metam. L. XII. vs. 178. coll. vs. 182. Am. L. I. El. 13. vs. 1. coll. vs. 38. Vechneri Hellenol. L. I. pag. 32.

Quaerere misso. Graecismus est pro *ut quaereret.* V. Burm. ad h. l. Neque apud poëtas tantum, V. Caes. B. G. L. VII. c. 26. « Galli consilium ceperunt ex oppido profugere," ubi V. Davies. A quonam missus sit, quaeri hic potest. Intelligunt nonnulli *a Penelope:* verum sic repugnasset Poëta Homero, qui literis prodidit, Telemachum profectum esse Pylon, inscia matre, Odyss. L. II. vs. 411, sola

Retulit et ferro Rhesumque Dolonaque caesos.
Utque sit hic somno proditus, ille dolo. 40

itineris ejus conscia nutrice Euryclea. Ipse etiam Poëta sibi adversaretur, nam hac eadem epistola vs. 100. scribit, « dum parat invitis *omnibus* ire Pylon." Sax. cf. Lennep. in Animadv. in h. vs. Vitus Loers in specimine supra cit. ad vs. 100. h. Ep. Hoc loco, inquit, cum Homero consentit sed dissentit a se ipso, *omnibus invitis* Telemachum dicens iter Pylon suscepisse. Certe *missum* supra dixit; de *misso* autem dicere non poterat *omnibus invitis*.

At ille, h. e. Telemachus, qui peregre agens, ut patrem quaereret, per literas haec cum matre communicaverit, oportet; quod si enim domum jam reversus haec coram narraverat, de patre quoque invento et agnito addidisset, quem, antequam domum rediit, apud Eumaeum offendit. V. Hom. Odyss. L. XVI. vs. 185. sq. et Argum. §. 8. Nec tamen ex hac filii narratione quidquam rescivèrat Penelope. cf. infra vs. 57. sq.

40. *Hic* referendum est ad remotius, ad Rhesum nempe; *ille* ad propius, h. e. Dolonem, secus ac praecipiunt Grammatici. V. Scheller. Praec. Stil. h. Lat. Part. I. c. 8. n. 5.

Dolo, h. e. ipsa speculandi provincia, quam totam quantam dolosam in se susceperat Dolon, Eumedis filius, quaque *proditus est*, h. e. *praeter opinionem perditus*. *Prodi* enim dicuntur illi potissimum, quibus ea, quae juvare debebant, damnum aut perniciem afferunt.

Ceterum ad historiae intellectum egregie facit Servii locus ad Aen. L. XII. vs. 347. Trojani nempe cum exploratorem quaererent, quem ad Graecorum castra mitterent, Dolon, qui hoc negotium susciperet, sese obtulit, si sibi equi Achillis praemio darentur; qui cum isset, ac Diomedem et Ulyssem, ad castra Trojana exploratores missos, habuisset obvios, ab his captus est, et tormentis adactus tum Trojanorum consilia, tum Rhesi, Thraciae regis, adventum exposuit, et locum, ubi commorabatur: quo facto Diomedes et Ulysses Dolonem vinctum ad arborem relinquentes in Rhesi castra profecti sunt, eumque, Rheso interfecto, et equis fatalibus abductis, occiderunt.

Homerus autem Il. L. X. vs. 378 — 455 Dolonem petiisse quidem scribit a Diomede et Ulysse, ut, redemtionis pretio accepto, se remitterent, aut vinctum relinquerent, donec indicii comperissent veritatem, sed Diomedem poenae dilationem illi denegasse, Dolonemque interfecisse statim. cf. Virg. Aen. L. I. vs. 469. sq. Lennep. V. Cl. in Animadv. ad h. l.

Ausus es, o nimium nimiumque oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere castra dolo;
Totque simul mactare viros, adjutus ab uno.
At bene cautus eras, et memor ante mei.

41. *Ausus es.* Quia inter incerta satis audacter salus speratur. Ita Servius ad Virg. Aen. L. I. vs. 456. *Audere* enim dicitur de re difficili et plena periculi. V. Florus Epit. Hist. Rom. L. I. c. 17, ibique Not. Virg. Aen. L. XII. vs. 350. aliisque in locis.

Nimium nimiumque. Repetitio emphatica est et poëtarum propria, uti notavit Tursell. de part. L. L. in v., adducto loco Tibulli L. III. El. 6. vs. 21. In aliis particulis, quales *multo*, *longe*, frequentes esse ejusmodi repetitiones observavit Burm. ad h. l.

42. *Tangere*, pedibus nempe, i. e. intrare, pervenire in castra Rhesi regis, qui Trojanis venerat auxilio. V. Lennep. ad h. l.

Nocturno dolo, i. e. nocte commisso. Sic Penelope tela *nocturno dolo* retexta dicitur Am. L. III. El. 9. vs. 30. cff. dicta ad vs. 82. Propert. L. II. El. 7. vs. 44. et L. IV. El. 7. vs. 16. dicitur fenestra *dolis nocturnis trita*. Caes. B. Civ. L. I. c. 67, «Nocturna praelia.» Quem dolum suggesserat proditio Dolonis capti. Sax. cf. ann. ad vs. 40. h. Ep.

43. *Totque - viros*, Rhesum nempe et socios ejus. Sive plurimos incerto numero, sive quot a te occisos fuisse narrabat mihi filius. Ovidend.

Uno, h. e. Diomede. V. Homer. Il. L. X. vs. 559.

Mactare ut victimas. Mactare, immaniter caedere. V. Periz. in respon. ad L. Kusteri Diatriben de verbo *cerno* pag. 784. et in not. ad v. *mactare* L. IV. c. 14. pag. 757. Non Ulysses, sed Diomedes Rhesum ac sodales ejus principis occidit, solum sibi abigendorum equorum curam et negotium sumens. Ut videre licet ex Hom. Il. L. X. vs. 481. sq. Sax. Ad Simoëntis ostium longe ante Trojanam aciem castra posuisse Rhesus Heynio videtur. V. aciei Trojanae descriptio repetita ac subjecta libello ab Heynio Germanice verso nobilissimi Viri Dechevalier «Beschreibung der Ebene von Troja.»

44. *At.* τῦ *at* in concessionibus usus est. V. Tursell. op. l. in v. Ironice autem hic loqui Penelopen, nemo non animadvertit.

Bene cautus. Bene hic pro *valde* ponitur, quam adverbii significationem, locis adlatis, probat Tursell. op. l in v.

Et memor ante quam ab *uno* adjutus hostium castra in-

Usque metu micuere sinus, dum victor amicum
Dictus es Ismariis isse per agmen equis.
Sed mihi quid prodest vestris disjecta lacertis
Ilios? et, murus quod fuit ante, solum:
Si maneo, qualis Troja durante manebam;
Virque mihi, demto fine carendus, abes?

troïbas. Inprudentiam itaque hoc versu marito exprobrat Penelope, qua uxorem, qua domum in maximum projecerat discrimen.

45. *Usque — dum. Usque* assiduitatem significat et perseverantiam, et *dum*, *quoad*, *donec* saepe assumit. V. Tursell. l. l. pag. 1085. sq.

Micuere. Micare dicitur de motu celeri et tremulo venarum. V. Ernest. Clav. Cic. in indice Latinitatis. cf. Scheller in Praec. Stil. b. Lat. Part. I. c. 2. pag. 80. Hinc *micare digitis*, *par inpar ludere.* Hujus ludi rationem V. apud Melanchton. ad Cic. Off. l. III. c. 19. cit. a Barrovio (Barrow) in narratione itineris, quod in Sina fecit Tom. I. pag. 236, qui et hunc ludum hodiedum in Sina vigere adfirmat.

Sinus. Praeclare ex ingenio feminarum *sinus* pro *corde* ponit Ovidius, in quo sedes affectionum intima. Sax. Vestes itaque et pectora, ut ait Oudend., adsultim tremuerunt prae inpulsu cordis moti metu.

46. *Amicum-agmen*, est agmen amicorum, h. e. Graecorum. Sententia hujus loci haec est: assidue praecordia mea prae metu exsiluerunt, donec intellexi te victorem rediisse vectum per castra Graecorum equis Ismariis, h. e. abductis Rhesi equis, qui ab Ismaro, Thraciae monte, Ismarii dicuntur. cf. Ovid. A. A. L. I. vs. 214. et not. ad h. vs.

47. *Disjecta.* Major vis inest τῷ *disjecta*, quam *dejecta*, uti vs. 51. *diruta*, quam *eruta*. V. Heins. ad h. l. Nam *dejicere* notat, aedificia, murosque destruere et solo aequare. *Disjicere* vero in praeceps versorum et prostratorum, dispersione quadam, vestigium et memoriam omnem abolere. Sax. Praepositio nempe inseparabilis *dis* significat *in diversas partes.*

Lacertis. Pro, vestro labore et viribus. Proprie *lacerti* sunt tori musculorum, nunc surgentium, nunc contrahentium se, praesertim in bracchiis; hinc de athletis, robustissimisque hominibus praedicantur lacerti. Sax.

48. *Solum*, *quod ante fuit murus*, i. e. locus nunc planus, in quo antea murus stabat. V. Lennep. ad h. vs.

49. *Si maneo.* Si eadem con-

Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant;
Incola captivo quae bove victor arat.
Jam seges est ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

ditione utor, qua antea. Sax. vel, ut Oudend., si maneo vidua.

Troja durante, h. e. cum Troja staret vel maneret. Hac enim forma quoque apud Ovid. A. A. L. III. vs. 439. Sax.

50. *Vir carendus.* Locus hic, inquit Sanctius in Minerva L. III. c. 3. pag. 314. sq., demonstrat *carere* esse verbum activum. cf. ibid. Not. Perizon. et Vechneri Hellenol. L. l. pag. 53.

51. *Aliis*, scil. feminis, profuit Ilii excidium, quae maritos reversos receperunt; mea autem sors non alia est, aeque misera, quam quae, Troja durante, fuit. *Illi* nimirum *fieri* aliquid eleganter dicitur, in cujus commodum sit vel incommodum, uti h. l. *uni mihi* et Metam. L. XIII. vs. 507. sq.

52. *Incola captivo*, h. e. bove, quem praedam cepit victor, nunc istum locum incolens aransque, ubi steterunt Pergama. Eodem modo equi, quos Ulysses, Rheso interfecto, abduxit, *captivi* dicuntur Sabino in Responsoria ad h. Ep. vs. 18. et *currus captivus* Metam. L. XIII. vs. 251. sq. *Aurum captivum* Virg. Aen. L. XI. vs. 778. cf. Horat. Od. L. I. Od. 16. vs. 20. et L. W. van Winter geb. van Merken, Germanicus pag. 144. 4to. Ach! Titus etc.

53. *Jam seges est* etc. Sequitur Geographica descriptio vastitatis et solitudinis, quam Trojanae civitati intulerunt victricia Graecorum, arma. Nulla palatiorum, nulla moenium, nulla templorum amplius vestigia, *seges est ubi Troja fuit.* Eodem pacto loquitur Virg. Aen. L. III. vs. 10. et L. X. vs. 60. Sax.

Resecandaque falce. Resecare non est iterum iterumque secare, sed simpliciter ponitur pro *rescindere*, ut Am. L. I. El. 15. vs. 12. et Fast. L. II. vs. 520. Sax.

54. *Luxuriat Phrygio sanguine. Luxuriare* vel *luxuriari* dicimus proprie de hominibus otio et mollitie diffluentibus sive corpore sive animo: dein eleganti metaphora transfertur hoc vocabulum ad arbores et agros laetis fructibus et segete florentes. Sax.

Phrygio sanguine, pro sanguine Trojano: Troja enim in Phrygia minore sita erat; quae verba cum τῷ *pinguis* apta et

Semisepulta virum curvis feriantur aratris
Ossa: ruinosas occulit herba domos.
Victor abes; nec scire mihi, quae caussa morandi,
Aut in quo lateas ferreus orbe, licet.
Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
Ille mihi de te multa rogatus abit.

nexa sunt, non cum *Luxuriat*: nam *Luxuria* est effectio illius abundantiae. Sax.

55. *Semisepulta*. Miserrima caesorum in bello sors erat, ut vel insepulti vel semisepulti jacerent, quo malo nullum pejus acerbiusque noverant veteres Graeci et Romani, ut notum. Vid. Interpretes ad Ael. Var. Hist. L. IV. c. 7. Quoniam vero credebant manibus nudis coelum commaculari, uti videre licet ex Statio Theb. L. VIII. vs. 73. (atque animis Stygis transitum certamque sedem negari, nisi pulvisculus saltem cadaveri injectus esset. T.) praetereuntes insepultis terram injiciebant. Virg. Aen. L. VI. vs. 365. Horat. L. I. Od. 28. vs. 36. Idque vocabant Graeci ἐπιβαλλειν γην. V. Aelianus V. H. L. V. c. 14. cum nota Cuhnii, unde nascebatur quaedam sepultura non justa sed qualiscunque; hinc etiam ossa inpresso sulcis aratro facile percuti, eruique poterant. Sax.

56. *Ossa ruinosas*. Ad hujus loci intellectum inprimis conferre juvabit Meziriaci versionem, quae ita se habet.

« Et l'herbe s'élevant jusqu'aux cimes hautaines
Des palais *ruinez* les cachent maintenant."

Ruinosas nempe domos dixit Naso, non, quae ruinam minantur, Gallice *ruineux* (quae usitatior adjectivi significatio est); sed quae jam, destructae et dejectae sunt. Gallice *ruiné*.

Innuere vult Penelope, multos jam annos post Trojae eversionem elapsos. Oudend.

58. *Quo-orbe*. Qua in orbis parte.

Ferreus. Qui uxoris desiderio non moveris.

59. *Puppim*. Vulgo dicunt, inquit Schellerus in Praec. Stil. b. Lat. Part. I. c. 2, lit. *d* apud priscos per Synecdochen dici puppim pro tota nave. — Non satis definite. Addere saltem debuissent, semper istarum partium proprie ab iis habitam atque ita apud nos quoque habendam esse rationem etc.

Peregrini enim et cito abnavigaturi, ut dicitur in Aen. L. IX. *obvertunt pelago proras* et ita puppis adpellitur ad litus, ut naves paratae sint. Burm. Köppen ad Hom. Il. L. II. vs. 409.

Quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
Traditur huic digitis charta notata meis.
Nos Pylon, antiqui Neleïa Nestoris arva,
Misimus. incerta est fama remissa Pylo.
Misimus et Sparten. Sparte quoque nescia veri.
Quas habitas terras, aut ubi lentus abes?
Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi.
(Irascor votis heu levis ipsa meis!)

60. *Ille mihi de te multa* NOCATUS. Frequens est hic dativi usus imitatione Graecorum.

62. *Digitis charta notata meis.* Scita hic inest Chirographi descriptio, ne de scripti veritate ac fide dubitaret.

63. *Neleïa Nestoris arva*, h. e. arva Pylia, in quibus olim regnaverat Neleus, pater Nestoris, qui tum imperii summas tenebat. V. Raoul Rochette de l'établissement des Colonies Grecques tom. II. c. 9. pag. 41. sq. Messeniae Pylum intelligendam esse ex cursu itineris, quem Telemachus tenuit, Pylo Spartam profecturus, conjicit Saxius V. Cl., nam Pheras, inquit, transiit, ibique pernoctatus est, teste Hom. Odyss. L. III. vs. 488. quam urbem nemo attigerit ex Elide vel Tryphilia Spartam petiturus, nec ex Elide quisquam confecerit iter biduo, ut Telemachus, ex Messenia veniens, ut Hom. Odyss. L. III. in fin. diserte tradit. Sax.

Antiqui, senioris, prudentis, absque ulla trium seculorum, quos vixisse eum ridicule fabulantur, significatione. Sax.

64. *Incerta est fama remissa Pylo.* Rationem hujus incerti nuncii V. in Hom. Odyss. L. III. vs. 184. sq.

65. *Misimus et Sparten. Sparte* pro *Sparta* Gr. Σπάρτη, cujus novissima syllaba producitur, ut hic opus erat. Eodem modo Ep. XVI. vs. 189. Quem miserit Penelope, incertum: Telemachum certe non misit, sed ipse visu Minervae admonitus, navibus Pylon, inde citatis equis curruì junctis Spartam profectus est. Copiose hoc iter expostuit Hom. Odyss. L. II. vs. 416. et L. III. vs. 492. Spartam autem et Dominum Spartae descripsit Hom. Odyss. L. III. vs. 326. et L. IV. vs. 1. Quomodo igitur Poëta ea in re errare poterat, eum ante oculos Homerum procul dubio habuerit? Non errant saepe ipsi poëtae, sed errare jubent personas, quas inducunt sollicitas, miserabiles et inperitas. Exemplum prioris aegritudinis habuimus supra vs. 15 et 43. Sax.

Scirem ubi pugnares; et tantum bella timerem;
Et mea cum multis juncta querela foret.
Quid timeam ignoro: timeo tamen omnia demens:
Et patet in curas area lata meas.
Quaecumque aequor habet, quaecumque pericula tellus,
Tam longae caussas suspicor esse morae.
Haec ego dum stulte meditor (quae vestra libido est)
Esse peregrino captus amore potes.

66. *Lentus.* cf. vs. 1. h. Ep.

67. *Utilius.* cf. vs. 47. h. Ep. *Starent.* cf. Adn. ad vs. 3. h. Ep.

Moenia Phoebi, moenia sunt Ilii: Apollo enim et Neptunus Ilion muro cinxisse dicuntur, unde modo Neptuno, modo Phoebo auctori illud tribuitur.

68. *Irascor votis.* Hujus versus, interpretante Lennep. in Animadv. ad h. l., sensus est: « Cum prius optarim, ut quam primum Trojam everteretis; jam mutata sententia, *meis ipsa votis irascor*, vota temere a me facta (*levis*) reprehendo; *nam utilius starent etiam nunc moenia Phoebi.*"

Levis. Levem ipsa se appellat, i. e. inconstantem, mobilem, quid concupiscat, quid velit nolitque nescientem. Intelligitis hic morosa amantium ingenia. Sax.

69. *Bella* pro praeliis et certaminibus. Sax.

70. *Et mea cum multis* etc. Et sic minor esset meus dolor, quia ex vulgari opinione mali societas praebet doloris solatium. Oudend.

71. *Timeo tamen omnia demens. Demens*, quasi lumine mentis carens; aegritudines enim animi, ut sollicitudo, metus cupiditati et amori junctus, ubi mentem in contrarias saepe sententias inclinant et rapiunt, perturbatis his motibus, furorem sive mentis ad omnia caecitatem inducunt. Vid. philosophantem Cic. Tusc. Quaest. L. III. c. 5.

72. *Area lata* in illas res patere dicitur, in quibus difficile est modum aut finem statuere, ita ut mens nostra nullum inveniat cogitandi terminum, sed libere veluti exspatiari possit; ducta metaphora a locis aedificio vacuis, in quibus quaqua versus exspatiari licet. Sic e. g. area lata patere in alicujus laudes dicitur, cum de homine illo praeclara quaevis praedicari possint. Eleganter hunc locum vertit Meziriacus.

« Le champ de mes soucis n'a ni terme ni bout."

Forsitan et narres, quam sit sibi rustica conjux;
Quae tantum lanas non sinat esse rudes.

75. *Stulte.* Quomodo et dementem modo vs. 71. dixerat se Penelope, quia nempe pericula veris timeret graviora. cf. vs. 11.

Meditor. Meditari significat *attentius et diligenter aliquid cogitare.* Cum vero accurata commentatio in dementem, qualem se antea profitebatur Penelope, non cadat, decore addit Poëta *stulte meditor.* Non enim meditantur sobrii de rebus incertis, vanis et quae casu evenire vel non evenire possunt. Sed cum rebus ardnis, quae jam acciderunt, aut certo accident, consilia praeparata velut medelam adhibemus et inferimus. In omnibus vero suspicionibus Penelopes nulla adhuc aderat veri et certi causa, hinc *stulte meditabatur.* Sax.

Quae vestra libido est. Eleganter in ejusmodi locutionibus pronomen relativum, quod dicitur, usurpant scriptores, cum aliquid personae aut personis quibusdam praecipue et speciatim tribuitur. Quod probavit Hubert. ad h. l. ex Serv. Sulpicii praestantissima Epistola, qua Ciceronem de filiae morte consolatur, quae inter Ciceronianas ad Diversos est 5. L. IV. Et Ovid. Burm. V. e. g. Ep. XVII. vs. 29. Tota autem haec locutio, ablativo subaudito, ellíptica est, ut vera constructio sit, notante eodem Hubertino «pro ea libidine, quae est vestra," h. e. vestrum, scil. virorum, adeo ut non *unum* maritum suum libidinis macula notet Penelope, sed ita *multos* viros solere, nec adeo injustum omnino suum esse metum significet: quomodo et hunc locum adcepit Meziriac. ita vertens,

« Comme il est ordinaire aux hommes de changer."

Uti querula et credula res est adversa fortuna, inquit Sax., ita species quascunque, visa et efficta ex eo, unde nihil est (Graeci φαντασίας vocant) in animo informat.

Libido, inquit Idem, proprie notat quamcunque voluntatem, cupiditatemque ratione adversa incitatam, eaque cadit in homines leves et mobiles; hinc *gerere res libidine non ratione* apud Cic. pro Quinct. c. 4. Deinde particulatim ad Venereas voluptates transfertur; hinc *libidines consectatrices voluptatis* Cic. L. III. c. 33. de Off. Legatur hac de re Van Limburg Brouwer over het Zedelijk Schoon in Homerus Poëzy pag. 110.

76. *Peregrino - amore.* Potes incidisse in amorem mulieris peregrinae, qualis certe Circe, Calypso Ulyssem per aliquot annos detinuerunt. cf. Epist. IX. vs. 47. Oudend. Hunc l. imitatus

Fallar; et hoc crimen tenues vanescat in auras:
Neve, revertendi liber, abesse velis.
Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, et immensas increpat usque moras.

est P. van Schelle Heldinnen brieven, door Bilderdyk uitgegeven. Br. II. pag. 9. vs. 10. sq.

77. *Forsitan et narres.* Ita conjunctivum modum τῷ *forsitan* jungere solet Ovid. V. Heins. ad Ep. IV. vs. 53. Forsitan, inquit Sax., haec tuum animum subit cogitatio. Quid mihi amplius rei est cum uxore, quae praeter familiaris rei curiositatem nihil deliciarum, nihil voluptatis ostendit et spondet. *Rusticitas* quippe est in his, quae nimio pudore, nimiaque sedulitate peccant. Ovid. A. A. L. I. vs. 607. Fast. L. VI. vs. 534. Heroid. Ep. IV. vs. 132.

In re amatoria mulier est *rustica*, quae languidior duriorque sit, et prae rerum domesticarum curis inelegantior. Ovid. Her. Ep. XVI. vs. 285, cui respondet Helena Ep. XVII. vs. 13. Am. L. II. El. 4. vs. 13. et L. III. El. 10. vs. 18.

78. *Quae tantum lanas non sinat esse rudes*, est mulier prae illis temporum moribus valde sedula, et in amoribus sibi conciliandis minime ingeniosa, ideoque viris harum rerum studiosis molesta sive rustica et incultior. Sax.

79. *Tenues evanescat in auras*, h. e. interpretante Hubertino, in nihilum abeat, non sit verum. Cum in nihilum redigi et aboleri rem aliquam celerrime vellent, per ventos et auram rapi significabant, eique mandabant veteres poëtae. v. g. Horat. Od. L. I. Od 26. vs. 1. Ovid. Heroid. Ep. XIII. vs. 92. Similiter verba ventis creduntur, cum carent fide. Heroïd. Ep. II. vs. 25. Aut cum nolumus successum et eventum eorum, quae vovimus. Ovid. Am. L. II. El. 14. vs. 41. Sax.

80. *Revertendi liber*, h. e. nulla morae causa prohibitus, bello finito. cf. supra vs. 3. Hubertino ad h. l. *liber revertendi* est, Ulysses nullius mulieris amore retentus. Quocum consentiunt Oudend. et Saxius. Ceterum locutio est vere elliptica pro *liber ratione revertendi*, h. e. *liber, quantum ad reditum attinet.*

81. *Viduo lecto*, i. e. in quo sum vidua: uti in Epist. V. vs. 106. et XVI. vs. 315. sq. cf. supra vs. 10. *Discedere* autem *lecto viduo* significat *relinquere lectum viduum* et *accedere ad lectum maritalem*: secundas enim nuptias et quidem Eurymachi (de quo infra vs. 92.) patrem et fratres Penelopae jussisse narrat Miner-

Increpet usque licet: tua sum, tua dicar oportet
Penelope: conjux semper Ulixis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis
Frangitur, et vires temperat ipse suas.

va apud Hom. Odyss. L. XV. vs. 16. sq. Meziriacus Ovidii locum quod ad sensum recte vertit.

« Mon pere cependant veut, que je me marie."

82. *Cogit.* Hoc vocabulo respexit Poëta ad Jus Romanum, secundum quod patres filias ad conjugium *cogere* poterant, ex cap. 35. L. Jul. et Pap. Poppaeae *de maritandis ordinibus.* Vid. Heinecc. ad L. Papiam pag. 97. Sax.

Immensas moras. Puta Penelopes telam interdiu textam, noctu vero dissolutam seu retextam, quae morabatur nuptias, quas se cum aliquo procorum inituram promiserat, postquam vestem sepulchralem Laërtae patri confecisset. V. Hom. Od. L. II. vs. 94. sq. et L. XXIV. vs. 128. sq. Hinc *tardam* illam telam dixit Ovid. Am. L. III. El. 9. vs. 30. sq. cf. Propert. L. II. El. 7. vs 43. sq.

83. *Increpet usque licet.* Pater inclamet mihi, quantum velit; uti recte exposuit Hubertinus, qui et repetitionem *increpet usque* emphaticam esse observavit.

Usque assiduitatem et perseverantiam indicat, i. q. *assidue.* V. Turtell. op. I. pag. 1085. in v. Instet, inquit Sax., urgeat, impellat me nutu suo et auctoritate pater, constanter tamen te amabo.

84. *Tua sum, tua dicar oportet Penelope*, h. e. tui unius propria sine dubio sum, tuique unius esse in posterum cupio Penelope, i. e. castissima conjux; nam verbum *oportet officium* pariter ac *votum* Penelopes exprimit. cf. Ep. V. vs. 157. sq. De Penelope pia ac misera legantur V. Cl. V. Limburg Brouwer, op. I pag. 113. sqq. et Doct. Bergman, over de Odyssea van Homerus, pag. 193. volg. Pentametri autem sensus huc redit: semper me ostendam conjugem Ulyssis, h. e. uxorem tanto marito dignam. Praecipuam enim tam feminarum, quam virorum illustrium nominibus propriis inesse vim, multa veterum demonstrant loca. V. Ovid. in Ep. XIII. vs. 68. Ep. VI. vs. 151. Metam. L. XIII. vs. 239 et 242. Trist. L. III. El. 11. vs. 27. Seneca de Providentia c. 3. lit. B. De tranquillitate animi c. 5. B. et 7. B.

85. *Pietate* in te maritum. *Pietas* enim significat amorem erga omnes, quibuscum vel *naturae* vel *beneficiorum* vinculo conjuncti sumus. Cui docet

Fallar; et haec crimen tenues vanescat in auras:
Neve, revertendi liber, abesse velis.
Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, et immensas increpat usque moras.

est P. van Schelle Heldinnen brieven, door Bilderdyk uitgegeven. Br. II. pag. 9. vs. 10. sq.

77. *Forsitan et narres.* Ita conjunctivum modum τῷ *forsitan* jungere solet Ovid. V. Heins. ad Ep. IV. vs. 53. Forsitan, inquit Sax., haec tuum animum subit cogitatio. Quid mihi amplius rei est cum uxore, quae praeter familiaris rei curiositatem nihil deliciarum, nihil voluptatis ostendit et spondet. *Rusticitas* quippe est in his, quae nimio pudore, nimiaque sedulitate peccant. Ovid. A. A. L. I. vs. 607. Fast. L. VI. vs. 534. Heroid. Ep. IV. vs. 132.

In re amatoria mulier est *rustica*, quae languidior duriorque sit et prae rerum domesticarum curis inelegantior. Ovid. Her. Ep. XVI. vs. 285, cui respondet Helena Ep. XVII. vs. 13. Am. L. II. El. 4. vs. 13. et L. III. El. 10. vs. 18.

78. *Quae tantum lanas non sinat esse rudes*, est mulier prae illis temporum moribus valde sedula, et in amoribus sibi conciliandis minime ingeniosa, ideoque viris harum rerum studiosis molesta sive rustica et incultior. Sax.

79. *Tenues evanescat in auras*, h. e. interpretante Hubertino, in nihilum abeat, non sit verum. Cum in nihilum redigi et aboleri rem aliquam celerrime vellent, per ventos et auram rapi significabant, eique mandabant veteres poëtae. v. g. Horat. Od. L. I. Od 26. vs. 1. Ovid. Heroid. Ep. XIII. vs. 92. Similiter verba ventis creduntur, cum carent fide. Heroïd. Ep. II. vs. 25. Aut cum nolumus successum et eventum eorum, quae vovimus. Ovid. Am. L. II. El 14. vs. 31. Sax.

80. *Revertendi liber*, h. e. nulla morae causa prohibitus, bello finito. cf. supra vs. 3. Hubertino ad h. l. *liber revertendi* est, Ulysses nullius mulieris amore retentus. Quocum consentiunt Oudend. et Saxius. Ceterum locutio est vere elliptica pro *liber ratione revertendi*, h. e. *liber, quantum ad reditum attinet.*

81. *Viduo lecto*, i. e. in quo sum vidua: uti in Epist. V. vs. 106. et XVI. vs. 315. sq. cf. supra vs. 10. *Discedere* autem *lecto viduo* significat *relinquere lectum viduum* et *accedere ad lectum maritalem*: secundas enim nuptias et quidem Eurymachi (de quo infra vs. 92.) patrem et fratres Penelopae jussisse narrat Miner-

Increpet usque licet: tua sum; tua dicar oportet
Penelope: conjux semper Ulixis ero.
Ille tamen pietate mea precibusque pudicis
Frangitur, et vires temperat ipse suas.

va apud Hom. Odyss. L. XV. vs. 1t. sq. Meziriacus Ovidii locum quod ad sensum recte vertit.

« Mon pere cependant veut, que je me marie."

82. *Cogit.* Hoc vocabulo respexit Poëta ad Jus Romanum, secundum quod patres filias ad conjugium *cogere* poterant, ex cap. 35. L. Jul. et Pap. Poppaeae *de maritandis ordinibus.* Vid. Heinecc. ad L. Papiam pag. 97. Sax.

Immensas moras. Puta Penelopes telam interdiu textam, noctu vero dissolutam seu retextam, quae morabatur nuptias, quas se cum aliquo procorum inituram promiserat, postquam vestem sepulchralem Laërtae patri confecisset. V. Hom. Od. L. II. vs. 94. sq. et L. XXIV. vs. 128. sq. Hinc *tardam* illam telam dixit Ovid. Am. L. III. El. 9. vs. 30. sq. cf. Propert. L. II. El. 7. vs 43. sq.

83. *Increpet usque licet.* Pater inclamet mihi, quantum velit; uti recte exposuit Hubertinus, qui et repetitionem *increpet usque* emphaticam esse observavit.

Usque assiduitatem et perseverantiam indicat, i. q. *assidue.* V. Tursell. op. l. pag. 1085. in v. Instet, inquit Sax., urgeat, inpellat me nutu suo et auctoritate pater, constanter tamen te amabo.

84. *Tua sum, tua dicar oportet Penelope*, h. e. tui unius propria sine dubio sum, tuique unius esse in posterum cupio Penelope, i. e. castissima conjux; nam verbum *oportet officium* pariter ac *votum* Penelopes exprimit. cf. Ep. V. vs. 157. sq. De Penelope pia ac misera legantur V. Cl. V. Limburg Brouwer, op. l. pag. 113. sqq. et Doct. Bergman, over de Odyssea van Homerus, pag. 193. volg. Pentametri autem sensus huc redit: semper me ostendam conjugem Ulyssis, h. e. uxorem tanto marito dignam. Praecipuam enim tam feminarum, quam virorum illustrium nominibus propriis inesse vim, multa veterum demonstrant loca. V. Ovid. in Ep. XIII. vs. 68. Ep. VI. vs. 151. Metam. L. XIII. vs. 239 et 242. Trist. L. III. El. 11. vs. 27. Seneca de Providentia c. 3. lit. B. De tranquillitate animi c. 5. B. et 7. B.

85. *Pietate* in te maritum. *Pietas* enim significat amorem erga omnes, quibuscum vel *naturae* vel *beneficiorum* vinculo conjuncti sumus. Uti docet

Dulichii Samiique, et, quos tulit alta Zacynthos,
Turba ruunt in me luxuriosa, proci:
Inque tua regnant, nullis prohibentibus, aula.
Viscera nostra, tuae dilaniantur opes. 90

Scheller. in praecept. Stil. b. Lat. Part. I. c. 2. pag. 71.

Precibus pudicis, i. e. mei pudicae. Poëtae nempe *rebus* saepissime tribuunt, quod *personis*, de quibus sermo habetur, est proprium.

86. *Frangitur*, de homine dicitur, qui continuis fatigatus precibus petitionem tandem vix concedit. Sic et Livius L. II. c. 40. de Coriolano « Uxor dein ac liberi amplexi, fletusque fregere tandem virum." V. Tibull. L. I. El. 8. vs. 67. ibique Broukhus. Suetonius in Caes. c. 1. eodem usurpat sensu verbum *expugnare*.

Vires temperat ipse suas, h. e., ex Hubertini ad h. l. interpretatione, minuit impetum animi, quia, quando videt, me tam esse tui amantem, minus postea instat, ut nubam alii. cf. Odyss. L. II. vs. 52.

Ipse, ultro, ob modo redditam ab Hubertino rationem. V. Lennep. in Animadv. ad h. vs. cf. Adn. ad v. *cogit* vs. 82. h. Ep.

87. *Dulichium*, Echinadum una, maris Iönii insula contra Ostia Acheloï fluvii, non procul ab Ithaca, una ex iis, quibus Ulysses imperabat.

Samos, sive Same, alias Cephalenia dicta, insula prope Zacynthum.

Zacynthus in mari Iönio inter Cephaleniam et Strophadas. *Alta* dicitur, h. e. *mari altior*, vel propter montes excelsos, quibus haec insula insurgebat, vel propter silvas, quae altis arboribus erant refertae; unde *nemorosam* dixit Virg. Aen. L. III. vs. 270.

88. *Turba* ingentem numerum indicat, et in contemtum dicitur, erant omnino 108. V. Hom Od. L. XVI. vs. 245—253. cf. Bergman Op. l. pag. 199.

Luxuriosa, quoniam otio, epulis, commissationibus, cantu, saltatione terebant tempus (Hom. Od. L. I. vs. 150.) nihilque pensi habebant, dummodo Penelopes et bonorum ejus potirentur. Insolentiam et luxuriam eorum descripsit Homerus passim. Praecipue Od. L. XV. vs. 328 —333. L. XVI. vs. 10 — 111. Sax. Tribus aut quatuor annis ante Ulyssis reditum, uti ex Od. II. vs. 89. sq. N. vs. 377. sq. probavit Bergman, Op. l. pag. 151, 178.

Ruunt, quasi impetu facto veniunt, exponit Hubertin. cf. Virg. Aen. L. I. vs. 82. et Lennep. ad vs. 86. Animadv. extr.

89. *Regnant*, pro lubitu vi-

Quid tibi Pisandrum, Polybumque, Medontaque dirum,
Eurymachique avidas, Antinoique manus,

vunt. Sallust. in Jugurtha c. 36. n. 26. « Impune, quae lubet, facere, i. e. regem esse."

90. *Viscera*, i. e. pecora, in quibus regum, tum temporis, opes fuisse, variis in locis testatur Hom. Odyss. L. I. vs. 248. L. VI. vs. 237. L. IV. vs. 318. 686. sq. L. XXII. vs. 36. sq. Ovid. Trist. L. III. El. 10. vs. 59. *Viscera*, inquit Serv. ad Virg. Aen. L. I. vs. 211. non tantum intestina dicimus, sed quidquid sub corio est. *Nostra*, quae ad nos quam maxime pertinent, quaeve nobis priva sunt. Sax. cf. Goguet l'origine des Lois etc. Vol. II. pag. 350. sq. Edit. Paris. an. 1820.

91. *Quid*, ob quid, sive cur? Est autem schema Rhetoricum, quo in transcursu dicimus, quae praeterire nos velle simulamus. Oudend.

Pisandri meminit Hom. Odyss. L. XVIII. vs. 298. et alibi, uti Odyss. L. XXII. vs. 243, ubi *Polybum* ei adjunxit. Utriusque mors narratur ibidem vs. 268 et 284., quo posteriore loco tradit interfectum a Telemacho Amphimedontem, qui procorum praecipuis adnumeratur l. l. vs. 242. De procis leg. Bergman Op. l. pag. 199. cf. Cl. Lennep. in Animadv., ubi vitio typographico citatur Od. L. X., et J. Chr. Jahn de P. Ovidii Nasonis et A. Sabini Epistolis disput. P. I. Lips. 1826. pag. 40. Ovidius, inquit, hac Epistola in pluribus ab Homero discedit (V. vs. 15, 64, 100) et vulgatam lectionem praeter Heinsium, Burmannum, Lennepium dudum vindicarunt. Ceterum Medontis, sed innocentis, mentio saepe fit apud Hom. Od. L. IV. vs. 677. sq. L. XVI. vs. 252. L. XXII. vs. 357. sq. cf. Bergman Op. l. pag. 202.

92. *Eurymachus* fuit filius Polybi, Od. L. I. vs. 399., omnium procorum princeps; quamobrem huic ut nuberet Penelope, suaserunt Pater et fratres. Od. L. XV. vs. 16. sq. Secundus hic cecidit ab Ulysse percussus. Od. L. XXII. vs. 82. sq. *Antinous* Eupithei filius, Od. L. I. vs. 383, omnium procorum violentissimus, utpote qui Telemachum interficiendi ceperat consilium Od. L. XVI vs. 365. sq., ingratissimus in Ulyssem, quod vitium ipsi exprobrat Penelope l. l. vs. 418. sq. quare et primus ab Ulysse occisus fertur Od. L. XXII. vs. 8. sq. Pluribus de his egit Bergman Op. l. pag. 200. sq.

Avidas-manus. Avidae illorum manus erant, quoniam ut principes procorum plus ceteris rapiebant et abligurichant bona. Sax.

Atque alios referam, quos omnes turpiter absens
Ipse tuo partis sanguine rebus alis?
Irus egens, pecorisque Melanthius actor edendi,
Ultimus accedunt in tua damna pudor.
Tres sumus imbelles numero; sine viribus uxor,
Laërtesque senex, Telemachusque puer.

93. *Quos omnes turpiter absens* etc. *Turpiter* omnes alebat, quoniam proci, Ulyssis (absentis) bonis utebantur pro suis, filiumque herilem ne flocci quidem faciebant, Sax.

94. *Ipse tuo sanguine alis*, h. e. alis rebus partis sanguine tui ipsius; de qua veterum construendi ratione V. Ernesti Clav. Cic. in Indice Latin. in v. *ipse*.

Sanguine. *Sanguis* dupliciter potest explicari, vel de hereditate parentum, e quo sanguine ortus erat Ulysses; vel de multo labore et sudore, quo sua sibi pepererat. Sax.

95. *Irus*, mendicus Ithacensis, proprio nomine Arnaeus dictus. Rationem, ob quam dein Irus appellatus fuerit, vide apud Hom. Od. L. XVIII. vs. 7. Bergman Op. I. pag. 209.

Melanthius, Dolii filius, ab Ulysse ad pastus caprarios locatus. V. Hom. Od. L. XVII. vs. 212. Bergman Op. I. pag. 204, ubi de Dolio item agit.

Actor pecoris, i. e. agens pecus sive conductor pecoris. *Edendi*. V. Hom. Od. L. XVII. vs. 213. sq. conl. Od. L. IV. vs. 319. sq.

Edendi actor. Ad vituperium dicitur, inquit Hubert., quia erant et actores pecoris sacrificandi, et hi tam viles non habebantur, dicebanturque ministri.

96. *Ultimus pudor*. *Pudor* pro eo, qui summo dedecori et probro est, cujus nos pudet; igitur *ultimus pudor* est ultimum opprobrium, conculcatus et projectus pudor.

Ultimum saepe sumitur pro extremo ac summo in malis, uti *ultima pati*, *ultima experiri* sive deterrima omnium malorum. Quin et summum mali gradum (indicat) ultra quem nihil est. Sic, in ultimum erupit gladiatorum inpunitas, apud Vellej. Paterc. L. II. c. 125. §. 2. Sax.

97. Eleganter et cum adfectu, a numero, sexu, atque aetate argumentatur Penelope. Etenim *sine viribus uxor*, *Senex*, *puer*, inbecillitatem eleganter describunt; qua in brevitate magna vis inest ac venustas. cf. Hom. Od. L. IV. vs. 110.

Imbelles, adeoque resistere nequeuntes.

98. *Puer*, h. e. viginti circiter annorum, quippe natus paulo

Ille per insidias pene est mihi nuper ademtus,
Dum parat invitis omnibus ire Pylon.
Di precor hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
Hoc faciunt custosque boum, longaevaque nutrix:
Tertius, immundae cura fidelis harae.

ante, quam pater in Trojam erat profectus, ut observavit ad h. l. Meziriac., qui *puerum* reddidit *en l'avril de ses ans.* De Laërtae ac Telemachi moribus, Homeri auctoritate probatis, V. Bergman pag. 196, 97, 98.

99. *Ille*, h. e. Telemachus, qui insidiis petitus est a procis, praesertim, ab Antinoö, cujus oratio habetur Hom. Od. L. IV. vs. 663. sq. cf. Od. L. XX. vs. 241. sq. Rursus miscet Poëta particulam *ille* cum *hic*; intelligitur enim Telemachus proximo loco positus. Sax.

100. *Dum parat*, suadente Minerva, sub persona hospitis Mentae, ducis Taphiorum. V. Od. L. I. vs. 271 — 305. et supra vs. 37. Lennep. in Animadv. extr. ad vs. hujus Epist.

Parat ire. V. not. ad Nepotem in Att. c. 9. §. 2.

Invitis omnibus, Matre nempe et nutrice. Od. L. II. vs. 356. sq. coll. Od. L. IV. vs. 722 — 758. et Od. L. XVII. vs. 41. Praesertim vero, invitis procis, qui ab hoc itinere malum sibi timebant. Od. L. II. vs. 262 — 266. conl. ibid. vs. 324. — 330. Hinc cum ex Noëmone intellexissent proci Telemachum Pylon abiisse, obstupuerunt. Od. L. IV. vs. 638. sq. V. Adn. ad vs. 37. h. Ep.

101. *Ordine* procedere fata dicuntur, si majores natu prius vivere desinunt, quam natu minores, sin secus fiat, turbatus mortalitatis ordo dicitur. V. Heins. ad h. vs.

102. *Oculos comprimat.* Ritum tangit Poëta et Graecis et Romanis usitatum, ut qui proxime essent conjuncti, morientis oculos clauderent. cf. infra vs. 113. Kirchman de funeribus Romanorum L. I. vs. 6. Harles. l. l. pag. 96. ad h. l. ita commentatur: « En maternum animum et artem Poëtae, matris naturam pulcre imitantis." Mihi perinde ac Merulae in his verbis significatio amoris in maritum potior videtur. Hunc autem amorem vehementer amplificat Penelope, Telemacho longiorem, quam sibi ipsi, vitam adprecando, quod amor erga filium communem non leve amoris in conjugem sit argumentum. cf. Donati Comm. ad Terent. Andr. Act. III. Sc. 2. vs. 7. Edit. Westerhovii.

Sed neque Laërtes, ut qui sit inutilis armis, 105
Hostibus in mediis regna tenere valet.
Telemacho veniet (vivat modo) fortior aetas:
Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.

103. *Hoc faciunt.* V. Lennep. Animadv. ad h. vs. Eodem sensu verbum *facere* adcepit Schol. Cod. Trevirensis, qui super *faciunt* superscriptum habet *precantur, orant, cupiunt.* Idem scil., quod ego precor, ut Telemachum filium diu nobis Dii servare velint. V. Vitus Loers in Gymnasio Trevirensi Magister in specimine annotationis in P. Ovidii Nasonis Heroïdas. Treviris. an. 1825., quod specimen humanitas et Literis inserviendi studium Jacobi Geel Phil. Theor. Mag. Lit. Hum. D. et Bibliothecae Lugduno Batavae Secundi Ordinis Praefecti mihi suppeditavit

Custosque boum. De custode boum Philoetio V. Hom. Od. L. XX. vs. 185. Bergman Op. l. pag. 202.

Longaevaque Nutrix. De nutrice Euryclea, uti passim alibi, sic praecipue Od. L. I. vs. 428. Bergman Op. l. pag. 202. De Euryclea pag. 207. sq. et Od. L. XIII. init. De Eumaeo Od. L. XX. vs. 238. sq.

104. *Cura fidelis*, h. e. *fidelis custos*, uti et alias *cura* ponitur pro eo, qui curam gerit. V. Burman. ad h. l.; quomodo et tutela non tantum actum seu jus tuendi notat sed et personam, quae tuetur. V. Ovid. Metam. L. III. vs. 617. « Prorae tutela Melanthius."

105. *Inutilis armis* dicitur Laërtes prae senectute infirmior, quam ut suscipiat ad exigendos e tectis procos. Quomodo eleganter supra vs. 97. « *Tres sumus imbelles numero.*" *Imbellis* enim proprie est *bello inutilis.* Quemadmodum. « *Priami telum* IMBELLE dixit Virg. Aen. L. II. vs. 544. eodem sensu, quo vs. 510. vocaverat *ferrum inutile.* Contra UTILEM *bello Curium* dixit Horat. L. I. Od. 12. vs. 42.

106. *Hostibus in mediis.* Invidiae augendae gratia *hostes* Penelope vocat procos. cf. vs. 89. h. Ep. Sax.

Regna tenere exponitur *superiorem esse.* Rex enim, *primum, praecipuum;* Regnum *principatum* seu *principem locum* denotat. cf. vs. 89. Sic *Rex mensae* dicitur Macrob. Saturn. L. II. vs. 1, quem Cicero in Catone c. 14. *summum* vocavit, h. e. primo loco adcumbentem, ex interpretatione Ernestiana. *Regna vini* Horat. L. I. Od. 4. vs. 18. sunt, quae *magisteria* appellavit Cic. l. l., uti monuit

Nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.
Tu citius venias, portus et ara tuis.
Est tibi, sitque, precor, natus, qui mollibus annis
In patrias artes erudiendus erat.

Lambinus ad Horat. l. l. cf. L. II. Od. 7. vs. 25.

108. V. Burm. ad h. l., qui *erat* positum esse pro *esset* confirmat loco Ovid. Am. L. I. El. 7. vs. 41.

Illa tuenda. Deponens active sumtum. V. Vechn. Op. l. L. I. c. 9.

109. *Vires-pellere.* Graecismus. V. Minerv. Sanctii L. III. c. 6. n. 4. ibique Perizonius.

Inimicos rursus vocat, quos modo *hostes*, ut significaret, se nullius procorum ambitione et insidiatricibus blanditiis victam esse. Sax.

110. *Portus*, metaphora a re nautica petita dicitur Ulysses, qui domum suam, suosque adversus procorum injurias tutos praestaret; uti portus navem turbamque nauticam a procellis atque ab undarum ventorumque vi tutos praestat.

Ara Idem dicitur, quod ad eum tuto confugerent uxor, filius ac pater, dudum misere vexati; veluti altaria infortunatis ac miseris tutum praebebant perfugium, quod ab his quemquam detrahi vetitum esset. V. Serv. ad Virg. Aen. L. VIII. vs. 342. Ceterum eleganti artificio Ovidius Penelopen inducit muliebri nugacitate reditum marito rursus suadentem, ab imbecillitate patris senio confecti, aetate filii nondum corroborata, et sua muliebri infirmitate: Amplificat nempe a versu 105—110, quae compendiose dixerat vs. 97. sq.

Citius venias, fac, quam celerrime venias. Comparativus pro superlativo, Graeco more. V. Vechn. Op. l L. I. c. 5. Quomodo haec comparativorum constructio explicanda sit. V. in Periz. not. ad Sanct. Minerv. L. II. c 10.

111. *Est tibi, sitque.* Solennis adprecandi formula, qua usus est etiam Lotichius Eleg. II. Eleg. 14. vs. 57.

« Est mihi sitque precor multos diuturnus in annos,
Sospite quo semper principe, sospes ero."

Graeci idem exprimunt per ἔστι τε καὶ εἴη. V. Vigerus de Idiotismis ling. Gr. c. 5. Sect. 6. §. 15. Edit. Hoogevenii. *Sit* itaque significat, *ut diu salvus sit*, *vivat*. V. Burm. ad h. vs. Ceterum eadem verbi constructio indicativi, sequente optandi conjunctivo, hic est, quae supra vs. 83.

Mollibus annis. In adolescentia. V. not. ad vs. 98. Aetas

Respice Laërten: ut jam sua lumina condas,
Extremum fati sustinet ille diem.

enim juvenilis mollis est et flexilis et cerea praesertim in vitium flecti, ut dixit Horat. Art. Poët. vs. 163. cf. Musaeus in Hero et Leandro vs. 69.

112. *In artes erudiri* rariorem esse locutionem observat Burm. ad h. l. Vulgo nempe dicitur *erudiri ad artes*. Cic. pro Lege Manilia c. 10. In Verrem. L. III. c. 69. In his *ad* valet *ad exemplum*, ad *praescriptum*. V. Tursell. Op. l. in v. *ad*.

Artes patrias cum Hubertino intelligo *paternas*, ut loci sententia sit: « Vivit, et vivat diu, precor, filius tuus Telemachus, qui in tenera aetate erudiendus esset in artes *patrias*, h. e. artibus, quibus ipse pater imbutus uteris; non erudiendus itaque praeceptis *solum*, sed et patris praesentis exemplo: in hoc enim maxima argumenti vis est, quo Ulyssis reditum urget Penelope. Quomodo Cic. ad Familiares L. I. Ep. 7. sub finem ad Lentulum patrem scripsit. « Lentulum nostrum (filium tuum) eximia spe, summae virtutis adolescentem cum ceteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum inprimis imitatione tui fac erudias."

113. *Respice*. Uti praecedentibus versibus Ulyssis animum ad misericordiam commovere studuit Penelope a filii aetate, patris praesertim consilio regenda; ita hic argumentum petit a Laërtae patris senectute et morte ipsi inminente, qui, antequam reversum viderit filium, ut supremum praestet pietatis officium, tranquillo animo mori omnino nequeat. *Respicere* itaque hic est verbum misericordiae, uti recte h. l. observavit Hubertin. cf. Ep. III. vs. 137. Sannazarius de partu Virginis L. II. vs. 53. Sensus itaque est, auctore Saxio, V. Cl.: moveri te patere, ut cito revertaris Laërtis causa, qui jam in eo est, ut ultimum vitae terminum praestoletur; eum tamen adhuc remorari et differre videtur ad tuum reditum, ut dulcissimo claudendorum ejus oculorum officio fungi possis.

Ut jam sua. Sua pro *ejus*. V. Sanct. Minerv. L. II. c. 12. G. J. Vossius de arte Gramm. L. VII. c. 56. Heyn. in Exc. I. ad Hom. Il. L. XXIII. *Jam* significat *mox*, i. e. simulac redieris; quomodo et Hubert. adeepit. Horat. L. I. Od. 4. vs. 16. « Jam te premet nox." Cic. de Senect. c. 1. « Sed quid opus est plura? jam enim." cf. Tursell. Op. l. pag. m. 386.

Condas, i. e. claudas, comprimas. vid. vs. 102. et notata ad h. vs.

114. *Sustinet*, h. e. differt, ut monuit Burm.

Certe ego, quae fueram, te discedente, puella,
Protinus ut redeas, facta videbor anus.

115. Denique reditum marito suadet Penelope argumento a sua ipsius labente aetate et forma pereunte desumto. *Puella* enim h. l. est nupta florente aetate et formosa, cujus contrarium *anus* significat: ut sensus loci huc redeat: Certe *ego, quae* tum, cum in Trojanum bellum proficiscebaris, formosa eram et florente aetate, videbor tibi turpis, licet quam citissime revertaris.

Puella. Contraria anui. Ex h. l. patet vera vocis hujus significatio: nihil enim aliud significat, quam *feminam juvenem, sive* nuptam sive innuptam, *sive* virginem sive matrem. Oudend. Graecos etiam juvenes nuptas *puellas* vocare solitas ad Xenoph. Ephes. pag. 15. vs. 26. in v. *κορην* notat Locell. Adnot. pag. 232. Edit. Peerlk.

116. *Ut redeas*, i. e. quamvis, per ellipsin, *fac ita ut. Esto, ut redeas protinus.* V. Perizon. ad Sanct. Minervam L. IV. c. 15. n. 25. pag. 807. cf. Scheller. in praecept. Stil. b. Lat. Part. I. c. 2. n. 1.

Non possum, quin, quae ad hunc locum adnotavit Meziriacus, adponam. Ponamus, inquit, Penelopen, Ulysse discedente, viginti circiter annorum fuisse; cum hanc epistolam scripsit, quadragenaria fere fuerit oportet, qua aetate jam feminarum decrescit forma: adde molestias, quas absente marito devoraverat, immaturam illi adtulisse senectutem, uti ipsa apud Hom. Odyss. L. XIX. vs. 360. coll. Ovid. ex Ponto L. I. El. 4. vs. 47. sq. adfirmat. Praeterquam quod desiderio mariti, quem adamabat, tabescens pulcritudinem perdidisse, atque ita ante diem velut consenuisse existimari possit. *Οἱ δὲ πολεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν.* Verba sunt Theocriti Idyll. L. XII. init. sed minus recte pro forma Dorica *πολεῦντες* Meziriacus dedit *πολοῦντες.*

PHYLLIS DEMOPHOONTI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Demophoön Thesei et Phaedrae, filiae Minois Cretensium regis, filius, Atheniensis a bello Trojano in patriam rediens, maris tempestatibus in Thraciam delatus est, ubi in Edonis tum Phyllis, pulcerrima Sithonis Junioris, Thraciae Regis, filia, regnum tenebat.

§. 2. Haec eum benigne hospitio excepit, et illius amore capta omnibus modis adducere tentavit, ut se uxorem duceret.

§. 3. Interim Demophoön, audita Mnesthei in reditu a Troja morte, qui post ejectum ex urbe Athenarum Theseum imperium occupaverat, Mnestheo successurus petiit Athenas, ut res in suo regno turbatas componeret, Phyllidi fide data, se certo die, intra quatuor menses ad ejus nuptias rediturum.

§. 4. Sed multae res hujus reditum retardaverunt. Itaque Phyllis, totis quatuor mensibus praeterlapsis, statutoque die praeterito, Demophoönti hanc epistolam scripsit vel potius scripsisse fingitur, in qua ingratissimum ei vehementer exprobrat animum, et, ut promissis satisfaciat, omni ratione suadet.

§. 5. Tandem morae inpatiens ipsa laqueo usa sese suspendit; attamen post hujus necem in Thraciam reversus est Demophoön, eamque in arborem amigdalum sine foliis mutatam amplexus esse dicitur, quo facto, uti narrat Servius ad Virg. Ecl. V. vs. 10, truncus, veluti sponsi reditum sentiens, statim emisit folia. J. Meursi Regnum Atticum L. III. c. 7.

Haec vero fabula ad ea est referenda, quae primum bellum Trojanum secuta sunt, quo quidem in bello, urbe expugnata, Laömedontem regem cepit Hercules, Thesei ejusque filii Demophoöntis aequalis. V. Sabinus in Respons. Ep. II. vs. 10.

HOSPITA, Demophoön, tua te, Rhodopeïa Phyllis,
Ultra promissum tempus abesse queror.

Vs. 1. *Hospita.* Quae, te indigum, hospitio excepi, cuique ergo multis nominibus obstrictus es. V. Argum. §. 1. h. Ep. *Hospes* et *Hospita* ambiguae sunt significationis, mox pro eo

Cornua cum Lunae pleno quater orbe coïssent,
Litoribus nostris anchora pacta tua est.
Luna quater latuit: pleno quater orbe recrevit;
Nec vehit Actaeas Sithonis unda rates.
Tempora si numeres, bene quae numeramus amantes,
Non venit ante suum nostra querela diem.

eave, qui quaeve peregre advenit, hospitiumque quaerit, sumitur, mox pro illo illave, quae liberalis et facilis est ad suscipiendos hospites. Sax.

Tua. cf. not. ad vs. 1. Ep. I. Tui adhuc amans; qua quidem amoris non intermissi in prima epistola significatione ad animum Demophoöntis aditum sibi parat Phyllis.

Rhodopeïa. Thracia a Rhodope Thraciae monte, in quem conversa fertur Strymonis fluvii filia Rhodope, quod Deos contemneret. V. Metam. L. VI. vs. 86. ibique notae. Alii montem traxisse nomen volunt a Rhodope Thracum Regina, quae ibi sit sepulta: alias *Edonis* dicitur Phyllis. Ratio hujus denominationis V. in §. 1. Argum.

2. *Ultra promissum tempus*. V. §. 3. Argum. et quae dubia movet Cl. Lennep in Animadv. ad h. l. Quocum facit Vitus Loers in specim. I. ad h. vs., addens praeterea, lectionem pleno *semel* orbe, esse *omnium* Codd., si duos illos excipias, et veterum Edd. uti et not. ad vs. 9.

3. *Cornua* pro curvaturis pronuntur, ita ut cornua lunae coïre, et luna cornua cogere dicatur, cum, curvaturis lunae junctis, est plenilunium et orbis plenus adparet. cf. Vondelli Jephta act. 2.

4. *Pacta* h. e. pacto promissa. V. Lennep. ad h vs. Participium itaque passive sumitur. De deponentibus Graeca ratione passive usurpatis V. Vechn. Op. l. L. I. c. 9.

Anchora pp. est intelligenda, cujus quippe ope navis sustinetur ac retinetur.

6. *Actaeas*, i. e. *Atticas*. Attica enim olim ἀκτή, *litus*, dicta, quoniam maxima illius regionis pars ad mare est extensa et angusta; oblonga vero satis et porrecta montibus usque ad Sunium subjicitur. V. Gell. Noct. Att. L. XIV. c. 8.

Sithonis l. q. *Thracia unda*. Thracia enim regio olim Sithon a Sithone, seniore rege, dicta est. V. Gell. Noct. Att. l. l. ita ut sensus sit: Navis Attica non venit ad litora Thraciae cf. §. 3. Argum.

7. *Tempora si numeres — nostra querela diem*. Jam profecto queri non poteris de im-

Spes quoque lenta fuit. tarde, quae credita laedunt,
Credimus: invita nunc et amante nocent.
Saepe fui mendax pro te mihi; saepe putavi
Alba procellosos vela referre notos.

portuna reditus admonitione, si computabis tempora, quorum equidem numerum prae amoris adfectu meo adcuratius, quam tu, forte inii, conquestionem nec inmaturam, nec perfidiae nimis suspicacem, sat scio, criminaberis. Sax.

9. *Spes quoque lenta fuit.* *Lenta* recte exposuit Bentlejus Art. Poët, vs. 172. quae longa mora extrahitur. Ait. scil. Phyllis. « Non cito tamen te credidi perfidum, sed tenax melioris spei fui, ac summa cum patientia spem meam longissime extendi, diutissimeque speravi. Oud, cf. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

Tarde, quae — credimus. Tarde credimus ea, quae laedunt nos, quando ea credimus. Oud.

10. *Invita nunc* etc. Sicuti nunc, invita quamvis, et amans cogor credere te non rediturum, frustrata spe, quam tam longo tempore fovi, atque ideo nocet mihi quoque et dolet. Oud.

11. *Saepe fui mendax pro te mihi.* Saepe cum te tacita prae amore purgarem, comminiscererque varias retardati tui adventus causas, me ipsa fefelli; sive nimia credulitate et falsa spe producta meum ipsa animum (tui gratia, tuos tutando mores) lactavi. Sax.

12. *Alba.* Recte *alba* hic memorari vela, observavit Burmannus, quia boni ominis fuissent, uti notum est ex Aegëi et Thesëi historia. Servius ad Aen. L. III. vs. 74. « Profectus itaque est (Theseus) ad Minotaurum interimendum, pepigitque cum patre, ut, si illud monstrum vicisset, vela candida navibus daret; si forte a Minotauro fuisset oppressus, remigium cum atris velis rediret. Sed cum exstinxisset Minotaurum, oblitus, non cum candidis, sed cum nigris velis reverti coepit; et patri in specula constituto triste sui interitus signum dedit: qui exstinctum filium credens se praecipitavit in mare, unde Aegeum pelagus appellatum est.

Procellosos - notos. Speciem, inquit Hubertin, pro genere posuit, i. e. notos, ventos meridionales, qui et austri dicuntur, pro omnibus ventis; aut quia Athenis, in Thraciam navigantibus, noti sunt maxime felices. Posteriorem interpretationem meam facio ob rationes ad vs. 59. Ep. I. ex Schellero adlatas.

Procellosos, quos Ovid. He-

Thesea devovi, quia te dimittere nollet;
Nec tenuit cursus forsitan ille tuos.
Interdum timui, ne, dum vada tendis ad Hebri,
Mersa foret cana naufraga puppis aqua.
Saepe deos supplex, pro te, scelerate, rogavi,
Cum prece turicremis devenerata focis.

roïd. Ep. III. vs. 88. *nubiferos*, Am. L. I. El. 7. vs. 16. *praecipites* dixit. Sax.

13. *Thesea devovi* etc. Jam varias (Phyllis) enumerat causas morae, quae sibi in mentem venerant tum, cum nihil adhuc mali prae simplicitate et candore suo a Demophoönte metueret. Culpam enim, inquit, omnem in Thesea, patrem tuum, *contuli*, eique diras inprecata sum, quod stulta credebam, eum tibi in mora esse, sed fortasse de te retinendo pater ne somniavit quidem. Sax.

14. *Tenuit*. Simplex pro composito. V. Ep. V. vs. 49. Ep. XVIII. vs. 213.

15. *Hebri*. Thraciae fluvius est Hebrus, ex cujus arenis aurum colligitur, in quem Orphei a Ciconibus interfecti caput est projectum. Ovid. Metam. L. II. vs. 257. Timuisse itaque sese aliquando scribit Phyllis, ne in redita aquis esset submersus.

Vada fluviorum et maris sunt generatim viae et cursus, quos quis in navigando tenet. Cum vero timet Phyllis, ne Demophoön in vada Hebri incideret, suspicandum est, propter arenarum et vorticum copiam fuisse discriminis plena. V. Plut. de fluminibus pag. 1149. edit. B et C. Ovid. Fast. L. III. vs. 737. Sax.

16. *Mersa foret — naufraga*. Notandum, optimis scriptoribus hanc vocem sumi passive de nave fracta vel homine, cujus navis est fracta. *Navifragum* vero occurrere de vento, scopulo vel mari, quod fregit navem. Oud.

Cana propter spumam maris.

17, 18. *Saepe Deos* etc. Longe major, inquit Saxius, fraudis injuria in eo fuit, quod Phyllis nihil tum perfidiae metuens, non modo omnem a Demophoönte culpam abesse comminiscebatur, sed vota quoque pro incolumitate ejus tanquam amici nuncupabat.

Verborum itaque hic est sensus: Non semel sed iteratis vicibus pro tua vita atque incolumitate, cum perfidiae culpam in me jam commisisses, Deos supplex precata sum, ac praeter preces illos etiam, quantum in me fuit, ture focis inposito honoravi. cf. van Lunep in Animadv. ad h. vs.

Saepe videns ventos coelo pelagoque faventes,
Ipsa mihi dixi; Si valet ille, venit.
Denique fidus amor, quidquid properantibus obstat,
Finxit: et ad caussas ingeniosa fui.
At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
Numina; nec nostro motus amore redis.
Demophoon, ventis et verba et vela dedisti:
Vela queror reditu, verba carere fide.

18. *Turicremis focis*, In quibus tus adolebatur. Sumuntur pp. *foci* pro aris domesticis ac privatis, cum *arae* sint publicae. Hinc notum illud *pro aris et focis pugnare*. Interim vis illius vocabuli frequenter miscetur a poëtis. Ceterum Ovidius ritum cremandi tura adscribit, occupatione quadam, temporibus Heroïcis, quibus nondum fuisse usitatum probat Meziriacus ad h. l. Sax.

Devenerata sive valde venerata. Sic saepe *deprecari* est valde precari: alioquin, ut *deprecari* significat, *precibus amoliri*, *avertere*, ita et *devenerari* ponitur pro *averruncare*. V. Broukh. ad Tibullum L. I. El. 5. vs. 14. Oud.

19. *Ventos coelo pelagoque faventes*. Intellige ventos secundos, qui coelum serenant, et mare placidum reddunt.

20. *Si valet ille, venit*. Malim comma ponere post *valet*, ita: « si valet, ille venit » quia ordine grammatico praecedere debere pronomen mihi quidem videtur, ut alicujus emphaseos sit; quod si enim construas « venit, si ille valet » tertium quemdam indicare videtur.

21, 22. cf. vs. 72. sq. Ep. I.

22. *Ad caussas ingeniosa* scil. fingendas mihi, quae te, quamvis properantem ad me redire, potuerint detinere. Dicitur autem *ingeniosus ad* vel *in aliquid*, vel etiam cum Dativo *alicui*. Oud.

23. *At tu lentus abes*. Sed nimia reditus tui mora longe aliam commentandi rationem et viam me tenere cogitareque jubet, te jurisjurandi tui oblitum moras de industria et consulto nectere. Sax.

23. *Jurata* a *te* i. e. per quos jurasti, quos jurejurando in testimonium citasti.

24. *Nostro-amore* vel tuo erga me, vel meo erga te.

25. *Dare verba ventis* dissipanda scilicet, h. e. promittere aliquid, quod non vis praestare. Cf. Horat. L. I. Od. 26. init. Tibull. L. I. El. 4. vs. 17. seq. *Vela dare ventis*, expan-

Dic mihi quid feci, nisi non sapienter amavi?
Crimine te potui demeruisse meo.
Unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi.
Sed scelus hoc meriti pondus et instar habet.
Jura, fides, ubi nunc, commissaque dextera dextrae?
Quique erat in falso plurimus ore Deus?

denda: navigationem instituere, navem solvere, in altum navigare, abire.

26. *Vela carent reditu*, i. e. redire non vis.

Verba carent fide. Ex dicta interpretatione significant: Promissioni jurejurando firmatae satisfacere consulto omittis.

27. *Dic mihi quid feci, nisi* etc. *Quid — nisi* veteres dixerunt pro *quid praeterquam quod*, uti ex Festo in voce *quid* notavit Burm. ad h. l. Versuum 27 et 28 sensus hic est: Qua tandem culpa merui, ut reditus tui spe destituerer, nisi quod cito nimis ad tui amorem properaverim: hoc autem crimine, i. e. facto eo, quod mihi nunc exprobratur, credulitate nempe et inprudentia, te potui demeruisse: 29, 30. sed (fateor) peccavi, *unum in me scelus est, quod te, scelerate, recepi*, at simul contendo hoc scelus apud te idem valere debere, quod meritum, vel merito esse simile. Cf. van Schelle Hagar aan Abraham pag. 18. vs. 13, 14.

Sapienter. Sapientia, inquit Sax., hic miscetur, ut passim a poëtis et oratoribus cum *prudentia*. Judice Aristotele, sapientia tantum cadit in *intelligentiam*; prudentia in *mentem usu rerum subactam*.

28. *Potui demeruisse.* Tempus pro tempore, *demeruisse* pro *demerere* uti vs. 142. *inplicuisse* pro *inplicare*. Latini poëtae praeterito perfecto saepius utuntur, ut Graeci aŏristo primo. Hoc Graecorum idioma imitatus quoque est Virgilius Aen. L. VI. vs. 78.

« . . . . magnum si pectore posset
Excussisse Deum."

Ad q. l. Servius ita commentatur. « Est autem Attica figura, qua nos uti non convenit: hac licenter utuntur poëtae. cf. Viger. de Idiotism. ling. Graec. c. 5. Sect. III. pag. m. 214.

31. *Jura* hospitalitatis scil. quae tuebatur Jupiter Xenius: vel jurajuranda, ut vocem explicat Drakenb. ad vs. 133. Ep. XXI. cf. van Schelle Hagar aan Abraham pag. 17. vs. 9. sq. — *ubi nunc?* Interrogatio haec mirum quantum ad emphasin facit, et ad acerbissime exprobrandum Demopho-

Promissus socios ubi nunc Hymenaeus in annos;
Qui mihi conjugii sponsor et obses erat?
Per mare, quod totum ventis agitatur et undis;
Per quod saepe ieras, per quod iturus eras:

anti falsi crimen, cujus, licet falso, Demophoöntem insimulabat Phyllis. Cf. Argum. §. 5. Quae sit sublimitatis in rogando causa ac fons, docet W. Bilderdyk, Taal- en Dichtkundige Verscheidenheden D. II. Gedachten over het Verhevene pag. 68.

Commissaque dextera dextrae. Jungere dextras apud antiquos jurisjurandi instar erat, quando hic actus promissionem comitatur, uti locis adlatis probavit Meziriac in commentario ad h. Epist. et Feithius in Antiq. Homericis L. IV. c. 17. §. 4. Ceterum dextra fidei sedes habebatur eique consecrata, uti patet ex iis, quae ad Virg. Aen. L. III. vs. 607. adnotavit Servius. „Physici dicunt esse consecratas Numinibus singulas corporis partes, ut aurem memoriae, frontem genio, dextram fidei, genua misericordiae, unde haec tangunt rogantes."

32. *In fulso-ore.* Cf. Ep. I. vs. 17.

33. *Hymenaeus* Deus est Nuptiarum praeses, Uraniae filius habitus, uti vel ex hoc uno loco patet, qui et alias Hymen dicitur: ponitur et Hymenaeus pro cantico nuptiali et pro ipsis nuptiis. Vid. Lexicographi. Quidam Hymenaeum virum Atticum fuisse dicunt, qui raptas a latronibus virgines parentibus restituerit intactas, ideoque in nuptiis ejus nomen invocari, tanquam Virginitatis defensoris, vocemque hanc nuptialem factam apud Graecos, quemadmodum Romani in nuptiis Thalassii nomen invocant. Liv. Hist. L. I. c. 9. et Serv. ad Virg. Aen. L. I. vs. 651. Non desunt tamen loca, in quibus poëtae Latini Graecos imitati etiam Hymenaeum invocarunt v. g. Catullus in Carm. Nupt. 60, 61.

Loci sensus hic est: Ubi nunc Hymenaeus a te promissus, qui nos conjugali copula conjungeret, ut in posterum unanimes viveremus?

34. *Qui mihi* etc. Translatio, inquit Hubertin., ab hominibus sumta. Sicut enim sponsor i. e. vas, qui pro alio promittit, et obses, qui datur in tutelam fidei, confirmant contractum; ita Hymenaeus invocabatur, ut conjugalis societatis perpetuae certus esset quasi sponsor et obses. cf. Meziriac in commentario.

35. *Ventis et undis.* Malim interpretari per figuram ἐν διὰ δυοῖν, *Ventis undosis.* Recte

Perque tuum mihi jurasti, (nisi fictus et ille est)
Concita qui ventis aequora mulcet, avum:
Per Venerem, nimiumque mihi facientia tela,
Altera tela arcus, altera tela faces:
Junonemque, toris quae praesidet alma maritis,
Et per taediferae mystica sacra Deae.

homo potest jactari *ventis* et *undis*, sed, an mare possit jactari *undis*, *quibus constat*, id demum probandum est. Sax

37. *Nisi fictus et ille est.* V. Animadv. D. Jac. Lennep. ad h. l.

38. *Mulcere aequora* i. e. mare iratum, ventis concitatum, saevum, mollire, lenire, placare.

39. *Nimium mihi facientia*, i. e. nimium negotii facessentia. Ceterum de telis seu armis Cupidinis omnia notissima. cf. Ovid. Am. L. I. El. 15. vs. 27. Moschi ἔρως δραπέτης. et Higthii carmen Trochaïcum in *reditum veris*.

41. *Junonemque* etc. Juno nempe Jovis soror et conjux matrimoniis praeërat, tumque *pronuba* vocabatur. Virg. Aen. L. IV. vs. 59, 166. *Toris-maritis*. Adjective usurpatur vox *maritus*, uti est vi sua, de qua V. Sanctii Minerv. L. IV. c. 4. in v. *Vir*, ac significat *maritales* seu *conjugales*. Oud.

Alma. Omnia, quae ad naturam rerum, ejusque vires, causas, effecta spectant; veteribus Graecis sunt θεῖα et ἱερά, Romanis *alma*. Notione per se non satis explicita, ad sensum tamen movendum et tanquam religioso horrore perfundendum potenti. Heyn. in Exc. IX. ad Hom. Il. L. I. vs. 529. Festus in v. interpretatur *sancta*, *pulcra* vel *alens* ab alendo scil. Oud. *generans*, *fovens*.

42. *Mystica sacra Deae*. Intellige sacra Cereris Eleusiniae. Ceres enim taedam manu ferens depingitur, quod face in Aetna accensa, raptam filiam Proserpinam ubique quaesivisse fertur. Cereris Eleusiniae Numen Atheniensibus praesentissimum habebatur, quare per hujus sacra jurare Demophoöntis personae maxime convenit, uti et hic observavit Heins. et Meziriac in commentario. *Mystica Sacra* dicuntur, quasi *arcana* et *seclusa*, quo sensu vox in religione ponitur, cujus denominationis ratio est, quod Cereris sacra summo celebrabantur silentio. De Eleusiniis V. F. Creuzeri V. Cl. Symbolik und Mythologie der Alten Völker etc. Tom. IV. §. 16.

Si de tot laesis sua numina quisque Deorum
Vindicet: in poenas non satis unus eris.
At laceras etiam puppes furiosa refeci:
Ut, qua desererer, firma carina foret.
Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires.
Heu patior telis vulnera facta meis!
Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis.
Credidimus generi, nominibusque tuis;

pag. 480. et Auctores ab eodem cit.

43, 44. *Si de tot* etc. i. e. si quisque Deorum, quos laesisti innumerabiles, meritas a te expetat poenas, non tu solus in his satis eris, sed tot corpora ad poenas te habere oportebit, quot laesisti numina.

45. *At*, indignantis est, observante Heinsio. cf. Propert. L. II. El. 17. vs. 1. et Ovid. Ep. XII. vs. 1. et alibi. Turselin. Op. l. in voce.

Laceras etiam puppes furiosa etc. His verbis, inquit Sax. V. Cl., gravissimum inest πάθος miserationis a recordatione beneficiorum in damna sua versorum sumtum: quasi dicat «eone usque furoris et insaniae progredi potui, ut ipsa praeterea juberem navigia reparari et in integrum restitui, quibus me, scelerate, relinqueres." cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 373. sq.

47. *Remigiumque dedi.* Augetur beneficii male collocati poenitentia alius etiam majoris commemoratione: arma quippe navium et nautas dederat, quo commodius celeriusque hospes perfidus aufugeret. Sic arma junguntur remigio apud Virg. Aen. L. III. vs. 471. Sax.

Quo me fugiturus. Summa haec denotantur invidia; quasi abierit furum et latronum more, qui non discedunt, sed clam omnibus se in fugam conjiciunt. Sax.

48. *Heu patior.* Est translatio ab iis desumta, qui hostem suis instruunt armis; navem enim Demophoöntis refecerat Phyllis, qua se optime de eo meritam fugiturus abiret.

Telis. Telum est omne, quo quis cominus eminusve se defendere potest, et *telum* pro gladio videtur usurpasse Ovidius Epist. Phyllidis. Van Staveren ad Nep. Datamem c. 11. n. 1.

49. *Credidimus blandis* etc. Nunc culpam omnem, quam antea a Demophoönte averterat, in eum larga manu confert, credulitatem simul suam excusans: scil. captam se fuisse ait ejus oratione ad fallendum idonea. Sax.

50. *Generi, nominibusque.* No-

Credidimus lacrimis. an et hae simulare docentur?
Hae quoque habent artes, quaque jubentur, eunt?
Dis quoque credidimus. quo jam tot pignora nobis?
Parte satis potui qualibet inde capi.
Nec moveor, quod te juvi portuque locoque.
Debuit hoc meriti summa fuisse mei.

bilitati tuae domus, ex qua mihi persuadere non potui, virum perfidum nasci posse. Hubertin.

51. *Credidimus lacrimis* etc. Credulitas, inquit, nostra tanto plus excusationis habet, quo minus sibi persuadeat aliquis lacrimas infucati posse animi esse indices: proin jure quaerit prae simplicitate sua, an et hae simulare docentur, an etiam lacrimae his artibus instruuntur et effinguntur, ut doloris, vel amoris, vel desiderii, vel aegritudinis cujuscunque desinant esse interpretes. Ad libidinem fundi posse nesciebat adeo Phyllis. Sax. cf. Van Schelle Thamar aan Amnon pag. 36. vs. 20.

52. *Hae quoque habent artes.* Vis orationis haec est: Nunc disco, quod ut crederem, numquam in animum induxissem, lacrimas sine dolore, conquestione, incommodorum inpatientia et miseratione cito profundi, cito arescere et ad omnes temporum species versutia quadam accommodari posse. Sax. Unde interrogationi tanta in animos vis sit, Longini verbis docet La Harpe Cours de Lit. Tom. I. pag. 103.

Quaque. Subaudi *ratione.* Turnell. Op. l. in v.

Eunt. Poëtice: alias fluunt, labuntur, manant.

53. *Dis quoque credidimus.* Subjungit gravissimam credulitatis suae defensionem in fide Deorum sitam, quam elevare vel levissimis suspicionibus quis mortalium ausit? Attamen *quo jam tot pignora nobis*, quid mihi nunc tot pignora et sponsores prosunt, aut cui bono mihi tot pignora data fuerunt, cum unum vel homini *candido* ad fidem conciliandam, vel *levi* ad fraudem, feminamque decipiendam sufficeret; nam quodcunque ex his selegeris, idoneum fuisse ad me irretiendam putato; id est, quod subnectit, *parte satis* etc. Sax.

Quo jam etc. *Quo* est dativus antiquus. Olim scripsere *quoi*, intellige *usui* vel negotio. V. Perizon. ad Sanct. Min. L. III. c. 14. pag. m. 486.

54. *Inde.* i. e. eorum pignorum sive ex iis pignoribus. V. Turnell. in v.

55. *Nec moveor*, poenitentia scil. Deprimit Phyllis haec beneficia, ut sequentia amplificando ma-

Turpiter hospitium lecto cumulasse jugali
Poenitet, et lateri conseruisse latus.
Quae fuit ante illam, mallem suprema fuisset
Nox mihi: dum potui Phyllis honesta mori.
Speravi melius, quia me meruisse putavi.
Quaecumque ex merito spes venit, aequa venit.
Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria. simplicitas digna favore fuit.

jora videantur. Quasi dicat: « Non me movet, non poenitet, quod te hospitio urbis et domus meae adjuverim, sed quod beneficiis, quae jam tanta erant, ut a me majora proficisci non possent (id enim sibi vult verbum *cumulare* vs. 57.) tamen lecti mei addiderim societatem. cf. Scheller Aanleiding tot eene Taal en Oordeelkundige Verklaring der Ouden in v. *cumulus* pag. 42. Cod. Trev., inquit Loers in spec. l., firmat lectionem *hoc* scil. quod te juvi portuque locoque.

57. *Lecto-jugali.* Ita a poëtis concubitum dictum ex hoc versu patet, tum ex Virg. Aen. L. IV. vs. 496.

58. *Conseruisse.* Honesta est concubitus descriptio, ut Ep. XIX. vs. 138. Nam *consero*, *conserui* significat *conjungere*, *committere*, *connectere*, *componere*. Oud.

60. *Dum potui Phyllis* etc. Optimo jure interrogat Julia in responsoria ad amantem, quae est quarta in opere Rossavii, cui titulus, *la nouvelle Heloïse* Tom. I. pag. m. 46. « Est il une mort plus cruelle, que de survivre à l'honneur? » cf. Sophocl. Trachin. vs. 734. Van Schelle Thamar aan Amnon. vs. 3. sq.

61. *Speravi melius* etc. Rursus ad excusationem credulitatis suae relabitur, non temere inquiens se sperasse honestiora, quod, quaecunque in Demophoöntem beneficia contulerat, honesta liberalitate dedisset, cui quis somnietur vel perfricatae frontis hominem non modo non vicem redditurum, sed benefacta perfidiae maleficio compensaturum esse. Spes igitur mea, quia ex merito, sive beneficiorum memoria nascebatur, justa concipiebatur. Alioquin *meritum* vs. 62. vocabulum μεσον est, accipiturque vel in bonam vel in malam partem; in illam h. l., in hanc Ep. II. vs. 7. Sax.

63. *Fallere credentem* etc. Fac me credulam fuisse, quid negotii vel laudis est puellam ludificari; etenim simplicitas sive candor, animusque omnis fu-

Sum deceptа tuis, et amans et femina, verbis. 65
Di faciant, laudis summa sit ista tuae:
Inter et Aegidas media statuaris in urbe:
Magnificus titulis stet pater ante suis.
Cum fuerit Scyron lectus, torvusque Procrustes,
Et Sinis, et tauri mixtaque forma viri; 70

---

ca et malignitatis expers veniam et humanitatem meretur, non insidias, non dolos. Simplicitatem vs. 64. non tam proprie stuporem et ingenii tarditatem significare, quam naturalem quamdam bonitatem ingenuitatemque, et versutiae opponi, cum ex sexcentis Veterum locis, tum ex Ep. XVI. Heroïd. vs. 314. adparet. Sax.

65. *Et amans et femina.* Geminam itaque Phyllis adducit causam, quod adeo facile se decipi passa sit; desumto priore argumento ab amore vehementi, qui non sinebat mali quid de Demophoönte suspicari; posteriore a sexus feminei imbecillitate.

66. *Laudis summa sit ista tuae* h. e., Hubertino interprete, utinam nihil aliud unquam facias, quod sit laude dignum. Di impediant, inquit Sax., quo minus ulla re alia quam simili fraudis genere nomen tuum innotescat. Sic majorum tuorum gloria obscurabitur, sic commemorabere ad posteros, ut mendax, et pudicitiae muliebris insidiator.

67, 68. *Inter et* etc. — *Magnificus* etc., i. e. Dii faciant, ut statua tua collocetur in media Athenarum urbe inter majores tuos, qui ab Aegeo Athenarum rege fuerunt, sed *ante* i. e. primo loco pater tuus in statuam erectus splendeat titulis suis, i. e. rebus a se gestis, quae statuae basi insculptae leguntur. Ita enim posita Demophoöntis statua, fieri aliter non poterat, quin illius dedecus esset testatius.

Media-in urbe. Ratio, cur media in urbe poni jubeat Poëta, haud dictu facilis est. Ab eleganti Poëta temere aliquid scribi, vix est, ut credamus. Fortassis Prytaneum, nobilis illa curia Atheniensium, meditullium urbis occupabat, ubi videntur collocatae fuisse nobilissimorum virorum statuae, uti apud Romanos in foris et curia. Sax.

Statuaris. Imitatione Graecorum. Latini enim, monente Saxio, non ita loqui amant *aliquem statuere* pro statuam alicui ponere; frequenter autem, statuam alicui statuere, pro statuam alicui ponere. V. Plaut.

Et domitae bello Thebae, fusique bimembres,
Et pulsata nigri regia caeca Dei:

in Bacchid. Act. IV. Sc. 4. vs 1. Cic. Phil. V. c. 15. IX. c. 5.

69. *Cum fuerit Scyron lectus* i. e. modus, quomodo Theseus Scyronem interficeret. Fuit autem Scyron insignis latro, qui praetereuntes in mare praecipitabat. Cf. Hygin. fab. c. 38. Hunc Theseus pari leto in mare dejecit.

Procrustes, quem Theseus etiam interfecit, fuit latro famosus, qui hospites in suo ipsius lecto sternebat, iisque pedum partem, quae modum lecti excedebat, amputabat, aut actis in diversa equis miseros distrahebat.

70. Occidit et hic Heros *Sinin*, qui curvatis arboribus homines adligabat, easque dein relaxando inmaniter dilacerabat. Hi tres latrones in ea degebant regione, quae inter Isthmum Corinthiacum et Athenarum urbem est.

Et tauri mixtaque forma viri, Minotaurus, monstrum ex homine tauroque mixtum, cui devorandos mittere quotannis septem pueros sorte lectos cogebantur Athenienses, qua eos poena victor Minos, rex Cretae, cujus filium Androgeum interfecerant, multaverat. Hoc monstro interemto, Ariadnen Minoïs filiam, cujus ope labyrinthi, in quo erat Minotaurus, effugerat ambages, secum abstulit Theseus, eam tamen in Naxo insula, Cycladum una vino nobilitata, deseruit, destitutamque Bacchus duxit uxorem. Cf. vs. 75 — 80. et Serv. ad Virg. Aen. L. III. vs. 74.

71. *Domitae bello Thebae.* Creon rex Thebanus, qui in praelio mortuos sepeliri prohibebat, ab eodem Theseo est interfectus. De belli Thebani causa et eventu V. Hyginus fab. 68.

Fusique bimembres sunt Centauri, equites adeo strenui, ut in equis sedentes unum cum iis corpus esse viderentur. Hi cum Lapithis, itidem Thessaliae populo, in nuptiis Perithoi et Hippodamiae moverant rixam temulenti, et ingentem Lapitharum caedem ediderant. Illorum autem proterviam ac libidinem Perithous, qui Lapithis praeërat, adjuvante Theseo ultus est. V. Hyginus fab. 33.

72. *Et pulsata* etc. Theseus, uti narrant poëtae, cum Perithoö, ut Proserpinam abduceret, inferos adiit. Pluto, re cognita, utrumque comprehendit et vinculis oneravit: in iis haesit Perithous, sive ut alii narrant, a Cerbero devoratus est: Theseum Hercules, cum Cerberum rapturus inferos adiret, liberavit, et in bello suscepto contra Amazones, femi-

Hoc tua post illam titulo signetur imago:
Hic est, cujus amans hospita capta dolo est.
De tanta rerum turba, factisque parentis,
Sedit in ingenio, Cressa relicta tuo.
Quod solum excusat, solum miraris in illo.
Heredem patriae, perfide, fraudis agis.

nas Scythicas, bella gerentes et sine viris habitantes, habuit adjutorem, quarum reginam Hippolyten ipsi uxorem dedit. Hygin. fab. 79. Dorn Seiffen. op. l.

Pulsata, ut aperirentur ipsi fores, atque a Plutone, Deo illo nigro, proprio scil. inferis colore, Proserpinam peteret uxorem Perithoö. Oud.

73. *Post illum.* cf. Adn. ad vs. 67. h. Ep. Adsentior Vito Loers in d. spec. ad. h. vs. dicenti, lectionem *post illos* sibi germanam, atque ad sententiam locique rationem aptissimam videri. Qui Vir Doctissimus ita pergit: «Dicit Poëta *stet pater — titulis suis*, tum titulos illos inde a vs. 69 — 73 enumerat, quos cum modo tam copiose exposuisset, ad eos quasi solos vel potissimum respiciens dicit *post illos* pro *post illum cum his titulis*; id quod eo magis probandum videtur, quia lector illud *stet pater ante*, interposita illa rerum a patre gestarum enumeratione, quasi e conspectu amisit, quum contra *tituli* ei maxime ob oculos versantur; accedit vis, quae inest in ipsa positione illius *hoc* in versiculi initio. Saltem mutandi necessitas, a qua tamen omnis mutatio proficisci debet, nulla apparet.»

74. *Amans hospita.* Gravissima in eo decipientis culpa ac scelus latet, quod amantem feminam et hospitem fefellerit. Sax.

76. Vid. not. ad vs. 70.

Sedit in animo tuo semper, indesinenter obversata est, tibi in memoria haesit. cf. Scheller Praec. Stil. b. Lat. Part. I. c. 2. sect. 6.

Relicta respondet verbis proxime antecedentibus, *De tanta rerum turba.*

77. *Quod solum excusat.* Sensus est: Quod pater tuus Theseus in se culpat et reprehendit, hoc tu solum *miraris*, h. e. rem egregiam ducis, ac praeclare factum existimas, eoque et imitatione dignum putas. Micyll. cf. Serv. ad Virg. Aen. L. VIII. vs. 517. et Epist. VI. vs. 139.

78. *Heredem.* cf. Ovid. A. A. L. III. vs. 459. *Heredem - agis*, te geris, ut heredem patriae fraudis, talem te profiteris, et ejus partibus fungeris. Alio-

Illa (nec invideo) fruitur meliore marito;
Inque capistratis tigribus alta sedet.
At mea despecti fugiunt connubia Thraces,
Quod ferar externum praeposuisse meis.
Atque aliquis; Doctas jam nunc eat, inquit, Athenas,
Armiferam Thracen, qui regat, alter erit.

quin rectius et purius dicitur *partes agis heredis.*, ut ipse Ovid. in Remed. Am. vs. 524. Illo enim modo Cicero non facile dixerit *agere Consulem*, *agere amicum* vel *pro equite se agere*, talium honorum personam aut munera sustinere. Sax.

79. *Nec invideo.* His verbis arrogantiam vel reprehensionem a se amovet Phyllis. Qua de forma leg. Spanhem. ad Callimachi Hymn. in Apoll. vs. 307. cf. ab Oud. cit. Virg. Ecl. I. vs. 11. Ovid. Trist. L. I. El. 1. vs. 1. Epist. ex Ponto L. I. Ep. 8. vs. 8.

80. *Alta.* Conspicua, celsa.

Tigribus. Tigres enim Bacchi currui subjungunt poëtae, quia vinum, excusso rationis imperio, intemperantes ira et furore incendit, ac belluis simillimos reddit. Cf. Ovid. A. A. L. I. vs. 525. sqq. Non autem, inquit Oud., sedit Ariadne in tigribus capistratis, sed in curru ab iis vecto: sic enim solent Romani et Graeci equos aliasque bestias dicere pro curru ab equis aliisque tracto. V. Ovid. Ep. VIII. vs. 105. A. A. L. I. vs. 214. Rem. A. vs. 258.

Capistratis. Adjectivum hoc nullibi, quantum scio, nisi in hoc loco occurrere observat Sa-xius.

81. *At* conjunctio adversativa; quasi dicat: non ita mihi evenit, sicut Ariadnae. Hubertin. cf. Tursell. Op. I. pag. 142.

Despecti dicuntur Thraces, quod iis Demophoönta praetulerat Phyllis, ut ex versu sequenti adparet. Non comparat se Ariadnae, sed statum suum multo deteriorem depingit, quod egregie facit, quod ab iis, quos ante contemsisset, jam ipsa contemnatur. Cf. animadv. Cl. Lennepii.

82. *Quod ferar* etc. Quod dicar externo atque ignoto nubere maluisse, quam Thracum viro principi.

83. *Atque aliquis* etc. Rident adhuc fortunam meam proci Thracici, neque desunt in his, qui me nunc Athenas, ad egregium illum promissorem, ire jubent, ut majorem certioremque ab elegantia et blanditiis Atticis, quam Thracica rusticitate virtuteque, fructum capiam. Tacita enim et obliqua subsannatio quaedam in voce *doctas*

Exitus acta probat. careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat. 85

subesse mihi videtur; quasi dixerint: ferre possumus Atticos, artibus, ingenio, ceteris praestare: nos tamen armis, re et factis potiores sumus." Quemadmodum etiam Romani cum Graecis contendebant apud Virg. Aen. L. VI. vs. 848. sq. notumque est Livii de Graecis judicium L. VIII. c. 22. *gentem* vocantis *linguae magis strenuam quam factis.* Proinde aestimaverim, *doctas* non tam in bonam quam in malam rem sumi, quasi ad mendacia et vanitatem doctas. Cf. Cic. ad Quint. Fratr. L. V. Ep. 2. Hoc si sumatur, nexus verborum et irrisio Thracum rectius constabit, « Eo, inquientium, abeas Phylli! ubi sermonis lepos, ingeniorum acumen blandienti copia dominatur. *Thracen* Graeco more pro *Thraciam* armiferam, elegantiarum illarum expertem, et ob armorum tractationem tantum non rudem alius pro te gubernabit. Sax.

Jam nunc, pro *jam*, ex hoc tempore, seu, quod barbare dicitur, ex nunc. Vid. Turnell. Op. L. in v. *jam*. Cf. Horat. L. III. Od. 6. vs. 23.

Doctas-Athenas. Athenas foecundissimam doctrinarum fuisse matrem, nemo nescit; hinc hoc epitheto plurimum ornatur. V. Propert. L. I. El. 6. vs. 13. L. III. El. 20. init.

85. Quid si post haec Ovidii verba « *Exitus acta probat.*" interrogationis ponatur signum, hoc modo; « *Exitus acta probat?*" hoc sensu: Ariadnae bene evenit quod a Theseo, quem amabat, destituta est: haec honorata jam est Bacchi uxor: at mihi male cessit, quod a te, quem amo, sum decepta et destituta; contemnor enim a meis popularibus. An igitur *exitus acta probat?* An igitur de factis judicium ex eventu ferendum? Minime vero; facta non sunt *notanda* i. e. judicanda ab eventu. At vero id est hominum ingenium. Mox, ubi redieris, iidem, qui nunc me reprehendunt, laudabunt, mihi meisque bene me consuluisse dicent. V. quae ad h. vs. notavit Lennepius.

Careat successibus opto, i. e. mihi illi eveniat.

86. *Ab eventu*, i. e. *ex* vel *propter eventum*. cf. cit. *Animadv.* et Turnell. Op. l. in voce *ab* pag. 8.

Notanda, judicanda. Recte monuerunt Viri docti *notare* in malam partem poni pro *reprehendere*, *arguere*, ac proprie de Censoribus. Nec tamen perpetuum est. cf. Burm. ad h. l.

At si nostra tuo spumescant aequora remo,
Jam mihi, jam dicar consuluisse meis.
Sed neque consului: nec te mea regia tanget,
Fessave Bistonia membra lavabis aqua.
Illa meis oculis species abeuntis inhaeret,
Cum premeret portus classis itura meos.

87. *At.* Vid. quae ex Hubertini commentariis ad vs. 81. hujus Ep. adnotavimus.

Spumescant aequora remo. Latet in his verbis graphica euntis in mari cum impetu navigii imago. Spumescunt aequora remo propter adsiduos remigantium impulsus et cursus incitationem. Sax.

88. *Jam* pro *mox* vel *statim. Jam*, inquit Tursell. Op. l. pag. 336., futuro tempori junctum magnam celeritatem promittit. Sic Liv. L. III. c. 68. « Ante portas est bellum, si inde non pellitur, jam intra moenia erit."

89. *Sed neque consului.* Jam vero duplex mihi malum evenit. Primum, quod oblita mei et meorum incuriosa ab iniquis censoribus dicar: alterum, quod te careo. Sax.

Nec te mea regia tanget. Per enallagen, pro: nec tu tanges meam regiam, non redibis. Vid. cit. Animadv. ad h. vs.

90. *Fessave.* Disjunctivae negationibus subjectae, etiam ipsae negandi vim habent. Micyll. Quod vero ad verba « *membra lavabis aqua*" adtinet: respicit Poëta morem in Graecia usitatum, quo advenas hospites lavare solebant. V. Everh. Feithius Antiq. Hom. L. III. c. 13. §. 6. *Lavabis membra* significat itaque i. q. lavandum te praebebis. Sensus loci: nec in Thraciam redibis.

Bistonia. Thracia: Bistones enim, veteres Thraciae incolae, dicti a rege Bistone, Martis et Callirhoës filio, qui Bistoniam in Thracia condidit.

91. *Illa meis* cet. Ad novum, sed molle, tenerum, et flexibile argumentum delabitur Phyllis, periculum factura, an imago abitus ejus rursus inducta durissimum hostem mansuescere, et ad redeundum incitare possit. Quoties enim, inquit, animum meum subit recordari abitionis tuae, cum naves jam in eo essent, ut e portu meo solverent, toties, quam immutata spes, quanta temporum et ingenii tui discrepantia ab istis moribus sit, cogito et miror; tunc enim habitus, vultus, vox, omnes amoris, benevolentiae, studiorum testes in promtu: nunc silentium, mora, duritiës, mei fuga, cuncta

Ausus es amplecti, colloque infusus amantis
Oscula per longas jungere pressa moras:
Cumque tuis lacrimis lacrimas confundere nostras;
Quodque foret velis aura secunda, queri:
Et mihi discedens suprema dicere voce;
Phylli, face exspectes Demophoönta tuum.

spei inanissima et perfidiae plena. Sax.

Inhaeret. cf. adn. ad vs. 67. h. Ep. Species itaque ita adhuc menti meae obversatur, quasi oculis praesens videam. Oud.

92. *Premeret portus.* Stationem in portu nondum reliquisset.

93. Recenset nunc Phyllis blanditiarum modos, quibus Demophoön discedens ipsam demulserat. Sax.

Ausus es. Tu, qui nunquam me revisurus abibas, *ausus es*, i. e. tam foedum tamque famae tuae jure officiens facinus perpetrare sustinuisti, ut me amplectereris. cf. not. ad vs. 41. Ep. I. Ceterum verbum *audere* mediae est significationis, uti et adjectivum verbale *audax*.

Infusus. Metaphora a rebus liquidis desumta. Significat aliquem, qui toto, ut ita dicam, corpore alterius collo incumbit.

94. *Per longas - moras.* Non rapta, properata oscula, sed presse infixa.

Jungere est dantis et accipientis. Sax.

95. *Cumque tuis* etc. Ausus es meas lacrimas, veri amoris indices. cum tuis amicitiam mentientibus et infucatis nequiter miscere, quasi confundere vera cum falsis.. *Confundere* h. l. sumitur sensu maxime proprio, quasi simul fundere. *Fundere* autem *lacrimas* frequentius, *confundere*, sive alterius lacrimis suas jungere, rarius, et nescio, an alibi usurpatum. Sax.

96. *Secunda*, favens proprie *aura*, quae sequitur navem. *Secundus* enim vel *sequundus* est a verbo *sequor*, cujus activum *sequo* olim fuit in usu et significavit *dico*. V. Gell. Noct. Att. L. XVIII. c. 9. cit. a Cl. Scheidio in Animadv. ad Anal. L. Graec. V. Cl. Lennep pag. 434. Eo itaque, inquit Sax., processit incredibilis calliditas et simulationis impudentia tua, ut etiam vento secundo succenseres, adversumque malles, quae justa remanendi commorandique mecum tibi causa foret.

98. *Face exspectes. Facere*, sequente subjunctivo, singularem quamdam curam, subitam rei peragendae significationem indicare videtur. cf. Ep. XIII. vs. 144.

Exspectèm, qui me numquam visurus abisti?
Exspectem pelago vela negata meo?
Et tamen exspecto; redeas modo serus amanti:
Ut tua sit solo tempore lapsa fides.
Quid precor infelix? jam te tenet altera conjux
Forsitan, et, nobis qui male favit, amor.
Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti.
Hei mihi! si, quae sim Phyllis, et unde, rogas.

. . . . . referas ista, face, arma Jovi,

et Ep. XVII. vs. 158.

« Quam primum, dixi, fac rediturus eas,"

Nep. in Pausan. c. 2. Cic. Ep. ad Atticum L. IV. Ep. 6. ad Div. L. IX. Ep. 17. Scheller Praecept. St. b. Lat. Part. I. c. 9. n°. 4. p. 443.

Hujus itaque loci sententia erit: Phylli, studiose exspectes Demophoönta tuum cito vel quam primum rediturum.

99. *Exspectem.* Indignabunda loquitur Phyllis. Ceterum eleganter praesens pro futuro ponitur, ita tamen, ut ipsum futurum in subjunctivo proprie non insit, sed in ellipsi latere subpressum videatur. Intelligi nempe potest *erit ut.* V. Periz. ad Sanct. Minerv. L. I. c. 13. n°. 4.

100. *Vela negata*, scil. a te, quibus remeare et transire pelagus *meum*, h. e. mare Thracium pertinaciter negas. Sax.

101. *Et tamen exspecto.* En constantiam amantis, quae extrema omnia praestolatur potius, quam ut animum a fide demoveat vel despondeat, atque sic videtur utcunque puella cum simulatore in gratiam redire velle, quoniam haud refugit exspectandi molestiam. Sax. Elegans, inquit Oud., est revocatio sui ipsius, quia adhuc amat eum.

Modo. Tantummodo, etiam. Tursell. Op. l. pag. 478.

102. *Lapsa.* Verbum *labi* aptum Phyllidi, quae Demophoöntis fidem solo tempore, non voluntate aberrasse et exspectabat et optabat. Lenis enim τοῦ *labi* significatio frequens est.

103. *Jam te tenet.* cf. vs. 75. Ep. I.

104. *Nobis qui male favit, amor*, i. e. frustra precor; nam forte altera conjux (ulnis) te tenet: cf. Epist. III. vs. 117. amor nobis adversus, cf. vs. 117., reditum tuum prohibet.

105. *Ut tibi excidimus*, memoria scil. vel animo, i. e. postquam mei omnino es oblitus.

Puto. Supple *ut*, uti Graeci οἶμαι pro ὡς οἶμαι.

106. *Si quae sim — et unde.*

Quae tibi; Demophoön, longis erroribus acto
Threïcios portus hospitiumque dedi:
Cujus opes auxere meae: cui dives egenti
Munera multa dedi, multa datura fui.
Quae tibi subjeci latissima regna Lycurgi;
Nomine femineo vix satis apta regi:
Qua petet umbrosum Rhodope glacialis ad Haemum;
Et sacer admissas exigit Hebrus aquas.

Vulgata contemtus et vilitatis formula, qua ignotos appellare consueverant. Sic Virg. Aen. I. I. vs. 369.

« Sed vos, qui tandem, quibus aut venistis ab oris?" Ubi τὸ *tandem* vehementiori inservit animi commotioni. Burm. cf. Terent. Andr. Act. IV. Sc. 1. vs. 11.

107. *Quae tibi* etc. Responsio est ad Demophoönta quasi interrogantem, quaenam esset, ut per hunc transitum sua ei merita exprobrare possit. cf. Ep. XII. vs. 21. Oud.

108. *Threïcios portus.* Ἐφορμεῖς accipe, ut dona sua magis adtollat Phyllis. Ego, inquit, tibi cum maris fluctibus diutissime luctanti et portus et hospitium dedi, idque in Thracia, unde Lycurgus hospites arcebat non solum, sed, si advenissent, interficiebat. V. Burm. ad vs. 111.

109. *Dives egenti.* Rectissime contraria conjunguntur, ut eo clarius eluceat discrimen.

110. *Multa* cum emphasi repetitur.

112. *Nomine femineo.* Quia, inquit Hubertin., haec regna habent viros bellicosos et feroces, qui muliebre imperium vix ferre possunt. V. Pompon. Mela de situ orbis L. II. c. 2.

113. *Qua*, mundi parte scil. V. Sanct. Minerv. L. IV. c. 4. pag. 625.

Patet. Extenditur. Hubertin.

Rhodope glacialis. Quae, ut canit Ovidius Metam L. II. vs. 222., cum Phaetontis temeritate et culpa mundus ardebat, tandem nivibus caruit. Mons est Thraciae, uti et *Haemus*, de quo cf. Callim. Hymn. in Dianam vs. 114. et Spanh. ad h. vs.

114. *Sacer — Hebrus* dicitur, quod fontes et flumina suos habere Deos credebantur. cf. Heins. et Horat. L. I. Od. I. vs. 22. et a Sax. cit. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Apoll. vs. 112. Ael. V. H. L. II. c. 33. et VV. DD. in not. ad l. c.

Admissas — aquas, quae citato cursu feruntur. V. not. ad Ep. I. vs. 36.

Exigit, i. e. expellit, effundit in mare Aegeum e regione Samothraciae insulae.

Cui mea virginitas avibus libata sinistris, 115
Castaque fallaci zona recincta manu.
Pronuba Tisiphone thalamis ululavit in illis,
Et cecinit moestum devia carmen avis.

115. *Avibus-sinistris*, i. e. infelici omine. Aves enim a sinistra parte volantes malum quid portendebant apud Graecos. Sinistra autem mundi pars erat habita, quae occasum, dextra, quae ortum spectabat. V. Ev. Feithius Antiq. Hom. L. I. c. 16. p. 128. seq. et auct. ibi cit. Meziriac. in comment. Contrarium apud Romanos fuit. V. Not. ad Plinii Panegyricum c. 5. et Fest. in v. *scaevum* et *sinistrae aves*. Köppen Erklär. Anm. zum Hom. Il. L. II. vs. 353. et ibi cit. Ernesti in clave Cic. v. *Sinister* et ad h. vs. Cl. Lennep.

Cui-libata, i. e. a quo primum erepta. *Libare* proprie solemus, quidquid leviter gustamus, et primis veluti labris attingimus. Sax.

116. *Zona* etc. Solebant enim viri prima nocte sponsae zonam solvere, quam Graeci Veneri, Latini Junoni Cinxiae vel Deae Virginensi sacrabant. Schrader. ad Musaeum c. 20. pag. 349. Zona haec etiam *cestus* dicta; unde *incestae* nuptiae appellatae *prohibitae*, *non legitimae*, in quibus *cestus* non est adhibitus. Ciofan. cf. Horat. L. III. Od. 6. vs. 23. Schrader. ad Musaeum c. 18. pag. 317. et c. 20. pag. 340. Rationem, quare zonam solverint mariti, reddit Festus in v. *cingulo*.

117. *Pronuba*. Poëtae nempe infaustis nuptiis pronubas et auspices furias facere solent. Burm. cf. Metam. L. X. vs. 311. sq. cf. vs. 41. h. Epist. Furiae tres fuisse dicuntur, Alecto, Megaera, et Tisiphone, flagellis et facibus armatae, quae carnificum munere apud inferos funguntur et pro capillis angues habent. *Pronubae* autem, teste Festo Grammatico in v., adhibebantur nuptiis auspicii causa, ut singulare perseveret matrimonium. *Pronuba* dicitur, quod nubentibus praeëst, nubentemque viro conjungit, atque eadem est, quae *Paranympha*; nam *Nympha* est ipsa sponsa in nuptiis. Hoc vero officio fungi interdum Deas fabulati sunt poëtae, ut vel magis vel minus rata essent nuptiarum auspicia. Quoniam *Pronubae* sive antea nuptae ducere sponsam in thalamum et in lecto collocare (V. Donat. ad Terent. Eun. Act. III. sc. 5. vs. 45.) eaedem et canere ut plurimum solebant *Hymenaeon*; hinc Tisiphone h. l. fingitur non *canere* sed *ululare* in thalamis, eodem pacto, uti in nuptiis Didonis et Aeneae. Aen.

Adfuit Alecto, brevibus torquata colubris;
Suntque sepulcrali lumina mota face. 120

L. IV. vs. 168. Ovid. Ep. VII. vs. 95. Quamquam Servius ad l. l. Virg. *medium* esse putat vocabulum *ululare*, e nexu tamen verborum constat lugubrem hic et feralem significari cantum, aptamque adeo infelicibus nuptiis. Sax.

118. *Devia-avis*, Bubo, qui secundum Plin. H. N. L. X. c. 12. funebris et maxime abominatus publicis praesertim auspiciis (uti hic nuptiis) deserta incolit. Recte itaque *devia* dicitur, unde et *dirum mortalibus omen* ab Ovid. Metam. L. V. vs. 550. cf. Ant. Hotmanus de veteri ritu Nuptiarum c. 16. Thes. Antiq. Graevii tom. 4. pag. 1123.

Cecinit. Serv. ad Virg. Aen. L. IV. vs. 462. haec notat. «Non enim omnino malum est bubonis omen, sed cum *canit* tantummodo. Cantus enim fletum imitatur aut gemitum: tacens ostendit felicitatem: omnes enim aves oscines malae, praepetes bonae sunt et contra."

119. *Brevibus*, eleganter, licet alibi longi vocentur. Ut apud Virg. Georg. L. II. vs. 320. ciconia dicitur «avis longis invisa colubris." Hic breves et parvi sint, oportet, quippe qui furiarum crinibus impliciti finguntur a poëtis. Uti v. g. ab Horat. Od. L. II. Od. 13. vs. 35.

«. . . . . intorti capillis
Eumenidum recreantur angues."

120. *Sepulcrali*, quae pro mortuo erat accensa.

Face. Faces in nuptiis in Cereris honorem antiquos praetulisse notat Festus, vel quod novae nuptae non nisi noctu a sponsis domum ducerentur: uti his verbis ad Virg. Ecl. VIII. vs. 29. ex Varrone adnotat Servius. «Sane Varro in nuptiis dicit ideo faces praeire, quod antea non nisi per noctem nubentes ducebantur a sponsis; quas ideo ait limen non tangere, ne a sacrilegio inchoarent, si depositurae virginitatem calcent rem Vestae, i. e. numini castissimo consecratam."

Mortuos faces antecessisse patet ex Servio ad Aen. L. VI. vs. 224. «Per noctem, inquit, (cadaver) urebatur, unde permansit, ut et mortuos faces anteeedant."

Lumina mota, agitata, excitata; ut enim faces clarius lucerent, eas concutiebant, unde spisse quassare et concutere faces, movere lumen, ignem et similia occurrunt. Oud. Cum igitur, inquit Sax., Alecto facem praeferret, nulla alia esse poterat, nisi *atra*, nisi ejusmodi, qua succenditur rogus. cf. Ep. XI. vs. 103: nisi *infausta*,

Moesta tamen scopulos fruticosaque litora calco,
Quaque patent oculis aequora lata meis.
Sive die laxatur humus, seu frigida lucent
Sidera; prospicio, quis freta ventus agat:
Et quaecumque procul venientia lintea vidi,
Protinus illa meos auguror esse Deos.
In freta procurro, vix me retinentibus undis,
Mobile qua primas porrigit aequor aquas.

qualem etiam sibi evenisse queritur Hypsipyle Ep. VI. vs. 45. aut de *funere rapta*, qualis etiam in nuptiis Procnes et Tereï. Ovid. Metam. L. VI. vs. 430.

121. *Moesta tamen* etc. Etiamsi vero, inquit, omnia sint tetra mihique inimicissima, tamen amor tui semel admissus, imo cedere nescius, quotidie impellit me, ut non sine aerumna te quaeram, tibi occurram, nunc haec, nunc alia orae maritimae loca, unde prospectus in mare datur, oberrando perlustrem. Igitur cum *scopulos* se *calcare* sive terere pedibus dicit, vim magnitudinemque aegritudinis suae ostendit, difficillimas etiam, arduas quasque, praecipites et asperas non curantis vias. Sax.

Fruticosaque litora. Vid. Animadv. Cl. Lennepii.

122, 123 et 124. *Sive die* etc. Sive mane, sive vesperi, sive interdiu sive noctu, ventorum regiones, unde spirent, quo se vertant, quomodo mare impellant, curiosa oculis lustro et observo.

Laxatur autem sive solvitur humus calore solis, (contrahitur nocte, caloris sive solis absentia, frigore. A contraria itaque aëris temperie noctem dixit, cum *frigida lucent sidera*. T.). Sax.

125. *Lintea*. Vela e linteo fiebant; hinc *lintea* nude pro *velis*, ut Ep. V. vs. 53. et Ep. XXI. vs. 80. Igitur *lintea ventis dare* idem est ac *vela ventis dare*. Ovid. Metam. L. VII. vs. 40.

126. *Meos — Deos*. Intellige navem, quae meum Demophoönta adduceret. Solebant enim veteres in puppibus illius Dei atque Deae effigiem collocare, cujus tutelae navis commissa erat. Ipse ille Deus vocabatur *Tutela*. cf. Ep. XVI. vs. 112. De tutelis et insignibus navium egit Eruditissimus Enschedeus in disputat., quam publice defendit, disceptatore Ruhnkenio: repetita est in D. Ruhnkenii Opusc. Orat. phil. Crit. Lugd. Bat. 1807.

127. *In freta procurro* etc. Eo me rapit furor, ut in *mari*, etiam undarum, quibus hauriri

Quo magis accedunt; minus et minus utilis adsto:
Linquor, et ancillis excipienda cado.
Est sinus, adductos modice falcatus in arcus,
Ultima praerupta cornua mole rigent.
Hinc mihi suppositas immittere corpus in undas
Mens fuit; et, quoniam fallere pergis, erit.

possem, incuriosa, adventum turum occupare tentem. Sax.

128. *Mobile* etc. Elegans est descriptio maris litoralis, cujus undae fractae sese extendunt et proflaunt in multum litoris spatium sive in terram exeunt, ac mare vicissim nunc adpulsum nostris pedibus adluit fluctibus, nunc relabens ac vestigia retrahens in sese resorbet. *Porrigere* pro *extendere* occurrit Metam. L. I. vs. 14. L. III. vs. 458. et L. IV. vs. 526. Oud.

129. *Quo magis accedunt*, navigia scil. observata.

Minus et minus utilis adsto. Minus et minus compos mentis et sensus aequori adsto. Uti infra Ep. IV. vs. 7.

« . . . . . ter inutilis haesit
Lingua." Burm.

130. *Linquor.* Plene, « *animo linqui*," dixit Sueton. in Caes. c. 45. et Caes. Bell. Gall. L. VI. c. 38. « Relinquit animus Sextium."

Et ancillis etc. Postquam te hac nave non vehi cognoveram, animus omnino me deficit, et in ancillarum ulnas, quae me excipiunt, cado.

131. *Est sinus, adductos modice falcatus in arcus. Adducere* de arcu proprie ponitur. Cic. de Amicit c. 13. de habenis amicitiae « quas vel adducas, cum velis, vel remittas."

Sinus itaque erat *modice*, h. e. paululum incurvus ad formam arcus intensi: uti hanc praepositionis *in* vim in talibus esse monuit Servius ad similem nostro Virg. locum Aen. L. III. vs. 533.

« Portus ab Eõo fluctu curvatur *in* arcum."

In arcus similitudinem Serv. cf. Tursell. in v. p. 371.

132. *Ultima — cornua*, sunt extremitates curvaturarum. Cic. ad Att. L. IX. Ep. 14. « Ab utroque portus cornu moles jacimus." Eodem sensu lunae et fluviis, aliisque rebus cornua tribuuntur. V. huj. Ep. vs. 3.

Rigent. Naturam scopuli exprimit. Sic Ovid. alibi dixit « rigere spinas" A. A. L. II. vs. 116."

Ultima cornua praerupta dicuntur *mole riguisse*, sive ab utraque parte illius prominentiae altissimas rupes et scopulos stetisse. Sax.

133. *Hinc.* Ex hac alta rupe.

Ad tua me fluctus projectam litora portent,
Occurramque oculis intumulata tuis.
Duritie ferrum ut superes, adamantaque, teque;
Non tibi sic, dices, Phylli, sequendus eram.
Saepe venenorum sitis est mihi: saepe cruenta
Trajectam gladio morte perire juvat.
Colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
Praebuerunt, laqueis implicuisse libet.

134. *Mens.* Animus, consilium.

Erit, mens. Ciofan.

Projectam. Projicere habet significationem contemtus ac fastidii. Oud.

135. *Portent.* Optantis est.

136. *Occurram.* Quo magis Demophoöntem moveret, inanimato corpori vitam et motum tribuit Phyllis, optatque, ut se videat insepultam, quo majus infortunium ex Graecorum religione erat nullum. Centum enim annos in Stygis ripa intumulatas mortuorum umbras, antequam a Charonte transmitterentur, errare fabulosa credidit antiquitas.

137. *Duritie ferrum* etc. Egregie et emphatice Demophoöntem se ipsum, licet ferro et adamante duriorem, duritia superare dicit Phyllis. cf. Ep. X. vs. 107. sq. van Schelle Hagar aan Abraham pag. 15. vs. 11. sq.

138. *Tibi-sequendus* pro *a te.* Primitiva forma, i. e. passiva, hic ponitur verbum *sequor. Sequor* enim *aliquem* idem esse arbitrer, inquit Perizon. ad Sanct. Minerv. L. III. c. 2. pag. 279., *quod jungor alicui pone tergum*; et pag. 277 « At ego vix dubitem haec quoque verba (deponentia scil.) primitivo usu et significatione, sed quae nunc nobis (usitatius *nos*) maximam partem lateat, fuisse vere passiva. Quin ipsa id declarat appellatio *Deponentium.* Nam quid deposuisse dicuntur nisi significationem passivam, quam ergo ante habuerunt" etc.

139. *Sitis.* Exprimit vehementissimum Phyllidis desiderium.

140. *Trajectam gladio-perire.* « Saepissime, inquit Scheller. in Praec. St. h. Lat. Part. I. c. 9. §. 5., verbum proprie ita dictum mutatur in participium, et huic deinde aliud verbum additur; at hoc non frustra adesse sed semper aliquid majus exprimere debet, inprimisque *eventum* aliquem." Adlatis exemplis dicta ibi probantur; quae videas, rogo.

141. *Infidis-lacertis.* V. not. ad vs. 85. Ep. I.

Nectenda. Verbum, inquit

Stat nece matura tenerum pensare pudorem.
In necis electum parva futura mora est.
Inscribere meo caussa invidiosa sepulcro.
Aut hoc, aut simili carmine notus eris:
Phyllida Demophoön leto dedit, hospes amantem:
Ille neci caussam praebuit, illa manum.

Oud., proprium est in mutuo amantium amplexu. cf. Ovid. Metam. L. XI. vs. 240.

142. *Implicuisse.* Graecorum imitatione praeteritum, per heterosin temporum, quam dicunt, ponitur pro praesenti. De qua heterosi vid. Vechn. Hellen. L. L. c. 14.

143. *Stat*, sententia scil. *Matura*, i. e. secundum Burm., festina morte. Sensus itaque est: Certo decrevi festinanter mori, sive perire morte, quae venit ante diem.

Tenerum pensare pudorem. Idem est, ac jacturam jactura, malum malo resarcire, vindicare et ulcisci laesum pudorem seu virginitatem, supplicio libere et festinanter sumto. *Tener pudor* mihi videtur esse *flexibilis*, praesertim, si blanda amantium verba accedant. Sax. G. J. Vossius in Etymol. L. L. in v. explicat, *qui nullo negotio atteritur.*

144. *In necis electum* etc. Dicit Phyllis, unam eamque parvam moram in mortis genere eligendo futuram. *In* cum accusativo saepe significat *rei causam*, vel *consilium quo fit.* V. Tursell. Op. l. in v.

145. *Caussa invidiosa*, quae tibi invidiam conciliab.: V. Scheller Aanleiding tot eene taal- en oordeelkundige verklaring der Ouden, pag. m. 52. Sepulcrum habebit titulum, in quo Tu, ut causa mortis meae, ad posteros non sine dedecore et infamia commemorabere, crimenque illud tuum his vel similibus verbis notabitur. Sax.

146. *Carmine.* Carmen proprie est, quidquid numeris et metro adstringitur, vincitur, multisque verbis constat. Dein etiam sumitur de formula aliqua conceptis verbis ad solennitatem aliquam composita, uti apud Liv. L. I. c. 26. Quae significatio etiam hic locum invenire potest; nam carmen sive formula est quoque tituli sepulchralis, nisi carmen quoque esset interdum unius vel duorum versuum. cf. Ovid. Ep. VII. vs. 194. et Fast. L. III. vs. 549. Virg. Aen. L. III. vs. 288. Cic. de Senect. c. 17. Sax.

147. *Phyllida Demophoön leto dedit*, quod fidem superare

videtur; quis enim credat, *hospitem* Demophoöntem *amantem* Phyllida, quae eum beneficiis oneraverat (cf. vs. 107. huj. Ep.), interficere potuisse?

148. *Ille — illa.* Ovidium de duobus agentem hujus pronominis repetitionem amare ad h. vs. Burmannus adnotat. Vulgo *Hic*, *Illa*.

EPISTOLA III.

BRISEIS ACHILLI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Graecis, duce Agamemnone, Mycenarum rege, in Phrygiam delatis, diuturnam Trojae obsidionem futuram sibi persuaserant Graeciae principes, artis urbium obsidendarum plane ignari; quare, ne otio torpescerent milites, et haberent, unde viverent, circumjacentes regiones depopulati sunt, earumque deleverunt urbes.

§. 2. Achilles, Aeäci nepos, Peleï ex Thetide filius, praeter alias urbes etiam Lyrnessum, Ciliciae civitatem, vi ceperat, et interfectis fratribus ac marito Hippodamiae, ipsam a Brise patre Briseïdem dictam abduxerat captivam, quam dein perdite amans uxoris loco habuit.

§. 3. Aliquot annis in Troja obsidenda consumtis, accidit, ut pestis in Graecorum exercitu oriretur, cujus causam in concione ab Achille convocata exposuit somniorum optimus interpres Calchas: Apollinem nempe dixit iratum, quod Agamemnon Chrysen, Dei sacerdotem, qui Astynomen filiam, a se Chryseïdem appellatam, redemtum venisset, conviciis onerasset, reque infecta dimisisset, pestem hanc excitasse, eamque, nisi Chryseïde patri reddita, tolli exstinguique non posse.

§. 4. Post multas inter Agamemnonem et Achillem altercationes et rixas, ille vi coactus Chryseïdem Chrysae sine pretio remisit, ab hoc Briseïdem per praecones expostulavit, quibus amici jussu Patrocles, Menoetii filius, eam tradidit. Qua re ita exarsit Achilles, ut contra Trojanos pugnare in posterum nollet, quin etiam in patriam Phthiam redire statueret.

§. 5. Sero facti Agamemnonem poenituit, sine Achille Hectori Trojanisque inparem. Itaque Nestoris monitu Ajacem, Telamonis ex Aeĭco geniti filium, Achillis fratrem patruelem, Phoenicem, Achillis praeceptorem, Amyntoris filium et Ulyssem, Laërtae filium, legatos misit Graeciae dux, qui Achillem et precibus et exquisitissimis praemiis, ipsa Agamemnonis filia in matrimonium obferenda, et Briseïde reddenda inducerent, ut arma reciperet. At omnia haec ille indignabundus rejecit.

§. 6. Tum Briseis hanc Achilli scribit epistolam, qua omnibus, quibus amans et femina pollet, artibus illi persuadere conatur, ut se reciperet, cui sine eo vita non esset vitalis. At Achilles, non nisi Patroclo, cui sua concesserat arma, ab Hectore interfecto, ad bellum rediit, acceptis a Thetide matre aliis armis, nec prius quievit quam amici mortem crudelissime vindicasset.

QUAM legis, a rapta Briseïde litera venit,
Vix bene barbarica Graeca notata manu.
Quascumque adspicies, lacrimae fecere, lituras;
Sed tamen et lacrimae pondera vocis habent.
Si mihi pauca queri de te, dominoque viroque,
Fas est; de domino pauca viroque querar.

1. *Briseis.* V. Argum. h. Ep. §. 4. Briseïda autem Lyrnesso rapuisse Achillem patet ex Hom. Il. L. II. vs. 688. sq.

Rapta a te ex Lyrnesso. Ita vulgo Interpretes explicant, inquit Sax.: nescio, an non potius *rapta* sive erepta tibi ab Agamemnone; nam in bello *rapi* proprie non poterat, quae justo titulo victoriae capiebatur.

2. *Barbarica*, e Cilicia nempe orta. Barbaros vocabant Graeci eos, qui diversa religione, diversa lingua utebantur. *Litera Graeca* itaque *vix bene notata manu barbarica* est litera vix bene Graecis literis conscripta. Hubert.

3. *Quascumque* etc. Ad commovendum Achillis animum dicit ipsam epistolam non alia re quam lacrimis esse oblitam et foedatam. Hubert.

4. *Et lacrimae.* Etiam lacrimae.

Pondera vocis habent, i. e. idem efficiunt, quod verba: vel lacrimae, quid sentiam, aperiunt, quasi animum meum expressis verbis significem.

5. *Si mihi pauca queri* etc. Color sumtus ex jure Graeco,

Non, ego poscenti quod sum cito tradita Regi,
Culpa tua est: quamvis hoc quoque culpa tua est.
Nam, simul Eurybates me Talthybiusque vocarunt,
Eurybati data sum Talthybioque comes.
Alter in alterius jactantes lumina vultum,
Quaerebant taciti, noster ubi esset amor.

quo vetitum servis de domino queri. Burm. Serva enim erat Briseis, bello quippe capta. V. Feithius Antiq. Homer. L. II. c. 20. Hoc jus spectans vertit Meziriac.

« Contre toi, mon Seigneur et mari, ce me semble,
« Je me veux dispenser de la rigueur des lois."

Tam timide vero Briseis querelam suam proponit, quia in initio legentis Achillis favor erat captandus, quem quidem Achillem sibi iratum credebat; hinc non statim de eo queritur, sed addit *si fas sit*, neque tantum dicit, *si fas sit queri*, sed minuit adhuc *si mihi fas sit*.

Viroque, quia me solam uxorem habere decrevisti. Hubert.

7. 8. *Non, ego poscenti* etc. Primo itaque excusat Briseis Achillem, ut minori cum offensione eum dein accuset. *Quamvis hoc quoque culpa tua est.* Sensus est: Non tua culpa est, quod tradita sum Agamemnoni, mé ut sibi traderes, poscenti; quamquam hoc quoque culpa tua est, quod *cito* sum tradita regi; nam vs. 13 Briseis scribit, vel scribere fingitur *differri potui*. *Differri* autem dicuntur personae, cum in aliud tempus rejiciuntur vel etiam in alium locum.

Quamvis. Jungitur fere conjunctivo, rarius indicativo. Ovidius saepissime indicativo jungit. — Sed id fit tum demum, cum pro *quamquam*, *etsi* ponitur. V. Tursell. Op. l. in v. *quamvis*. Perizon. ad Sanct. Minerv. L. III. c. 14. no. 3. De usu indicativi et subjunctivi V. Scheller. in Praecept. Stil. b. Lat. Part. I. c. 2. pag. 153.

9. *Simul*, pro *simulac*. Uti Horat. Od. L. I. Od. 9. vs. 9. seq.

« . . . . . Qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Deprae liantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni."

Vocarunt. Exprimit Graecum κηρύσσειν quod proprium praeconum. Heins. Praecones autem fuisse Eurybaten et Talthybium patet ex Il. L. I. vs. 320.

11. 12. *Alter in alterius* etc. Se invicem iterato aspicientes nihil dicebant, sed admirantes, quod tam cito tradita essem, inter se nutu quaerebant, *noster ubi esset amor*, i. e. videbant

Differri potui. poenae mora grata fuisset.
Hei mihi! discedens oscula nulla dedi.
At lacrimas sine fine dedi, rupique capillos.
Infelix iterum sum mihi visa capi.
Saepe ego decepto volui custode reverti;
Sed, me qui timidam prenderet, hostis erat.
Si progressa forem, caperer ne forte, timebam,
Quamlibet ad Priami munus itura nurum.

esse nullum, nam, si re vera me amavisses, sibi persuadebant, te non tam cito traditurum fuisse. Hubert.

13. *Poenae.* Ita nominat abductionem, quod invita sit abducta. Hom. Il. L. I. vs. 348. *Poena* enim est omne illud, ad quod quis invitus cogitur.

14. *Oscula nulla dedi*, in discessu, quia traditionem meam adeo urgebas. Meziriac.

« Helas! quand il fallut d'avec toy me distraire
Je n'eu pas seulement loisir de te baiser."

15. *At lacrimas* etc. Modus, quem in luctu Graeci servabant, hic est; lacrimas emittebant, caput percutiebant, comam violabant, sordibus caput conspurcabant, genas discerpebant, pectora tundebant, volutabant se terra pulverulenta, denique prae dolore sese interimebant. Sunt verba Feithii in Op. l. c. 15. Causa, quod in Graecis affectus vehementiores essent, quam vulgo in nostris soleat, in vividiori est ingenio, quod ex mitiori aëris temperie, diverso victu etc. oritur.

16. *Capi.* Recte *capta* dicitur ab Achille victore Lyrnessi; *rapta*, ab Agamemnone vi atque injuria, ut vs. 1. Tantos itaque iterum sensit dolores, quantis, capta patria, fuerat afflicta. V. Argum. §. 2.

17. At, tecum forte cogites, Achille! quare Briseis, si tanto mei teneretur desiderio, tantoque mei flagraret amore, custodibus se subducere non tantavit, cum sciret penes me non stetisse, quo minus Agamemnoni traderetur? Respondet. Equidem *volui* etc. Cf. Van Schelle Ep. II. pag. 10.

18. *Hostis.* Graeci quidam duces, Agamemnonis amici. Sax.

19. *Progressa.* Si paulo longius a castris Graecorum procederem nova me anxiam sollicitudo tenebat, ne forte a Trojanis caperer, atque uni ex tot Priami nuribus etiam contemtissime in servitutem, doni loco, adducerer. Sax.

20. *Munus itura.* Captivi enim

Sed data sim, quia danda fui: tot noctibus absum;
Nec repetor. cessas, iraque lenta tua est.
Ipse Menoetiades, tunc, cum tradebar, in aurem,
Quid fles? hic parvo tempore, dixit, eris.
Non repetisse parum est: pugnas, ne reddar, Achille. 25
I nunc, et cupidi nomen amantis habe.

in servitutem abducebantur; itaque et Briseis capta Trojanorum serva fiebat. Quamobrem timebat ne dono daretur Priami nurui *cuilibet*, i. e. quamvis indignae, quae me munus acciperet.

21. *Sed data sim.* Demus autem, me datam esse. Heins. *quia danda fui*, quia necesse fuit, ut darer; sed, cur tam tardus es in me repetenda. Quamvis, inquit Loers spec. I., Heinsius et post eum Burm. lectionem Puteani Cod. *data sim* summo cum plausu receperint, mihi tamen lectio *data sum* videtur retineri posse, ideoque propter Codd. consensum retineri debere. *Data sum, quia danda fui*, ex Achillis quasi sententia Briseis dicit, ac sibi ipsa ironice, et summa cum acerbitate objicit; ad quae cum vi respondet, *Tot noctibus absum.* Non *diebus* scribit, ut nocturnae consuetudinis admoneat, et desiderium moveat, cujus oblivionem nunc Achilli objicit. Burm.

22. *Cessas, iràque lenta tua est*, i. e. iram deponere cessas, quae nulla ratione frangi potest. cf. Hom. Il. L. IX. vs. 259, 60.

Lenta. Desidiosa, segnis, et ignava, qui per iram otiose langueas, cum deberes vi et manibus me repetere, nisi redderer. cf. Ep. VII. vs. 18. et Ep. XVII. vs. 249. Oud.

23. *Menoetiades.* V. Argum. §. 4.

In aurem dixit, tenui voce auribus insusurravit. Est Graecum ἐς οὖς λέγειν.

24. *Quid fles?* propter quid (negotium), quam ob causam. Periz. ad Sanct. Minerv. L. IV. c. 4. pag. 616. Graeci, quos et hac in parte Latini imitati sunt, dicunt τί κλαίεις; i. e. διὰ τί subaudi αἴτιον. V. Lamb. Bos. Ellips. Graec. in v. αἴτιον.

Hic, apud Agamemnonem.

25. *Non repetisse* etc. Sensus est: Non sufficit tibi, quod me non repetieris, sed etiam resistis et omnibus viribus conaris, ne tibi reddar. Hubert.

Pugnas, summam operam das, adniteris. Et hoc sensu *pugno* passim cum infinitivo ponitur pro *contendo*, *nitor*. V. Heins. ad Ep. XVII. vs. 137. Fast. L. III. vs. 307. Oud.

26. *I nunc.* Est increpantis,

Venerunt ad te Telamone et Amyntore nati;
Ille gradu propior sanguinis, ille comes:
Laërtaque satus: per quos comitata redirem.
Auxerunt blandae grandia dona preces:
Viginti fulvos operoso ex aere lebetas;
Et tripodas septem, pondere et arte pares;

inridentis, insultantis et execrantis formula, quam in deliciis quoque habuit Seneca v. g. in consolat. ad Helviam c. 6. « I nunc et animum humanum" etc. et c. 10. De brevitate vitae c. 12. et alibi passim. Solent, inquit Saxius, qui alios ita refutarunt, ut nihil contra argumentari possint, ita in complexione argumentorum alloqui « eant nunc — ita nunc" sive « valeatis cum vestro errore." Cum enim ostendisset Briseis culpam esse Achillis, quod cito tradita nec repetita sit, imo oblata nunc ab Agamemnone repudietur, per irrisionem cum Patrocle vanitatem dicti ejus, tum Achilli simulatum amorem exprobrat: qui enim vere et studiose amant, non modo non abstrahi a se rem amabilem, sed occasionem quoque omnem a fortuna datam recuperandae ejus, quam colunt, e manibus elabi non patiuntur.

27. *Venerunt.* V. §. 5. Argum.

29. *Per quos comitata*, passive. A quibus comitata. cf. Ovid. Am. L. III. El. 11. vs. 19. ibiq. not.

30. *Auxerunt blandae* etc. Preces blandas et dona grandia. V. apud Hom. Il. L. IX. vs. 225 — 639. cf. Il. L. XIX. vs. 243. sq. Licet enim, inquit Burm. ad h. vs., grandia essent dona, auxerunt ea et pretium majus addiderunt blandae preces. V. §. 5. Argum.

31. *Operoso ex aere*, interpretante Hubertino, magno opere et artificio fabricato. cf. Hom. Il. L. XIX. vs. 243. L. IX. vs. 122. non vs. 34. uti est in nota Ciofani a Burm. cit.

32. *Tripodas*

« . . . . . Tripodas praemia fortium
Grajorum"

dixit Horat. L. IV. Od. 8. vs. 3. Tripodes et lebetes erant vasa, in quibus vinum aqua miscebatur, ejusdem quidem generis sed diversi usus. Hi enim igni inponebantur, illi non item. V. Eustath. ad Hom. Il. L. IX. vs. 1. quem adducit Meziriac. in comment. ad h. l. pag. 254. Alii aliter. V. Victoriani et Athenaei not. a Clarkio cit. et Köppen Op. l. ad Hom. l. l.

Pondere et arte pares. In quibus artificium tanto constat,

Addita sunt illis auri bis quinque talenta:
Bis sex, adsueti vincere semper, equi.
Quodque supervacuum, forma praestante puellae
Lesbides, eversa corpora capta domo.
Cumque tot his (sed non opus est tibi conjuge) conjux
Ex Agamemnoniis una puella tribus.

quanto ipsa dives materia, et quibus per artem aequa dos adquisita est carae materiae, ut ait Manilius L. V. vs. 501. Oud.

33. *Talenta.* Talentum est nomen ponderis, sed, ut Servius scribit in Aen. L. V., secundum varias gentes varium fuit, dicitque apud Romanos talentum esse 70 libras, sicut Plautus ostendit in Mostellaria, qui ait duo talenta esse 140 libras. Fuit autem talentum Atticum, Euboïcum et Aegyptium. Magnum dicunt habere libras 83 et uncias 4, denique valet 6 millia denariorum Romanorum. Talentum Atticum parvum 60 continebat libras; Euboïcum non multo minus erat Attico parvo. Aegyptium pondo 80 parere. Varro tradit, apud Homerum, ut testatur Servius, pro minimo quodam pretio accipi in ludis Patrocli. Hic vero apud Ovid. pro magno pondere accipimus. Hubert. De vera mensurarum ponderumque ratione scripsit Robertus Cenalis, cujus commentarii exstant in Thesauro Antiq. Rom. J. G. Graevii tom. XI.

34. *Bis sex.* V. Hom. Il. L. IX. vs. 265.

Adsueti vincere. Graecismus. V. vs. 109. Ep. I. Sed *vincere* hic est *currendo vincere.* Heins. Non dixit, inquit Hubert. ad h. l., eos fuisse pulcros sed veloces, nam in equis velocitas maxime laudatur. Ideo Virg. depingens equos pretiosissimos non satis putavit dicere, qui *candore naves anteïrent*, sed addidit *cursibus auras.*

35. *Quodque supervacuum*, q. d., Tibi, Achille, cui ego una, ut spero, sufficio, puellarum Lesbidum adjectio supervacua videatur, necesse est. Lesbos, Insula maris Aegaei, alias dicta *Pelasgia*, a Pelasgis colonis, et *Macaria*, a Macareo. Lesbi autem nomen accepisse fertur a Lesbo, Macarei genero et successore.

36. *Corpora capta.* Proprie locutus, inquit Burm. In servitutem enim redacti, vix hominum nomine digni, *corpora* tantum vocabantur.

37. *Tot his*, supradictis puellis, quas voluerunt tibi Agamemnonis nomine dare, una filia ex tribus Agamemnonis filiabus addita est. Hubert.

Non opus est tibi conjuge, si me repetieris; ego etenim

Si tibi ab Atrida pretio redimenda fuissem,
Quae dare debueras, accipere illa neges?
Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?
Quo levis a nobis tam cito fugit amor?
An miseros tristis fortuna tenaciter urguet?
Nec venit inceptis mollior aura meis?
Diruta Marte tuo Lyrnesia moenia vidi:
Et fueram patriae pars ego magna meae.

apud te uxoris locum expleo. cf. vs. 35. V. Argum. §. 5. Agamemnonis filiae tres fuerunt, Iphigenia, Chrysothemis et Electra. V. Ciofanus ad Metam. l. XII. vs. 31.

40. *Neges*, pro *negabis*. Eleganti usu subjunctivi praesentis pro futuro. cf. vs. 99. Ep. II. Sensus est, interprete Hubertino: tu recuses accipere illa munera, quae tu ipse debueras dare Agamemnoni, si me tibi reddere noluisset, nisi ei dares pretium. Mihi, inquit Loers. Spec. l., hic loci naturae aptius videtur *negas*: ut Briseis, cum Achillem reprehendat, quasi persuasum habeat, eum *negasse* aut *negare*, objurgans interrogat; accedit omnium Codd. auctoritas, et, quod tenendum etiam est, vere quoque negaverat illa dona accipere, id quod probat, quem in toto hoc loco fingendo Ovidius secutus est, Hom. Il. L. IX. vs. 378. sq., aptius etiam versui sequenti scil. *Tu negas? Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille?*

41. *Qua merui culpa.* Propert. L. I. El. 18. vs. 9.

« Quid tantum merui, quae
te mihi crimina mutant."

Lotich. Op. L. I. vs. 8. 9.

« Qua merui culpa tam saevam Numinis iram? "

Ubi Burm. memoria lapsus hunc Ovidii versiculum adducit ex Epistola Medeae, cum in hac non inveniatur.

42. *Levis — fugit.* Causam et effectum his verbis simul indicat; causa enim, quare fugeret amor, in eo est quod levis esset, atque inconstans, volubilis, quae inconstantia augetur a Poëta addendo *tam cito.*

43. Sensus est: an adversa fortuna miseros, demto fine, persequitur?

44. *Nec venit — mollior aura.* Metaphora a rebus nauticis desumta.

Mollior aura, sive, ut interpretatur Oud., lenior successus votorum, qui instar venti secundi meis actionibus adspiret et adflet. cf. Ep. XIX. vs. 72. Trist. L. IV. El. 5. vs. 20.

Vidi ego consortes pariter generisque necisque
Tres cecidisse: tribus, quae mihi, mater erat.
Vidi ego, quantus erat, fusum tellure cruenta,
Pectora jactantem sanguinolenta, virum.
Tot tamen amissis te compensavimus unum.
Tu dominus, tu vir, tu mihi frater eras.
Tu mihi, juratus per numina Matris aquosae;
Utile dicebas ipse fuisse capi.

45. *Marte tuo*, bello, quod tu intulisti.

46. *Et fueram patriae pars ego magna meae.* V. Argum. §. 2. Vernacule diceremus; en ik deelde rijkelijk in den ramp mijner vaderstad overgekomen. *Magna pars* gaudii vel tristitiae esse dicitur ad quem praecipue dolor ille aut laetitia pertinet, ut dicat Briseis: vidi ego bellum, te duce, patriae meae funestum, cujus clades etiam ad me maxime pertinuit, quae maritum, Mineten, et tres fratres amitterem. V. Hom. Il. L. XIX. vs. 291. Virg. Aen. L. II. vs. 6.

47. *Vidi ego.* Cum venustate pondus inest huic pronomini. His ipsa oculis vidi. Oud.

48. *Tribus* etc., supple tribus eadem, quae mihi, mater erat. Innuit enim tres fratres, qui, ut erant conjuncti genere, ita et nece fuerunt, cum simul interfecti sint.

49. *Quantus erat*, intellige *totum quantum*; belgice, zoo lang als hij was.

50. Vidi virum humi stratum, pectore cruentato palpitante.

51. *Tot tamen amissis te compensavimus unum.* Locationes permutationem significantes reciprocas esse docet Benthlej. ad Horat. L. II. Od. 16. vs. 18. Itaque ex communi scribendi ratione et dici potest

« Tot tamen amissos te compensavimus uno.»

52. Cf. Hom. Il. L. VI. vs. 229., 30. ad Xenoph. Eph. pag. 18. vs. 6. et Peerlk. ad h. l.

53. *Juratus.* Active significat, uti *dissimulatus erat.* A. A. L. I. vs. 630. Eodem verbo usus est Ovid. Am. L. III. El. 3. vs. 1. et Suet. in Claudio c. 22.

Matris aquosae, intellige Thetidem, Nympham marinam, Nereï filiam, quae *aequorea*, *marina*, *numen aquarum* dicitur. Per avi numen jurat Demophoön vs. 37. Ep. II.

54. *Capi.* V. not. ad vs. 16. h. Ep. Infinitivus pro substantivo ponitur Graecorum imitatione. V. Vechn. Hellenol. L. I. c. 10.

Scilicet ut, quamvis veniam dotata, repellas;
Et mecum fugias, quae tibi dentur, opes.
Quin etiam fama est, cum crastina fulserit Eos,
Te dare nubiferis linea vela notis.
Quod scelus ut pavidas miserae mihi contigit aures,
Sanguinis atque animi pectus inane fuit.
Ibis: et (o miseram) cui me, violente, relinques?
Quis mihi desertae mite levamen erit?

55. *Scilicet.* Non raro, inquit Tursell. Op. l. in v., usurpatur per ironiam. Sensus est: scilicet haec est illa a te praedicata utilitas ut etc.

Dotata, dotem, quam dicit Briseïs, vid. vs. 31. sq.

56. *Et mecum* etc. Et tum me, tum opes, quae tibi dentur, fugias.

57. *Quin*, sine interrogatione significat *imo*, uti videre est apud Tursell. in v. *quin.* pag. 855.

Cum crastina etc. Cf. Hom. Il. L. IX. vs. 357. seq. 678. et Argum. h. Ep. §. 4.

58. *Te dare* pro *daturum* Ovid. Metam. L. VII. vs. 739.

„ . . . . . Dum census dare
pro nocte paciscor"

pro, dum paciscor me daturum. Heins. Plura hujus constructionis exempla V. in Sanctii Minerv. L. I. c. 14. nº. 4. et Periz. in not. et in Hellenol. l. I. I. c. 14.

Notis, intellige *notos ipsos* sive ventos a meridie flantes. Achilles enim, uti Demophoön, nave soluta, primo Phrygiae, tum Thraciae litora legens, navigatione prima ventum meridionalem habebat secundum. Non est itaque, quod miretur Ciofanus, Ovidium hoc in loco hujus venti meminisse. cf. not. ad vs. 59. Ep. I. et vs. 12. Ep. II. *Nubiferis.* Adjectivum naturam venti aperit, quippe qui *nubes adferat.* Alias *imbrifer* dicitur, *procellosus*, *humidus.* *Rabiem noti*, *quo non arbiter Hadriae major* canit Horat. Od. L. I. Od. 3. vs. 15.

59. *Quod scelus.* Factum sceleratum Briseïs vocat abeundi consilium, quod inierat Achilles, quippe qui, quam solam uxorem habere decrevisset, jamjam esset deserturus, nihil, nisi injuriae ultionem cogitans. cf. not. ad vs. 5. h. Ep. in v. *viro.*

60. *Sanguinis atque animi* etc. Vires corporis ac mentis me defecere. Oud. Elegans descriptio animi deficientis, atraque omnia timentis. *Sanguinis inane pectus* est idem, quod *frigidius glacie* Ep. I. vs. 23. *Animi inane pectus*, quod nihil mentis habet. Sax.

Devorer ante, precor, subito telluris hiatu,
Aut rutilo missi fulminis igne cremer:
Quam sine me Phthiis canescant aequora remis,
Et videam puppes ire relicta tuas.
Si tibi jam reditusque placent, patriique penates,
Non ego sum classi sarcina magna tuae.

61. *Violente.* Qui irae indulges, rationi non pares. *Violenti*, inquit Sax., esse solent iracundi, quorum nihil interest, quoquo modo nodus controversiae solvatur. Rumpere et secare vincula amant potius, quam leniter dissuere. Hoc vocabulo Achillis animus notatus alias; ut in Ibin vs. 377, ubi *violentum* Aeacidem vocat Poëta.

Cui me relinques? Nam maritum et fratres interfecisti. cf. vs. 45. sq. Interrogationibus magnam inesse vim ad animos hominum movendos praeter alios docet Longinus de sublimitate. Sect. 18. ed. B. Weiske.

62. *Mite levamen.* Adtendas, rogo, ad vocem *mite*, quae, recte pronunciata, ipso sono suavitatem indicat levaminis, solatii, quo mox plane se destitutum iri queritur.

63. *Devorer* etc. Briseïs iterata cogitatione malorum, metu in tantum auctorum, ut superari vix posse sibi videantur, ad desperationem adacta fingitur ab Ovidio: qua in re, ut poëtam decet, naturam ducem secutus est. De hac orationis figura, πάθη, affectus vocant Rhetorici, ne legere omittas Longin. op. cit. Sect. 17.

Notetur hic ingenium Ovidii. Argumento terribili apta et horroris plena vocabula, *devorare*, *subitus hiatus*, *ignis rutilus*, *cremare*, imaginem rei tristem et atrocem reddunt; namque habent ad molliendam vel saxei ferreique hominis duritiem. Sax.

65. *Phthiis.* Phthiam enim, Thessaliae oppidum, patriam suam, petere in animo habebat Achilles. Hom. Il. L. I. vs. 362. εἰ δέ κεν εὐπλοίην δώῃ κλυτὸς Ἐννοσίγαιος, ἥματι κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην. cf. Serv. ad Virg. Aen. L. I. vs. 284.

66. *Puppes* proprie adcipias. V. not. ad vs. 59. Ep. I.

67. *Si tibi jam.* Belgice. *Indien u nu nog.* In argumentationibus elegans particulae *jam* usus, quasi concedentis, „si post illa, quae adduxi, nihilominus etc." Sunt verba Burm. ad A. A. L. II. vs. 597. V. Tursell. in v. *jam*. Mihi quidem hujus loci hic est sensus: Si post illa, quae adduxi, nihilominus proficisci paras, age, me tecum abducas, nam ego

Victorem captiva sequar, non nupta maritum.
Est mihi, quae lanas molliat, apta manus.
Inter Achaïadas longe pulcherrima matres
Ibit in thalamos conjux (eatque) tuos;
Digna nurus socero, Jovis Aeginaeque nepote;
Cuique senex Nereus prosocer esse velit.

non sum sarcina magna classi tuae, me tecum ducere facile potes. Aliter hunc versum intellexit Lennep. V. Cl. in Animadv. ad h. l.

Reditus — patriique penates. In prosa diceremus *reditus in patriam.* Uti enim cuique familiae, ita et cuique civitati sui erant penates, Dii tutelares. V. Feithius Ant. Hom. L. I. §. 3. Penates a *penu* dicti. V. Festus de verborum significatione in v.

A vehementi obtestatione, inquit Sax., revocat se Briseïs ad preces et suadendi lenitatem, argumentum sumens a facilitate istius in proficiscendo communionis, nihilque sua interesse inquiens, quoquo modo, quave conditione cum Achille in Graeciam eat, uxor an captiva; modo socia itineris esse possit.

69, 70. *Victorem* etc. hunc in sensum: Captiva sequar te victorem, non, nupta maritum; ego lanificio victum quaerere contenta ero, alia teneat te conjugem.

Lanas autem *mollire* dicitur, quae *carminat*, *subigit*, et *tractat manibus* lanam: carminatur quippe lana, cum caret eo, quod in illa fuerat nequam. Varro de L. L. L. VI. pag. m. 75. cf. Ovid. Metam. L. II. vs. 411. et Fast. L. III. vs. 817. Sax.

71. *Matres.* Intellige feminas nobiles. Est enim honoris nomen, et *matres* non nisi nobiles accipimus; unde et matronae dictae sunt. Serv. ad Virg. Aen. L. IX. vs. 217.

72. *In thalamos — ibit, eatque* etc., sive ducetur tibi domum, nubet tibi. Est autem frequens poëtis nuptiarum descriptio: *thalamus* enim est conjugale cubiculum; unde spisse pro ipso conjugio sumitur. Notandum autem est Phyllida jam concedere Achilli ut ducat etiam aliam uxorem, quia jam certo statuebat, se ab ipso relictum iri, cum tamen vs. 33. dixerat *non opus est tibi conjuge.*

73. *Socero*, Peleo nimirum, qui Aeaco, Jovis et Aeginae filio, genitus est Ovid. Metam. L. VII. vs. 615. sq. Serv. ad Aen. L. II. vs. 7.

74. *Prosocer*, scil. Nereus

Nos humiles, famulaeque tuae, data pensa trahemus: 75
Et minuent plenas stamina nostra colos.
Exagitet ne me tantum tua, deprecor, uxor,
Quae mihi nescio quo non erit aequa modo.
Neve meos coram scindi patiare capillos:
Et leviter dicas: Haec quoque nostra fuit. 80

fuit pater Thetidis, quae futurae Achillis conjugi socrus esset.

Senex. Perpetuum Nerei cognomen.

Ejusmodi conjux natalium tuorum et gentis praetantiae novum decus addet, qualis splendor haud dubie obfuscaretur, si mei rationem habiturus fores. Callide hic Achillis ingenio obsequitur, ut aliquid inde lucri capiat: animus enim iracundi hominis saepe cedendo facilius, quam acriter obnitendo et irritando vincitur, valetque adeo hic, quod Sosia apud Plautum Amphit. Act. II. sc. 2. vs. 71. sq. monet. Sax.

75. *Data pensa trahemus.* Verbum *trahere* ipsum nendi actum exprimit. *Pensa* a *pendo*, quoniam herae ancillis suis solebant manipulum lanae vel lini colo alligatum adpendere per dominum opus fuso trahendum, et in filis eodem pondere reddendum. Sax.

76. *Stamina.* V. quae notavi ad vs. 10. Ep. I.

Colos, est illud instrumentum, cui lana alligatur, quae cum pe fusi et pollicis, in longitudinem tracta et formata sit, efficit stamina sive fila, atque tunc recte *fila* dicuntur minuere plenas colos. Sax.

77. *Ne — tantum.* Deprecantis formula. V. Ovid. Am. L. II. vs. 15. ibiq. Marius in not. Tursell. Op. I. in v. *ne* pag. 502.

Exagitet. Exagitamus proprie feras, quas cubilibus excitatas agimus, persequimur; hinc *exagitare* est infesto animo aliquem persequi, in aliquem saevere consulere. De simplici verbo *agere*. V. Fest. I. I. in v.

78. *Non erit.* Alii legunt *erat:* cum Saxio et Lennepio praefero *erit*. Adcipe itaque de futura Achillis conjuge, quam forte zelotypia iratam Briseïdi redderet. Uxorem enim unquam duxisse Achillem veterum nemo tradidit. Genuit quidem Pyrrhum, sed ex Deïdamia furto cognita, uti cecinit Statius in Achill. L. I. vs. 560.

Non — aequa. Per litoten minus dicit, plus intelligit, q. d., erit iniqua: *nescio quo*, i. e. plus nimio, ultra quam debeat Hubert.

79. *Neve meos coram* etc.

Vel patiare licet; dum ne contemta relinquar.
Hic mihi vae miserae concutit ossa metus.

Uti nimirum Romano more tondebantur captivi, ceterique qui in servitutem redigebantur, Broukh. ad Propert. L. IV. El. 11. vs. 38.; ita et Graecis in more positum fuit. Quod praeter Ovidii locum probat Aristophanes in Avibus vs. 619. Feith. Op. cit. L. II. c. 20. Briseis itaque, ne in uxoris conspectu secum, ut cum serva, agat Achilles, deprecatur.

80. *Et*, ut Ep. II. vs. 90. *aut*, ponitur pro *nec*; sic hoc loco et pro *nec*. Tursell. in v. *nec* pag. 513 et 518.

Leviter, frigide, per contemtum. Serv. Aen. L. I. vs. 151: in hunc sensum: Nec patiare coram uxore capillos scindi, nec dicas per contemtum. « *Haec quoque nostra fuit.*" Ultima enim verba contemnentis sunt, et turpi sensu ponuntur. cf. Ovid. Am. L. II. vs. 627. Briseis ergo probrum celari cupiens rogat Achillem, ne se contemnendam praebeat uxori, proinde nec in servitutem detrudat, nec concubitum exprobret. In alia omnia discedit Sax. V. Cl. hunc locum ita explicans. « Non committe, quaeso, ut summa olim moestitia crucier, ut conjux in me acerbe invehatur, ut conviciis suis, obtrectatione, durissimis legibus, in desperationem salutis meae, (quae est aegritudo sine ulla exspectatione rerum meliorum) me adducat; propterea eamdem mitiges oro, non rixando et vociferando, ut solent contentiosi, sed placabili et sedata oratione « *Haec quoque nostra fuit*" hanc (f. his) obscure indicans pristinos amores conjugii fidem non sollicitaturos esse. De causa formulae illius *scindere et rumpere capillos* vid. supr. vs. 15. Vim vero et potestatem vocis *leviter* optime explicuit Burm. ad h. l. Sax. *Leviter dicere*, inquit Burm. » est non vehementer, non voce magna et sublata; ut increpantes solent; sed quasi suppressa. Nolim, dicit Briseis, te uxorem me exagitantem increpare iracunde, sed voce submissa dicas. « *Haec* etc. *Coram*, vs. 79., Oud. interpretatur *te praesente.*

81. *Dum ne.* Idem quod *dummodo ne*, cum conditio negans est, inquit Tursell. in v. *dum* et *dummodo ne* pag. 220, 221. *dummodo ne* potius dicimus, quam *dummodo non.*

Vel pro *etiam*. V. Tursell. in v. *vel* pag. 1038. sensus est: Etiam per me licet, ut patiare me ab uxore futura contemni, dummodo ne etc.

Contemta relinquar. V. quae notavi ad vs. 140. Ep. II.

82. *Hic mihi* etc. Neque etiam, si fatum ita tulerit, heraec duriticm, te non interce-

Quid tamen exspectas? Agamemnona poenitet irae;
Et jacet ante tuos Graecia moesta pedes.
Vince animos, iramque tuam, qui cetera vincis.
Quid lacerat Danaas impiger Hector opes?
Arma cape, Aeacida, sed me tamen ante recepta:
Et preme turbatos, Marte favente, viros.

dente, defugerim, modo spem mihi certam feceris me tecum futuram, nec solam hic cum Agamemnone relictum iri; cujus rei cogitatio cum animum subit, dici vix potest, quantus horror corpus et artus meos occupet. Videtis hic imaginem observantiae et amoris in dubiam fortunae aleam intrepide euntis, modo non careat adspectu et consuetudine ejus, cui se primum mancipaverat. Dictio *tremor ossa concutit* de magnitudine timoris usurpatur. Sax.

83. *Quid tamen exspectas?* V. Lennep. in animadv. ad h. vs.

84. *Jacet — Graecia*, i. e. *omnes Graeci jacent.* cf. not. ad vs. 3. Ep. I. Ratio, quare Graecia ante pedes jaceat, est in adjectivo *moesta.*

85. *Vince*, i. e. omnibus modis atque omni virium contentione id age, ut animum ipse domes, ut deponas iram. Quidni tu, qui cetera vincas, a te ipso vincaris? cf. Ovid. Metam. L. I. vs. 685. Cic. pro Marcello. c. 3. Id. de Off. L. I. c. 19. cf. Aristot. Ethica L. IV. c. 3.

Vinci et is dicitur, qui continuis precibus, multis malis, magnoque metu vel amore cogitur, ut aliquid det vel concedat. V. Sueton. in Caes. c. 1. Cic. de Off. L. I. c. 20. Tibull. L. III. El. 4. vs. 76. Liv. L. II. c. 4. Ovid. Ep. IV. vs. 153. alii. Verbo *vincere* pro *meliori esse conditione* usus est Cic. ad Diversos L. IV. Ep. 4.

Notanter Ovidius *animos* non *animum* posuit. *Animi* multitudinis numero audaciam, fastum, cupiditatem indicant. Sax. cf. Hom. Il. L. IX. vs. 255.

86. *Quid lacerat* etc. V. not. ad vs. 24. h. Ep.

Impiger. V. Lennep. in Animadv. ad h. vs.

87. *Aeacida.* V. Argum. §. 2. Aliquem nomine excellentium patrum vel majorum adpellare reverentiae erat atque honoris. Sensus est: Tu magni Aeäci magne Nepos arma capere cesses? minime vero. Ita igitur arma cape, ut me ante recipias.

88. *Premere* verbum est venatorium et significat *urgere, instare.* Burm. ad vs. 41. Ep. IV. not. ad Nep. Miltiadem. c. 3 n°. 3. Hinc ad rem militarem translatum indicat *ferro*

Propter me mota est, propter me desinat ira:
Simque ego tristitiae caussa modusque tuae.
Nec tibi turpe puta precibus succumbere nostris.
Conjugis Oenides versus in arma prece est.

persequi, *ante se agere*, ut Tibull. L. I. El. 2. vs. 67.

Marte. Mars Deus belli ab antiquis creditus est, et Jovis ac Junonis filius. *Favente*, propitio, volente.

89. *Propter me.* V. Argum. §. 4. Optat igitur, inquit Sax., ut, quae fuerit causa et principium indignationis, eadem finis et terminus esse possit tristitiae ejus. *Tristitia* autem. vs. 90. h. l. notat iram acerbiorem intimo odio et corde conceptam cum asperitate, in qua doloris imagine reddenda mire varius est Homerus. Modo enim a lacrymis repetit et solitudine Il. L. I. vs. 349, modo a suspiriis ibid. vs. 364., modo a doloris morsibus, quibus laceratur animus ibid. vs. 491, modo a tumore bilis. ibid. vs. 642. Hanc etiam animi contractionem aptius quoque Ovidius describere nescit quam *tristitiae* vocabulo. Trist. L. IV. El. 1. vs. 15. cf. Hom. Il. L. I. vs. 186. *Tristitia* autem proprie dicitur, cum ex opinione recenti praesentis mali oritur animi contractio et aegritudo flebilis cum cruciatu.

91. *Precibus succumbere nostris*, sive muliebribus. Habes exemplum, quod imiteris, nam *Conjugis* etc.

Ceterum *Precibus succumbere*, observante Oud., alibi dicitur *vinci precibus*, *flecti*, *moveri*, *tangi*, *affici*, ita ut exoremur et vota alicujus concedamus.

92. *Oenides*, Meleager, Oenei filius. «Graeci, inquit Hubert., dicunt Althaeam matrem execrationibus et detestationibus devovisse vitam filii Meleagri, a quo fratres sui interfecti fuissent, inprecatamque adsidue infelicem exitum. Quod cum intelligeret Meleager, adeo moleste tulit, ut, cum hostes Curetes ad murum vallumque Calydonis venirent, ipse indignatus nullo pacto arma sumere vellet, sed cum Cleopatra, Eveni fluvii et Marpissae filia, uxore sua latens sese oblectaret, et omnium preces sperneret, tandem Cleopatra, ejus uxor, periculum videns illum orasse dicitur ut pro defensione patriae arma sumeret; cujus precibus, ut hoc faceret, adductus est. Et hic est verus sensus, quem etiam Homerus videtur approbasse etc. V. Hom. L. IX. vs. 525. sq. cf. Ovid. Metam. L. VIII.

Res audita mihi, nota est tibi. fratribus orbâ
Devovit nati spemque caputque parens.
Bellum erat: ille ferox positis secessit ab armis,
Et patriae rigida mente negavit opem.
Sola virum conjux flexit. felicior illa!
At mea pro nullo pondere verba cadunt.
Nec tamen indignor: nec me pro conjuge gessi,
Saepius in dominum serva vocata torum.

93. *Res audita mihi* etc. Elegánter Achilli veteris aevi notitiam tribuere fingitur Briseis, praesertim eorum, quae veteres Heroës gesserant, cum hanc historiam sibi feminae forte auditam indicet, ad quam talia ceteroquin non adeo pertinent. Nep. in Attico c. 13. « Atque hoc non auditum sed cognitum praedicamus."

94. *Spem. Spes* proprie de liberis, in quibus egregia indoles conspicitur, monuit Burm. ex Aen. L. VI. vs. 364. et L. X. vs. 524. Adde Aen. L. I. vs. 556, ubi Servius « bene de Ascanio *spem* dicit propter aetatem, ut L. IV. vs. 274. « Ascanium surgentem." Itaque ad aetatem potissimum *Spei* significationem referre videtur Servius, siquidem de pueris, de quibus incertum est judicare, bene speramus, eodem modo, quo semen terrae mandatum *Spes anni* dicitur Georgic. L. I. vs. 224. Etiam *spes* dicuntur parentum liberi, qui in posterum iis possint esse solatio vel auxilio. Virg. L. VIII. vs. 514. vel denique *spes* dicuntur, quod in iis posita sit spes continuandi genus. Aen. L. II. vs. 503. « Spes tanta nepotum" et « Gemelli spes gregis" Ecl. L. I. vs. 15. et adultus apium foetus *spes gentis* dicuntur Georgic. L. IV. vs. 162.

95. V. not. ad vs. 92.

Bellum erat. cf. not. ad vs. 92. h. Ep.

96. *Rigida*, inflexibili, et capti propositi tenacissima in vitium usque, quasi ferrum et robur et silices intra pectus essent. Oud.

97. *Flexit.* Uti ex observatione Broukhusii ad Tibull. L. I. El. 8. vs. 67. *flecti* dicuntur homines mitiore et faciliore ingenio; ita Dii ad misericordiam et clementiam proni. Ovid. Am. L. I. vs. 442. Metam. L. I. vs. 378. Virg. Aen. L. VII. vs. 312. cf. not. ad vs. 86. Ep. I. et ad vs. 92. h. Ep.

Felicior illa! scil. quam ego.

98. *Pro nullo pondere*, i. e. tanquam sine pondere. Heins. Sine effectu in vanum effunduntur.

100. *Dominum — torum.* Sic

Me quaedam (memini) Dominam captiva vocabat;
Servitio, dixi, nominis addis onus.
Per tamen ossa viri, subito male tecta sepulcro,
Semper judiciis ossa verenda meis;
Perque trium fortes animas, mea numina, fratrum,
Qui bene pro patria, cum patriaque, jacent,
Perque tuum nostrumque caput, quae junximus una;
Perque tuos enses, cognita tela meis;

domina urbs pro Roma. Ovid. Am. L. II. El. 5. vs. 30. « Injiciam dominas in mea jura manus." Heins. Ovid. Am. L. II. El. 14. vs. 16. Rem. 291. Ex P. IV 5. 7.

Vocata. Vocare est herilis imperii. Heins. Versuum 99 et 100 hic sensus est: Nec tamen quod te non moveam, indignor; nec me conjugem tuam gessi, sed serva domini jussis obediens fui, vocata in domini mei torum venire non recusavi.

102. *Nominis addis onus*, servitutem meam magis aggravas, cum vocas me honorifico nomine dominae, cum serva sim. Hubert.

103. Ne tamen, inquit Hubert, Achilles eam respueret, quia interea, dum fuit cum Agamemnone, cum eo concubuisset, affirmat multis juramentis se nunquam tactam fuisse ab Agamemnone.

Subito male tecta, i. e. quae, effossa tantummodo terra, vix tumulari potuerunt propter repentinam et frequentem in Lyrnesso stragem.

104. *Judiciis ossa verenda meis*, quae ut amem ac reverear semper dignissima judico. Ita Achilli sese ab amore conjugali commendat Briseis.

105. *Mea numina*, quos numinum instar colo, vel quorum manes velut numina colo, ut recte explicuit Burm. cf. Quinctil. I. O. in prooemio L. VI. p. 495. ibiq. Notae. Rich. Ommerenius (van Ommeren) in Oratione Belgice conscripta de Q. Horatio Flacco, homine pag. 15. et not. ad h. l.

106. *Bene pro patria — jacent.* Per excellentiam *bene*, *pulcre*, *gloriose* facere dicuntur, qui pro patria occubuerunt. « Pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere si ei profuturus sit." Verba sunt Ciceronis Off. L. I. c. 17.

107. *Perque tuum nostrumque caput.* Solebant ita veteres per suum perque caput atque oculos ejus, quem amabant jurare. Virg. Aen. L. IX. vs. 300. ibiq. Serv.

Quae junximus una. Jungere capita de concubitu poni-

Nulla Mycenaeum sociasse cubilia mecum
Juro: fallentem deseruisse velis.
Si tibi nunc dicam: Fortissime, tu quoque jura,
Nulla tibi sine me gaudia facta: neges.
At Danaï moerere putant. tibi plectra moventur:
Te tenet in tepido mollis amica sinu.
Et si quis quaerat, quare pugnare recuses:
Pugna nocet: citharae, vóxque, Venusque juvant.

tur, ut ad h. l. docuit Heins.

108. *Cognita tela.* Intellige arma, quorum vim mortiferam maritus, fratresque mei experti sunt.

109, 110. Juro me nunquam concubuisse cum Agamemnone, et, si te fallo, deseras me et nunquam recipias.

Deseruisse pro deserere V. Vechn. Hellenol. L. I. c. 14.

111. *Si tibi nunc dicam* etc. Verecunda sane, ut decebat servam, ad simile jusjurandum provocatio, qua significat vix dubitare se, si quis ab Achille talem jurisjurandi formulam de continentia ejus postulaverit, quin recusaturus sit: fama enim erat, Achillem post discessum Briseïdis, in amores incidisse Diomedes, Phorbantis filiae, quam e Lesbo abduxerat. Sax.

112. *Nulla tibi* etc. Te nullius furti, me absente, conscium esse, te nullum ex consuetudine puellae fructum et oblectationem cepisse. *Gaudia* vero de libidine amoris et re venerea sumi sexcenta poëtarum loca demonstrant. V. Ovid. Ep. XVII. vs. 107. Am. L. II. El. 3. vs. 2. A. A. L. II. vs. 481. Sax.

Neges, negabis. Per Heterosin, quam dicunt Grammatici, temporum. V. Vechn. Hellen. L. I. c. 14. cf. Ep. XII. vs. 202.

113. *At Danaï moerere putant*, etc. vehementer falluntur; nam *tibi* etc. Exprobrare Achilli Briseis fingitur, quod sui inmemor vivat, suique memoriam novus amor aliaeque oblectationes jam exstinxerint. Ceterum haec desumta sunt ex Il. L. IX. vs. 186. De Diomede, quacum concubuerat Achilles, vs. 660. sq.

Plectra sunt, quibus citharae pulsantur: quorum instrumentorum non aliunde formae melius quam ex figuris discuntur. V. Periz. ad Ael. V. H. L. III. c. 32. qui figuras exhibuit. Sax.

115. *Et si quis* etc. Et si quis *quaerat*, i. e. dubitet, quare pugnare recuses; ratio in promtu est, non quod rapta

Tutius est jacuisse toro, tenuisse puellam,
Threïciam digitis increpuisse lyram;
Quam manibus clypeos, et acutae cuspidis hastam,
Et galeam pressa sustinuisse coma.
Sed tibi pro tutis insignia facta placebant:
Partaque bellando gloria dulcis erat.
An tantum, dum me caperes, fera bella probabas?
Cumque mea patria laus tua victa jacet?
Di melius: validoque, precor, vibrata lacerto
Transeat Hectoreum Pelias hasta latus.

fuerim, detrectas praelium, sed quod Veneri, amori indulgere pergas.

Eleganter hic Briseis illos hortatores imitatur qui, si vincere non possunt argumentorum gravitate, irrisionis arma capiunt: saepe enim fractos pudore videmus, qui nulla ratione vincerentur. Nihil vero minus ferre possunt feroces et militares viri, quam lubricos de animi eorum levitate et ignavia rumores, aut malignos de istorum mollitie aliorum vel levissimas suspiciones. Sax.

116. *Voxque*, cantus.

118. *Increpare*. Pulsare, ferire.

Threïciam — lyram. Threïcia dicitur lyra ab Orpheo Thrace, ejus inventore, licet alii Mercurium, alii alios poëtarum principes, eam invenisse narrant. Hygini Poëticon Astronomicon L. II. c. 8. *Lyram*, eadem, quam modo *citharam* vocavit, quamvis alii subtiliter magis quam vere fortasse distinguant.

120. *Pressa*, scil. pondere galeae.

121. *Sed* etc. novi enim, *tibi* etc.

122. *Parta*, tibi quaesita virtute, labore, meritis.

123. *An tantum* etc. Perquam venusta suspicio, ac temporibus fortunaeque Briseidis adcommodata, quasi Achillis virtutem mulieris causa, et ob id solum amaverit, ut Lyrnesso atque adeo Briseide potiretur, nunc cum exitio istius urbis omnes fortitudinis igniculos extinxerit. Sax.

124. *Victa jacet*. V. not. ad vs. 84. h. Ep. et ad vs. 3. Ep. I. ibi cit.

125. *Di melius*, supple *velint* vel *jubeant*, vel *faciant*. V. Sanctii Minerv. L. IV. c. 5. pag. 665.

Solebant veteres post infausti alicujus ominis commemorationem addere deprecandi for-

Mittite me, Danaï; dominum legata rogabo:
Multaque mandatis oscula mixta feram.
Plus ego quam Phoenix, plus quam facundus Ulixes,
Plus ego quam Teucri (credite) frater agam.
Est aliquid collum solitis tetigisse lacertis,
Praesentisque oculos admonuisse sui.

mulas, ne Dii istud forte ratum habeant. Sax.

Vibrata. *Vibrare* et *librare* perpetuo a librariis permutantur, eumque vicinae significationis sint, vix decerni potest, utrum sit praeferendum. *Librare* proprie est libra ponderare et expendere; deinde jactum teli vel fundae meditari, experiri quibus viribus telum adigendum sit. Hinc *librarores* dicebantur milites qui tela, jacula, hastas emittebant. V. Tacit. Ann. L. II. c. 20. et L. XIII. c. 39. *Vibrare* primum celerem teli agitationem, deinde ipsum teli jactum significat. V. Ep. IV. vs. 43. *Librare* igitur est jamjam missuri: *Vibrare*, mittentis. De horum verborum discrimine Vid. Marcland. ad Stat. Sylvas. L. V. Sylv. 2. vs. 102. Swartz. ad Plinii Paneg. c 13. Oud. ad Luc. L. IV. c. 10. Ruhnk.

126. *Pelias hasta* ita dicitur, quod quercu hastile erat confectum ex Pelio, Thessaliae monte, desumta, qui quercubus abundabat secundum Ovid. Fast. L. V. vs. 381. Hom. Il. L. XX. vs. 277. ibique Köppen. Solus autem Achilles hanc hastam vibrare potuit Il. L. XIX. vs. 388. sq.

127. *Legata*, missa.

128. *Oscula — feram*, i. e. dabo. Sed interdum *oscula ferre* est auferre, accipere, ut Ep. XV. vs. 101. et sic *ferre* in aliis locutionibus duplicem vim habet. Ruhnk.

129. V. Argum. §. 5. Phoenix Achillem docuit *bene facere* et *bene dicere* Hom. Il. L. I. vs. 443. Cf. vs. 27. h. Ep.

130. *Teucri — frater*, Ajax, Telamonis filius, ex Hesione filia Laomedontis, Graecorum post Achillem fortissimus; quo mortuo contentio inter Ajacem et Ulyssem de armis occisi Heroïs orta est, quae cum huic addicta essent a judicibus, Ajax prae ira insaniens totas ovium greges jugulavit, putans se Atridas et Ulyssem occidere, tandemque semet ipsum gladio transfodit. Cruor ejus in florem hijacinthum est mutatus. V. Ovid. Metam. L. XIII.

(*Credite.*) Per parenthesin interponi vel praeponi solet poëtis ad majorem fidem faciendam. Oud.

Sis licet immitis, Matrisque ferocior undis;
Ut taceam, lacrimis comminuere meis.
Nunc quoque (sic omnes Pelcus pater impleat annos,
Sic eat auspiciis Pyrrhus in arma tuis)

131. *Est aliquid.* V. Scheller. Praecept. Stil. h. Lat. Part. I. c. 2. pag. 194. Belgice, *het is wat te zeggen.* Belgae nempe hac locutione utuntur, cum magnum aliquid significare volunt, quo sensu et hoc loco accipio, ut dicat Briseis; magnam vim atque efficacitatem habebit, si ego, cui saepe antea e collo ejus pendenti et roganti aliquid concessit, more solito adfectus ejus commovere adnitar, atque influet praesentia mea per oculos in animum (Musaeus Her. et Leand. vs. 94. sq. Anacreon Od. XVI.) commovebitur, si coram gementem et subplicantem et fata mea querentem me viderit, quam adeo perdite amavit. Construo igitur. *Est aliquid — admonuisse sui praesentis oculos*, ut *oculos* referatur ad Achillem, *sui* ad Briseïda. Cf. Ciofan. ad Metam. L. XIII. vs. 241.

133. *Matris*, Thetidis, nymphae marinae. V. Argum. §. 2. Fac te inexorabilem esse et maris aestu saeveriorem, haud despero tamen, te vel silentio vel lacrimis meis commotum iri. Sax. cf. Valcken. ad Euripid. Hipp. pag. 196. ad vs. 304, 5.

134. *Ut*, concedentis. Belgice, *ofschoon ook.* V. Tursell. in v. *Comminui*, frangi. cf. not. ad vs. 86. Ep. I.

135. *Nunc quoque*, cum ad te missa non sim.

Sic. Etiam precibus et votis inservit, inquit Tursell. in v. Solebant enim petentes, ut facilius inpetrarent, ea optare, quae scirent illi, quem precabantur, esse gratissima, ductu, auspicioque voculae *sic.* Pelei patris ac Pyrrhi sive Neoptolemi in Scyro sibi educati meminit Achilles apud Hom. Il. XIX. vs. 326. sq.: verum nullibi Deïdamiae aut Lycomedis apud Poëtam mentio est; procul dubio, quod turpe factum suo heroï tribuere nollet. Id sentiens Ovid. eum matris precibus indulgentem in Lycomedis aula latuisse cecinit A. A. L. I. vs. 689. sq. Ita et Serv. apud Aen. L. II. vs. 477. «In insula Scyro, una de Cycladibus, fuisse Lycomedem, patrem Deïdamiae, matris Pyrrhi, quam Achilles, commendatus ibi a Thetide, vitiavit, unde Pyrrhus natus. cf. Hygin. fab. 96.

Omnes — impleat annos. Non ante diem nec violenta sed fatali et sua morte obeat. Oud.

136. *Tuis auspiciis*, tua felicitate. Sit victor, ut tu semper fuisti. Hubert.

Respice sollicitam Briseïda, fortis Achille:
Nec miseram lenta ferreus ure mora.
Aut, si versus amor tuus est in taedia nostri,
Quam sine te cogis vivere, coge mori.
Utque facis, coges. abiit corpusque colorque.
Sustinet hoc animae spes tamen una tui:
Qua si destituor, repetam fratresque virumque:
Nec tibi magnificum femina jussa mori.
Cur autem jubeas? stricto pete corpora ferro.
Est mihi, qui fosso pectore sanguis eat.
Me petat ille tuus, qui, si Dea passa fuisset,
Ensis in Atridae pectus iturus erat.

137. *Respice.* Vid not. ad vs. 113. Ep. I.

138. *Nec tu ferreus*, ferro duritie similis, me *lenta mora*, quasi lento igne, uras, torreas, crudelissime vexes. cf. Ovid. Trist. L. III. El. 11. vs. 4. Ep. I. vs. 137. V. Duker. ad Flor. L. II. c. 6.

139. *Versus — in taedia*, mutatus in fastidium, si tu, qui me antea amavisti, nunc fastidis.

140. *Quam*, me scil.

141. *Utque facis, coges.* Neque dubium est, si eandem consilii rationem, quam coepisti, diutius tenueris, quin mori me coëgeris; macies enim jam corpus occupavit, et vultui suus color, sua forma deëst; sola *tui* recuperandi *spes* hoc, quidquid est animae sive vitae, alit et tuetur. Sax.

142. *Sustinet.* Inhibet., moratur.

Hoc animae, pro hanc animam, vel ἐμφατικῶς, hoc exiguum, quod de anima superest, manet, quia sperat te rursus meum fore. Adfectum tenerrimum haec indicant, uti supra Ep. L. I. vs. 113. Trist. L. I. El. 3.

143. *Repetam fratres* etc. V. Argum. §. 2. cf. Horat. L. IV. Od. 7. vs. 14. sq.

144. *Nec tibi magnificum* etc., supple negotium. Nec feminâ ad mortem cogendâ magnam consequeris laudem.

145. *Cur autem* hoc *jubeas?* Hoc negotium alteri deferas, cum ipse hoc exsequi possis.

146. *Est mihi, qui* etc. Haec locutio fortem animum ac neci obëundae paratum mirifice exprimit; quod melius sentire, quam verbis exprimere possis. cf. Ovid. Metam. L. IV. vs. 149.

147. *Si Dea passa fuisset.* Deam Pallada intelligo, quae a Junone praemissa Achillem jam

At potius serves nostram, tua munera, vitam.
Quod dederas hosti victor, amica rogo.
Perdere quos melius possis, Neptunia praebent
Pergama. materiam caedis ab hoste pete.
Me modo, sive paras impellere remige classem,
Sive manes, domini jure venire jube.

gladium stringentem in Agamemnonem a proposito retraxit. V. Hom. Il. L. I. vs. 193. sq.

149. *Tua munera*. V. Argum. §. 2. Vitam, quam tuo munere servavi, cum me jure belli interfioere potuisses. Venusta oppositio, qua non solum poëtae sed alii etiam scriptores utuntur. Ruhnk.

150. *Amica*. Obposite ad *hosti*, *amicam* se dicit, quamvis sensu minus honesto hanc vocem alibi adcipi haud ignorem.

151. *Melius*. Rectius. cf. Horat. L. I. Od. 2. vs. 22.

Neptunia — Pergama. V. not. ad vs. 67. Ep. I.

152. *Materia*, omne illud, ex quo aliquid fit, vel quod occasionem praebet. Justinus Hist. Epit. L. XXX. c. 1. de Ptolemaeo, « Avide materiam quietis arripuit." Suet. in Caes. c. 22. « Idonea materia triumphorum." *Idoneam materiam*, intellige occasionem *crebram*. Eodem modo, quo Graeci suum ἱκανὸν pro *abundanti* ponunt. Belgice *overvloedige gelegenheid*.

Ab hoste, non ab amica. Hubert.

154. *Domini jure*. cf. vs. 99. sq. et not. ad h. vs.

Literis suis tandem inponit finem Briseis hac precum summa, ut Achilles, sive in patriam reversurus, sive in castris moraturus, se quam primum jure Domini repetat. Mirémur hic copiam varietatemque dictionis in re admodum vulgari navigationis. *Impellere classem remige* i. e. ac supra vs. 58 *linea vela notis dare*, vs. 65. pati, ut *canescant aequora remis*, vs. 66. *puppes ire*. Ceterum dominorum in servos servasque jus tam late patebat, ut familiam illi suam, ubi et quando ipsis videretur, a quocunque vindicare possent. Sax.

PHAEDRA HIPPOLYTO.

ARGUMENTUM.

§. 1. Jupiter ex Europa, Agenoris, Tyrii Regis, filia, quam in taurum candidum et placidissimum conversus in Cretam transtulerat, Minoëm, Rhadamantum et Sarpedonem genuit; deinde Asterius, Theutami filius, qui insulae imperabat, Europam uxorem duxit, et, cum liberis careret, illos adoptavit.

§. 2. Minos, Cretae regno accepto, quod Rhadamantus legibus firmaverat, Itonen, Lystii filiam, matrimonio sibi junxit, ex qua Minoëm juniorem sustulit, quem nonnulli Jovis filium existimarunt. Hic Graecorum primus fuisse dicitur, qui, classe comparata, maris sibi vindicaret imperium.

§. 3. Juniori huic Minoï nubsit Pasiphaë, Solis et Cretes filia, quae Deucalionem, Catreum, Androgeum, Ariadnen et Phaedram illi peperit.

§. 4. Propter Androgeum interfectum, et Ariadnen a Theseo in insula Naxo relictam, inimicitias inter Minoëm Juniorem et Aegeum et Theseum, Athenarum Reges fuisse, ex vs. 69. Ep. II. vidimus. Hae vero, Minoë mortuo, desierunt, et Deucalion patris in regnum successor, societate cum Atheniensibus juncta, sororem Phaedram Theseo in matrimonium dedit.

§. 5. Sed Theseus ex priori cum Hippolyte, Amazonum Regina, matrimonio (cf. not. ad vs. 72. Ep. II) filium habebat Hippolytum, quem, ne liberis, quos ex Phaedra forte susceperturus esset, inperaret, neve illi in hunc imperium aliquando exercerent, Troezenen, Argolidis urbem, ad Aethram matrem ablegavit, ut Pittheo, Troezenio regi, Aethrae patri, olim succederet.

Hic suae aetatis rex erat et optimus et sapientissimus, qui non praeceptis solum sed et suo ipsius exemplo Hippolytum ita erudivit, ut recti honestique amore ductus a voluptatibus omnibusque malis artibus abhorreret, venandi equitandique studio, principe persona dignissimo, maxime deditus.

§. 6. At Phaedra, perditae libidinis femina, cum Hippolytum in sacris Cereris (cf. not. ad vs. 42. Ep. II.) Eleusi, civitate Attica, vidisset, ita in illius amorem exarsit, ut Athenas redux templum in arce erigeret, unde Troezenen prospiceret,

et secum statueret, data occasione, omnia experiri, quibus ad suam voluptatem privignum adduceret.

§. 7. Circumspexit itaque Phaedra occasionem inpune, quae cogitaverat, exsequendi, quam discessu Theseï mariti mox nacta est, qui cum Perithoo ad rapiendam ex inferis Proserpinam profectus erat. Conjuge absente hanc epistolam a Phaedra scriptam Poëta fingit ad Hippolytum a Cereris sacris ad Pittheum reversum, antequam ipsa Noverca Troezenen venit, cum Theseo propter caedem Pallantidarum ex Attica fugiens.

§. 8. Hac epistola, cum Hippolyto suum amorem indicasset, speciosisque rationibus ad eam perlegendam illum permovere conata esset, turpes in juvenis Hippolyti animo adfectus et obsequio et aliorum etiam exemplis cïĕre artificiose nititur, et ne metu patris a facinore perpetrando deterreretur, absentiam ejus indicat non tantum, sed et patrem filio in odium adducit. Postremo multis precibus Hippolytum in suum adjurat amorem.

§. 9. Hic vero recti honestique tramitem non deseruit, Novercae et artes et preces contemnens. Quare Phaedra irrita, quae molita fuerat, intelligens, scelus scelere cumulavit. Ad Theseum enim reducem Hippolytum adulterii reum detulit, Theseus itaque filii mortem cum cogitaret, Hippolytus, curru conscenso, aufugere conatus est; verum pater ab avo Neptuno auxilium in sui ultionem inploravit, qui filio phocam inmisit, qua exterriti equi Hippolytum curru deturbatum sed loris inpeditum per saxa et devia traxerunt, itaque misere discerpserunt. Mortuum in vitam revocavit Aesculapius. Diana in Italiam translatum adpellavit Virbium. Phaedra crimen confessa necem sibi conscivit.

QUA, nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem Mittit Amazonio Cressa puella viro.

Phaedra Hippolyto salutem plurimam dicit. Ex hoc jam pleno epistolae titulo intelligas, quare vs. 1. Phaedra Hippolyto scribat, *salutem mittit*, i. e. mittit epistolam, qua illi optat statum, qui eum reddat a vitae periculo tutum, quo ipsa caritura esset, nisi ille dederit etc. cf. van Schelle pag. 34. init. Ordo enim hic est « *Puella Cressa mittit salutem viro Amazonio, qua*

Perlege quodcumque est. quid epistola lecta nocebit?
Te quoque, in hac aliquid, quod juvet, esse potest.
His arcana notis terra pelagoque feruntur:
Inspicit acceptas hostis ab hoste notas.

ipsa caritura est, nisi tu dederis. cf. §. 3 et 5. Argum. De Amazonibus V. Justinus. Histor. L. II. c. 4. sq.

2. *Cressa.* V. §. 3. Argum. *Puella*, non aetatem sed sexum indicat.

3. *Perlege quodcunque est*, quidquid in epistola scriptum est. Callide, inquit Sax., hic amoris turpitudinem dissimulat, impellitque Hippolytum ad epistolae lectionem, oblique insinuando istud sententiae virus, non interesse, quid quis legat, epistolam hanc complecti aliquid posse, quod eum scire non poenituerit.

Perlegere autem jubet, quodcunque est, non *legere:* altero tenorem legendi sive a principio ad finem cognoscendi, quae scripserit, studium poscit; altero delicatis ejus auribus et fastidio parcens, cupiditatem simul, quid scriptum sit, sciendi acuit. De nausea rei amatoriae, quae in Hippolyto fuisse perhibetur, testem legite Euripid. in Hippol. a vs. 1004 — 1006. cf. van Schelle pag. 14.

4. *Quod juvet.* cf. not. ad vs. 212. Ep. III.

5. *His arcana* etc. Ne vero (Hippolytus) miretur novum scribendi genus per epistolas, docet eum, quoscunque nunc absentes cum absentibus familiariter eo pacto loqui solere. Literae enim, inquit, nunc terra et mari, ultro citroque mittuntur, nec hostis gravatur, acceptas ab hoste tabulas inspicere ac legere. Epistolae vero naturam per *arcana* opportune describit: haec enim liberae confabulationis vicem sustinet, quam nemo prudens temere in vulgus emanare jusserit, inprimis rei amatoriae dos esse solet taciturnitas et loquacitatis fuga. Hinc epistolam, amoris interpretem, Ovidius vocat *arcanum opus* Ep. XVII. vs. 265. *Arcanas tabellas* Am. L. II. El. XV. vs. 15. *Arcana verba notata manu* A. A. L. II. vs. 596. et *Arcanam literam* Metam. L. IX. vs. 515. Cum autem Poëta non *literarum* sed *notarum* meminerit, id indicio est respexisse eum ad mores Heroïcorum temporum, quibus nondum videbatur literarum usus fuisse, sed quorundam signorum animi indicum. Hinc Homerus, cum Proëti epistolam Bellerophonti datam recenset, non γράμματα, sed σήματα nominat. Il. L. VI. vs. 168. Sax.

Ter tecum conata loqui, ter inutilis haesit
Lingua, ter in primo destitit ore sonus.
Qua licet et sequitur, pudor est miscendus amori.
Dicere quae puduit, scribere jussit Amor.

cf. Heynii V. Cl. Var. Lectt. et Obss. in L. VI. vs. 169. et Köppen ad h. vs.

6. *Inspicit* etc. Argumentum a majori ad minus. Si enim legimus *notas* (epistolas, ut Ep. III. vs. 2. *notata*, perscripta) hostium, quorum nomen ne audire quidem volumus; multo magis legendae sunt literae eorum, qui nos amant. Hubert. cf. van Schelle pag. 23.

7. *Ter* etc. Scil. in templo Cereris. Numerum ternarium in talibus amant poëtae, tanquam perfectiorem, utpote inparem. Ovid. Metam. L. X. vs. 452. Trist. L. I. El. 2. vs. 55. Quae sit hac de re Pythagoreorum sententia, adnotat Servius ad Virg. Ecl. VIII. vs. 75. "Superi nempe dei inpari, Inferi pari numero gaudent." Hujus rei gratia, inquit Saxius, saepe tecum coram agere tentavi, sed conantem interpellavit metus et angor quidam, orationem et rationem intercludens. Non mediocrem haec vim habent ad acuendam legendi curiositatem et favorem sibi conciliandum; aliquamdiu enim Phaedra suspensum tenet Hippolytum, reique futurae exspectatione ad caeterorum cognitionem acerrime invitat, dum, ne contrahat ille frontem, nescio qua pudoris spe juvenem lactat.

Inutilis — lingua dicitur, quae suum non praestat officium. Hubert.

Destitit, restitit. *Desistere* vulgo significat *consilium mutare*, *abstinere*, quod sonus dici non potest. Poëtice hoc quidem dici potest de omnibus iis sive animatis, sive inanimatis, quae efficiunt aliquid, non quae efficiuntur, ut *sonus*; qui itaque, haerente lingua, *restitit*, *constitit*, non *destitit* in anteriore oris parte, atque os aut labra non egreditur. Cf. Apoll. Rhod. L. III. vs. 685. sqq.

9. *Qua*. cf. not. ad vs. 52. Ep. II.

Qua licet et sequitur etc. Hic versus ad absolutionem sententiae pertinet; reddit enim rationem Phaedra, cur verbum proloqui nullum, praesente Hippolyto, ausa sit, pudoremque causatur, quem nullum tamen habebat impura femina; nam *qua licet*, inquit, sive *quatenus* vel *quantum ejus fieri potest et sequitur*, paret et obsecundat amor pudori. *Pudor est miscendus amori*, inesse tamen amori nonnihil verecundiae debet. Sax.

10. *Dicere* etc. At vero,

Quidquid Amor jussit, non est contemnere tutum.
Regnat, et in Dominos jus habet ille Deos.
Ille mihi primo dubitanti scribere, dixit;
Scribe: dabit victas ferreus ille manus.
Adsit, et, ut nostras avido fovet igne medullas,
Fingat sic animos in mea vota tuos.

quam verecundiam Cupido, te praesente, superare non potuerat, eam, te absente, fregit et vicit, neque id demum *scribere* jussit, quod *ore proferri* vetuit pudor. cf. van Schelle pag. 23. Argumenti hic calumnia utitur, omnemque culpam, quae inpudicitiae ejus erat, ut eo tolerabilior honestiorque videretur, in Deum et Praesidem amoris confert, quasi id ratum sit jure, moribus et legibus, quidquid iste nequitiarum consiliator et imaginarius artifex imperaverit. *Amor* autem hic pro *Cupidine*, ut saepe alias. cf. Ep. II. vs. 104. Sax.

11, 12. Sensus est: Amoris jussis pareas, quod ni feceris, maximum certo certius inde te manet periculum. *Ille*, per emphasin, magnus. *In Deos rerum Dominos*, nedum in homines *jus habet*, i. e. summum imperium et potestatem pro arbitrio exercet. De pronomine *Ille* V. Tursell. op. l. in v.

Videte, qua arte scelus suum tegat, et simul discrimen boni et pravi animo juvenis evellere conetur Phaedra inde colorem libidinis suae petendo, grave Amoris numen et in ipsos majorum gentium Deos imperium esse, cujus arbitrio qui mortalium reluctetur, nae is malam rem sibi arcessit. Oblique alienum ejus animum a voluptate reprehendit, suadetque, ne in posterum Veneris et Cupidinis iram morositate sua in se provocet. cf. Euripid. in Hippol. vs. 6. — 21.

13, 14. Ne itaque mireris, me, Novercam tuam, propter turpitudinem, quae huic rei inesse *videatur*, amorem meum tibi per literas significare primo dubitantem, tamen hanc epistolam ad te misisse; nam *Ille*, Amor scil. *mihi dixit*, jussit, *scribe;* et hoc mihi obedientiae promisit praemium, *dabit victas ferreus ille manus*, i. e. Hippolytus, quamvis ferreus et durus, tibi succumbet, tibi se praebebit amandum. cf. van Schelle pag. 24. *Victas* autem *manus dare*, ligandas scil., dicebantur olim victi in arena gladiatores. Loquendi ratio, inquit Ruhnk. ad h. vs., ducta est a gladiatoribus inter se pugnantibus, quorum alter, ut se victum fateretur, manus tollebat

Non ego nequitia socialia foedera rumpam.
Fama (velim quaeras) crimine nostra vacat.

et adversario victori tendebat. V. Gronov. Obs. L. I. c. 7.

15. *Adsit.* Verbum est implorantis Numinum favorem. Anton. Faveat, auxilium ferat. Ruhnk.

Avido. *Avidus* homo dicitur, qui plura cupit. Eleganter hic igni *inanimato* actio tribuitur humana, cum proxima quaeque semper adpetat, plura semper desideret, quibus sese alat.

Ut nostras — fovet, calefacit, *medullas*, i. e. ut mihi causa est, quod ego te intime, ardentissime adamem. *Fovere*, ut ait Ruhnk., in bonam partem semper dicitur, atque adeo locum, quem habet, vix tueri potest. Plane elegans igitur est Cl. Oud. conjectura *avido coquit igne medullas.*

16. *Fingat sic*, i. e. in eum illos habitum effingat, quem ego opto Cl. Lennep. ad h. vs. Faciat itaque, ut tu eodem vehementissimo amore me complectaris, quo ego te. De significatione verbi *fingere* V. Periz. ad Sanct. Minerv. L. I. c. 3. nº. 2.

Fingat — animos in mea vota tuos. Sax. V. Cl. ita interpretatur: Emolliat duritiem tuam, et trahat ad voluntatis meae libidinem. *Animi* multitudinis numero, ut supra Ep. III. vs. 85, sumuntur potius de elatione animi et ferocia, quam de animo ipso. *In* finem (consilium) significat. V. Tursell. Op. l. in v.

17. *Non ego nequitia.* Recte de lascivientis libidine poni observavit Cl. Burm., adeo ut Phaedra se amore Hippolyti fixo, non desultoria libidine moveri significet. Hac posteriori significatione hoc substantivo usus est Horat. L. III. Od. 15. vs. 2. Ovid. Ep. XVII. vs. 29. cf. van Schelle pag. 24.

Socialia foedera. Foedera lecti Ep. V. vs. 101. Interdum *foedera* Ep. IV. vs. 147. A. A. L. II. vs. 579. Ruhnk. Significatur societas nostri amoris, quam mecum feceris. Laudat se ab honestate ante actae vitae, ut ostendat se futuram fidelem et firmam in amore Hippolyti. Hubert.

18. *Fama.* Famam intelligit honestum et a crimine immunem vitae suae tenorem vel cursum, cf. Ep XVII. vs. 14. 19. Infra vs. 27. candor nomine *famae* occurrit. Cf. Euripid. in Hippol. vs. 773. 74. Seneca in Hippol. vs. 251, 665. Sax.

(*Velim quaeras*) omisso τῷ *ut.* Hujus particulae omissione elegantiam non adjuvari docet Schellerus in Prace. Stil. p. Lat. Part. I. c. 2. nº. 8. pag. 60.

Vacat, caret, Hubert.

Venit Amor gravius, quo serius. urimur intus,
Urimur; et caecum pectora vulnus habent.
Scilicet ut teneros laedunt juga prima juvencos,
Frenaque vix patitur de grege captus equus:
Sic male vixque subit primos rude pectus amores;
Sarcinaque haec animo non sedet apta meo.

19. *Venit Amor* etc. Sensim paulatimque gradum facit ad arcem honestatis invadendam et expugnandam, argumentumque, etsi plumbeum sua natura, juventi tamen animo mire blandiens inde petit, semel in vita cuique esse amandum. (Quo maturius vero quis amoris deliciis capiatur, eo feliciorem esse, Phaedra pronunciat. T.). Amorem enim, quo serius, eo gravius pungere, idque capitale praeceptum suo videtur exemplo adprobare; unde, quid machinetur, quid audeat, intelligitur: scilicet, ut juvenis ferox et adstricti moris quam primum voluptatem laboribus anteponat. Sax.

20. *Urimur; et caecum* etc. Ad duplicem armorum Cupidinis vim, faces et arcum, respicit; illis aestum et furorem animi, hoc vulnera effici credebant veteres. Sax. cf. not. ad Ep. II. vs. 39.

Urimur intus, urimur. Hinc aquam haurire cupit apud Euripidem Hippolyt. vs. 208. sq. De ejusdem verbi repetitione vid. quae scripsimus ad vs. 83. Ep. I. *Caecum vulnus*, occultum, latens, quod non videtur. Alias *caecum* etiam dicimus, *qui non videt.*

21. *Scilicet* etc. Facit quamdam comparationem, qua ostendit, quam difficile ferat hunc amorem novum et sibi insolitum. Hubert. Eleganter Phaedra a juvencis et equis duxit comparationem, quos optime noverat Hippolytus. Rationem vid. in §. 5. Extr. Argum.

Juga prima, primum collo imposita, *laedunt*, gravant, *teneros*, juvenes et jugo non assuetos, *juvencos*. Hubert.

22. *De grege captus.* Nondum domitus. Hubert.

23. *Male*, cum molestia. V. Tursell. Op. l. in v.

Subit, sustinet. Active ponitur. Hubert. De verbis neutris vel falso ita dictis V. Sanct. in Minerva L. III. c. 3. pag. 380, ubi verbum *subire* invenias ibiq. Perizonii not. De recto verbi usu Scheller. l. l. Part. I. c. 8. n°. 66.

Primos — amores. V. not. ad vs. 21. h. Ep.

Rude, ad amorem scil. Pp.

Ars fit, ut a teneris crimen condiscitur annis.
Quae venit exacto tempore, pejus amat.
Tu nova servatae capies libamina famae:
Et pariter nostrum fiet uterque nocens.

inpolitum, incultum; hinc ignavum, inscium.

24. *Sarcina.* Onus, amoris molestia.

Sedet non apta. Adsidue mihi molestiam parit, continuo me gravat, quia *sarcina* illa *non apta*, non conveniens, nova est pectori meo. De verbo *sedere* V. Scheller. cit. in not. ad vs. 72. Ep. II.

Quoniam, inquit Sax., juvenis ab omnibus ejusmodi illecebris et re uxoria abhorrebat, ideoque verendum erat, ne blandam Sirenis vocem contemneret, tacite et subobscure institutum vitae genus Hippolyti probare videtur, non mirari se indicans odisse eum jucundos in amoribus fructus; eorum enim periculum nunquam fecisse; juvenes non magis ferre posse amoris imperium, quam juvencos jugum, aut equos recens de grege sumtos vel frena vel sessorem: quin sibi ipsi molestam esse hanc amoris sarcinam, tametsi jam provectiori aetate sit. Quid vero levius, quid impudentius hac argumentatione? Continentiam enim adolescentis non ut virtutis et sapientiae, sed ut inscitiae et rusticitatis notam interpretatur.

25, 26. *Ars fit* etc. Sensus est: Ubi sive quando vel quatenus crimini (amandi), inlicito amori, ab ineunte aetate femina operam dedit; in artis formam amor iste abit, sive crebro exercitio sibi facultatem quaesivit, moderatius et velut ex quibusdam praeceptis amandi: quae vero longo tempore elapso, vel sero amare incipit, vehementius atque inmoderatius furit. Illud enim est *pejus amat.* V. van Lennep. ad vs. 26. Tursell. Op. l. in v. *ut.*

Criminis vocabulum commune est omnibus vitiis sive levioribus sive gravioribus. cf. not. ad vs. 27. Ep. II. Oratio sane pestilens, exclamat Sax., et virtuti inimicissima! Quis nunc succenseat furibus, latronibus, aliisque ejus furfuris hominibus, si suum quisque facinus mature audeat?

27. *Tu* etc. Adlicit eum commendatione suae pudicitiae. Tu, inquit, eris primus, qui me vitiaveris, et pudicitiam meam abstuleris; nam a marito non aufertur mulieri pudicitia vel fama castitatis, sed ab alieno.

Dicit ergo, se semper fuisse intactam hactenus ab omnibus, praeterquam a Theseo, et Hip-

Est aliquid, plenis pomaria carpere ramis,
Et tenui primam deligere ungue rosam.
Si tamen ille prior, quo me sine crimine gessi,
Candor ab insolita labe notandus erat:
At bene successit, digno quod adurimur igni.
Pejus adulterio turpis adulter abest.

polytum fore primum, qui ejus servatam pudicitiam delibet. Hubert.

28. *Pariter.* Amorem enim ignoraverat Hippolytus uni venationi deditus.

Nocens, criminis reus. Sic saepe *nocens* pro, malo, noxae et criminis damnato. Sax.

29. *Est aliquid.* Non prorsus contemnendum. Belgice, *het is nog al iets.* Aliud itaque haec verba hic significant, aliud vs. 131. Ep. III. ad quem vid. not.

Plenis pomaria etc. Locum pomorum posuit Ovid. pro ipsis pomis. Hubert. Cujus tamen significationis exemplum nusquam memini exstare. Quid? si *pomaria carpere* idem sit, ac pomariis, quae plena sunt pomis, aliquid detrahere, vel ex iis aliquid legere. Nescio, quo facto aliter locus vel sanari, vel constitui possit. Hanc certe novissimam interpretationem similis locus adjuvat Ovid. ex Ponto L. III. El. 4. vs. 61. A se factum, inquit Anton., commendat, sumta a rerum primitiis imagine.

30. *Tenui — ungue. Tenuis* spectat unguis naturam.

Primam — rosam. Quia gratia major solet esse *primis* rosis. Hubert.

31. *Si tamen* etc. Si tamen *ille candor*, illa integritas pudicitiae meae, qua ante florui, Amoris jussu *notandus*, foedandus, violandus erat *insolita labe*, adulterii macula; *at*, saltem (Tursell. Op. l. in v. *at*) *bene successit*, prospere mihi cessit, *digno quod adurimur igni*, quod formosum juvenem amamus. Mirifice, inquit. Sax., hic Phaedra blanditur Hippolyto, eumque oblique a pulcritudine laudat.

33. *Adurimur.* V. Lennep. in Animadv. ad vs. 180. Ep. XII.

34. *Turpis* deformis enim *adulter pejus adulterio abest*, magis nocet famae vel est aliquid pejus, aliquid minus excusandum ipso adulterio. (Excusationem quippe criminis in eo quaerit improba mulier. Sax.). Hinc et *peccare* dicitur Horatio, quae deformem amat adulterum. Od. L. I. Od. 33. vs. 7. sq. Pro turpis adulter *abest* praefero *obest*, auctore Lennepio V. Cl. in Animadv. ad h. vs. Ejusdem mecum sententiae est Loers in l. specim.

Si mihi concedat Juno fratremque virumque;
Hippolytum videar praepositura Jovi.
Jam quoque (vix credas) ignotas nitor in artes:
Est mihi per saevas impetus ire feras.
Jam mihi prima Dea est, cornu praesignis adunco
Delia. judicium subsequor ipsa tuum.

Obest omnium fere Codd.[1] et vett. Edd. lectionem esse Idem adfirmat, atque ita interpretatur vs. 33, 34: At bene successit quod *digno* (non turpi) adurimur *igne* (rejicit l. *igni*); (nam) turpis adulter *pejus* (vulgo magis) obest, quam ipsum adulterium.

35. *Si mihi concedat.* Probat hisce verbis Phaedra se non erubescendis aduri ignibus, ut dixit Horat. Nunc, inquit Sax., sine verborum circuitione et ambiguitate intimos libidinis recessus et latebras salax mulier revelat, si Juno, inquiens, mihi daret optionem, utrum mallem Jovem an Hippolytum, haud dubie judicii beneficium ad Hippolytum pertineret. cf. van Schelle pag. 26.

Jam quoque. Nunc etiam. *Quoque* ei vocabulo postponi debet, cui vis addenda est. Uti docet Turnell. in v. *quoque.*

37. (*Vix credas.*) V. not. ad vs. 112. Ep. III.

Mittor praefero τῷ *nitor.* Quam lectionem nec damnat Lennep. ad h. vs. *Mittor*, scripsit V. Cl., est «quasi invita, contra naturam mei sexus abripior, ire jubeor."

38. *Impetus est mihi*, vehementer cupio.

Per saevas — ire feras. Secundum praecepta ipsius Ovidii in A. A. L. II. vs. 197—98, quibus rebus delectantur, quos amamus, iisdem debemus et nos delectari. Ideo, quia Hippolytus delectabatur venatione, dicit Phaedra videri sibi saepe exire in venationem, et omnia agere, quae ipse Hippolytus agere solitus sit. Hubert. Sumtum hoc totum est ex Euripidis Hippolyto a vs. 215. Sax.

39—40. *Delia*, Diana a Delo, maris Aegaei insula, ita dicta, ubi hanc et Apollinem uno partu Latona peperit ex Jove gravida. Dianam venatricem, quae *cornu*, i. e. arcum, quem graphice Ovidius *aduncum*, incurvum, dicit, tenens depingitur, callide sibi *primam*, i. e. praecipuam *esse* vel prae reliquis numinibus a se coli scribit Phaedra, ut Hippolytum venandi studiosissimum ac proin eidem Dianae addictum moveret, quod sacra cum eo sibi essent communia, et praeterea eodem jam ingenio esset venatrix facta. V. Senec. in Hippo-

In nemus ire libet, pressisque in retia cervis,
Hortari celeres per juga summa canes:
Aut tremulum excusso jaculum vibrare lacerto;
Aut in graminea ponere corpus humo.
Saepe juvat versate leves in pulvere currus, 45
Torquentem frenis ora sequacis equi.

lyto vs. 109. sq. Ita et Venus Adonidis amore capta venationi se dedit. Metam. L. X. vs. 535. sq.

41. *Pressisque in retia cervis.* Premere cervos in retia est venatoria dictio, ut et quod sequitur, *hortari - canes.* V. not. ad Nep. Miltiad. c. 3. §. 3. Virg. Aen. L. I. vs. 324. de apro

« Aut spumantis apri cursum clamore prementem."

i. e. *insequentem.* Euripidea expressit Ovid. in Hippolyto vs. 216. v. ad h. et proxime sequentem vs. Lennep. in Animadv.

42. *Juga summa* Majus meritum et laboris insoliti inpetum indicat vox *summa*, ut etiam in montium vertices enitatur. Burm.

43. *Tremulum* celeri motu, quo obstantem secat aërem.

Excusso. Extenso. Helmers *De Hollandsche Natie* vs. 85. « Zij drilt een zware speer in de uitgestrekte hand."

44. *Aut in graminea — humo.* In herba enim a lassitudine amant adquiescere venatores.

45. *Versate.* Frequentativi significationem ne negligas. *Currus leves in pulvere versare* vel eorum est, qui in ludis publicis circi populo solebant esse spectaculo, vel qui in campo virium suarum et industriae periculum faciebant. Quod utrumque in animo habere poterat Poëta. *Versare* enim circumactum veluti rotarum pingit. *Pulvis* autem sumitur praesertim vel de Circensibus ludis, vel de campo. Vid. Horat. L. I. Od. 1. vs. 3. L. I. Od. 8. vs. 3.

46. *Torquentem.* Vi flectentem ora equi sequacis.

Sequax equus est, qui frena sequitur, vel frenis paret, eodem sensu, quo Plin. Panegyr. c. 45. « Flexibiles quamcunque in partem ducimur a principe, atque, ut ita dicam, *sequaces* sumus." Ubi pluribus adjectivi et τοῦ *sequi* significationem inlustravit Schwarzius.

Lennepius, postquam in Animadv. docuerat Ovidianum hoc ex Euripidis Hippolyto vs. 229. esse ductum, ad verbum *torquentem* adnotat. « Huc vero nescio, an minus faciat receptum ab Heinsio *sequacis*, cum in antiquis Edd. sit *fugacis*." Mihi eadem, quae Viro Cl., est sententia. *Fugax* equus est

Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleïdes actae,
Quaeque sub Idaeo tympana colle movent:
Aut quas semideae Dryades, Faunique bicornes,
Numine contactas attonuere suo.

pp. qui propter timiditatem semper fugit, ferocis naturae est, quique adeo non *flecti* sed *torqueri* debet.

47. *Eleleïdes.* Quae alias Baechae, Thyades, Maenades vocantur, mulieres erant Baccho sacra facientes, et ab eo in furorem versae, ita dictae ab ἐλέλευ hortantis vocula, quam ingeminare solebant in Orgiis seu Bacchi sacris, de quibus V. Serv. ad Virg. Aen. L. IV. vs. 300.

48. *Quaeque* etc. Intellige sacerdotes Cybeles, quae in Ida, Phrygiae monte, maxime colebatur. Dicebantur hi sacerdotes *Galli* a Gallo, Phrygiae fluvio, ex quo quisquis bibisset, in furorem agebatur: sacra autem hujus Deae inter inconditos tympanorum et cymbalorum strepitus et furiosos Gallorum ululatus peragebantur. In feminino *quae* recte dixit Ovid. Galli enim feminae et puellae ubique citantur, quare Gallas, non Gallos cecinit Catull. Carm. 63. vs. 12, procul dubio, quod castrati essent.

49. *Aut quas.* Ex hoc loco Natalis Comes Mytholog. L. V. c. 19. colligit nonnullos existimasse Faunos esse Daemones, qui attonitos redderent omnes obvios; quod an alii dixerint, haud scio. Sed quare feminino genere dicitur *quas*, cum et viris occurrerent? Forte, ut illis viris, qui metuebant, effeminatum inde animum exprobret.

Semideae. Nondum coelo receptae, nondum dignae, ut terrena Numina, quae numero Deorum adscribantur.

Dryades, Nymphae quercuum. Oceanus, Neptuni filius, pater fluviorum, Tethyn uxorem duxit, ex qua Nereum et Doridem suscepit. E Nereo et Doride progenitae sunt Nymphae, quarum aliae vocabantur Nereïdes, quae mari; Naïades seu Naïdes, quae fontibus et fluviis; Napaiae, Dryades et Hamadryades, quae silvis et arboribus praeërant. Ratio, quare vetustissimi populi plures Deos statuerent, haec fuit, quod mente infantibus similes, sibi persuadere non possent, *unum* Deum, quem excellentissimum sibi fingebant hominem, universum orbem sine ministris regere posse et tueri.

Faunique bicornes. Fauni agrorum et sylvarum Dii, σάτυροι Graece dicti, capri caput ac pe-

Namque mihi referunt, cum se furor ille remisit,
Omnia. me tacitam conscius urit Amor.
Forsitan hunc generis fato reddamus amorem;
Et Venus e tota gente tributa petat.

des nec non barbam et cornua gerebant, qui comitabantur Panem, Mercurii filium, inter agrestes Deos principem, ad quem subiti terroris causae a Romanis referebantur.

50. *Numine contactas.* Fanaticas. cf. Ovid. Am. L. III. El. 1. vs. 64.

Attonare, reddere attonitum, i. e. talem, qui, ut canit Ovid. Trist. L. I. El. 3. vs. 11.

« . . . . . Jovis ignibus ictus
Vivit, et est vitae nescius ipse suae."

51. *Namque mihi referunt, cum se furor ille remisit, omnia.* Quasi dicat, ne mireris, me eorum nunc meminisse, quae furibunda et dixerim et concupiverim. Nescirem profecto omnia, nisi, aestu illo stultitiae nonnihil sedato, familiares meae de his rebus me certiorem reddidissent: id unum scio, mentem meam amoris motu quasi morbo vehementer perturbari et ad omnia coecam reddi. Quos vero insipientiae monitores habuerit Phaedra (utitur enim Ovidius multitudinis numero) non constat. Apud Euripidem in Hippol. sola est nutrix, quae delirantem feminam subinde verbis corrigit, ejusque aliquot insaniae specimina recenset vs. 212, 222.

52. *Conscius — Amor*, cujus sola mihi conscia sum, exponit Gesnerus in v. *conscius*. Malim equidem, cujus praeter me *tacitam* Amor, Deus, conscius seu testis. Cf. Ep. XVIII. vs. 105. Euripides in Hippolyto vs. 38.

« . . . . K' ἀπεπληγμένη
Κέντρους ἔρωτος, ἡ ταλαιν' ἀπολλυται σιγῇ."

53. *Forsitan.* V. not. ad vs. 77. Ep. I.

Generis fatum. Hic dicitur *fatum*, quod plures ex eadem gente vexavit aut pressit, eodem modo, quo Ep. VIII. vs. 65.

« Hoc generis fato" etc.

54. *Et Venus.* Veneri adscribit (*tribuit* vel inputat) insaniam suam Phaedra, quia illa irata Soli omnem ejus progeniem vexare studebat. Ovid. Metam. L. IV. vs. 109.

« Exigit indicii memorem Cythereia poenam." Burm.

Palam nimirum fecerat Sol Veneris cum Marte concubitum, quae toto coelo diu notissima fuerat fabula, ut cecinit. Ovid. l. l., quod factum vehementer dolens Venus omnem Solis stirpem infandis amoribus

Juppiter Europen (prima est ea gentis origo)
Dilexit, tauro dissimulante Deum.
Pasiphaë mater, decepto subdita tauro,
Enixa est utero crimen onusque suo.
Perfidus Aegides, ducentia fila secutus,
Curva meae fugit tecta sororis ope.
En ego nunc, ne forte parum Minoïa credar,
In socias leges, ultima gentis, eo.

persequi coepit. Pasiphaë igitur Solis filia, Minoïs, regis Cretae, uxor Tauri amore flagravit, et arte Daedali inclusa intra vaccam ligneam, septam corio juvencae pulcerrimae, cum Tauro concubuit; unde natus est Minotaurus, qui intra labyrinthum inclusus humanis carnibus vescebatur. Quam fabulam ita explicat Serv. ad Virg. Aen. L. VI. vs. 14; ut Taurus fuerit Notarius Minoïs, vel, ut alii volunt, Magister Equitum, quem Pasiphaë amavit, cum quo in domo Daedali concubuit; et quia geminos peperit, unum de Minoe, alterum de Tauro, Minotaurum enixa dicitur."

Ita solent Diis ac Deabus iratis malorum causam tribuere poëtae, uti Aeneae errores odiis Junonis iniquae Virg. L. I, quorum causas enarrat vs. 23. sq.

Tributa. Quia propter injuriam a Sole, avo meo, sibi illatam voluit tributa libidinis sibi solvi a tota gente, non solum matris, quae fuit filia Solis, sed etiam a *gente* patris; nullam enim voluit esse inmunem. Est autem translatio sumta a subditis, qui superioribus praestant tributa. Hubert.

Tributum Romanis generatim dicebatur, quidquid ex privato in publicum contribuebatur, sive ordinarium esset sive extraordinarium. Quam varia apud Romanos tributa fuerint, videre est in not. ad Plin. Panegyr. c. 29. nº. 5. cf. ibi cit. Burmann. de vectigalibus P. R. et Bulengerus de vectigalibus P. R. in thes. Antiq. Romarum Graevii tom. 4. pag. 819.

55. *Juppiter Europen.* V. Argum. §. 1.

57. *Pasiphaë mater.* cf. not. ad vs. 54. h. Ep.

59. *Aegides*, Aegei filius, Theseus. V. not. ad vs. 70. Ep. II.

61. *Parum Minoïa*, i. e. ne, si aliter essem, non putarer esse de gente Minois, quae fataliter amori subjecta est. Hubert.

62. *In socias leges.* Venire in societatem sortis cum aliis ex

Hoc quoque fatale est: placuit domus una duabus.
Me tua forma capit, capta parente soror.
Thesides Theseusque duas rapuere sorores.
Ponite de nostra bina tropaea domo.
Tempore, quo vobis inita est Cerealis Eleusin,
Gnosia me vellem detinuisset humus.

eadem gente, sive communem atque eamdem cum matre et sorore sortem experiri.

Ultima gentis. Quia omnes, quae me antecesserunt, ita fecerunt; quia Minos et Pasiphaë non habebant aliam filiam minorem natu Phaedrâ. Hubert.

65. *Thesides*, Thesei filius, Hippolytus.

Duas rapuere. Theseus proprie *raputt*, h. e. clam secum Ariadnen abduxit, Hippolytus Phaedram non item, uti ex seqq. patet.

66. *Tropaea*, pp. structa armorum congerie adornari solita post victoriam in loco praelii patet ex Nep. in Datame c. 8. n°. 3.

67. *Cerealis.* cf. §. 6. Argum. *Eleusin* sive Eleusis urbs Atticae. Athenienses inventarum frugum gloriam sibi vindicabant, et civem Triptolemum, cui Ceres Eleusinia spargendas per orbem fruges credidisse videbatur. Heins. Recte itaque additur epitheton *Cerealis*, sed et praeterea, quod sacra Cereris ibi celebrabantur; unde suspicari licet, ad haec sacra vel festa celebranda Eleusinem venisse Phaedram et Hippolytum, ad quae inmensa spectatorum multitudo confluebat, adeo ut triginta millia mystarum et spectatorum adfuisse tradiderit Herod. V. de his festis Scaliger. ad Euseb. Chronicon ad annum MMCXLVII. Ex hac itaque conjectura poenitet Phaedram praesentiae in festo Cereris, et mavult in Creta se fuisse.

Troezene Eleusinem ad sacra Cereris celebranda venisse Hippolytum patet ex Euripid. Hippol. vs. 24. sqq.

Inita est. Adiisti jam initiatus, uti ex adl. Euripidis loco videre est. Singularis, inquit Sax., dicendi ratio in *inita*, qua existimant respexisse Poëtam ad *initia*, vel mysteria Eleusinia; quod negat Burmannus. Nescio an jure; sumitque pro *adire*. — Non nego, *inire* idem esse ac *intrare*, verum tamen hic majus quiddam, quam simplex urbis aditus notari debebat; solennitas quippe celeberrimorum apud Graecos sacrorum. — *Inire* autem respondere τῷ *celebrare* ex eo patet, quod *convivia* dicimus *inire*.

68. *Gnosia — humus.* Creta, ca-

Tunc mihi praecipue (nec non tamen ante) placebas:
Acer in extremis ossibus haesit amor.
Candida vestis erat, praecincti flore capilli:
Flava verecundus tinxerat ora rubor.
Quemque vocant aliae vultum rigidumque trucemque,
Pro rigido, Phaedra judice, fortis erat.
Sint procul a nobis juvenes, ut femina, comti.
Fine coli modico forma virilis amat.

jus urbs Gnosus. V. Pomp. Mela de situ orbis L. II. c. 7. pag. 230. Pars itaque pro toto per figuram, quam dicunt Synecdochen.

Vellem detinuisset. V. Sanctii Minerv. L. IV. c. 7. pag. m. 706 et 707.

70. *Acer* pp. acu pungens, dolorem excitans; hinc generatim, graviter adficiens, vehemens.

In extremis. Extrema, inquit Hubert., non exteriora, sed interiora h. l: intelligamus, i. e. ultima. Extrema autem ossa sic dicimus, ut primum et ultimum. Primam enim terram dicimus vicinam litori, si ex mari veniamus; at si in mare eamus, erit ultima. Sic intelligi debet hic l., ut dicamus *extrema* ossa magis propinqua medullis, in quibus maxime dicitur esse amoris calor. Ordo est « *Amor acer tunc praecipue haesit* etc., i. e. sedet, infixus est, inde abstrahi nequaquam potest. Verbum *haerere*, inquit Schellerus in Praec. Stil. h. Lat. Part. I. c. 2. sect. 6, firmitatem quamdam indicat.

71. *Candida* etc. Habitum sacris convenientem his verbis designari recte observat Burm. Cf. Tibull. L. I. El. 10. vs. 27. et L. II. El. 1. vs. 13.

Praecincti flore capilli. Eleganter sic dicit (Ovidius) quia flores ejus coronae maxime conspicuae fuerunt *in fronte*, ut solebat fieri in omnibus coronis. Oud.

72. *Flava* Hippolyti, non *alba*, ut Herus in Veneris feste ad Musaeum vs. 38, tinxerat *ora rubor*; Hippolytus enim venationi deditus solis radiis semper erat expositus.

73. *Quemque* etc. Aliae rusticitati et saevitiae; ego Phaedra Te adamans, fortitudini, viro dignae, tribuo.

76. *Fine — modico*; adparatu et mensura moderata et non nimia, ut mulieres, de quibus Terent. « Dum coluntur, dum comuntur, annus est." Hubert.

Eodem modo canit Ovid. A. A. L. I. vs. 509.

« Forma viros neglecta decet.
Minoïda Theseus

Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli;
Et levis egregio pulvis in ore decet.
Sive ferocis equi luctantia colla recurvas:
Exiguo flexos miror in orbe pedes.
Seu vastum valido torques hastile lacerto:
Ora ferox in se versa lacertus habet.

Abstulit, a nulla tempora comtus acu.
Hippolytum Phaedra, nec erat bene cultus, amavit.
Cura Deae, silvis aptus, Adonis erat.
Munditiae placeant."

Amat. Poëtae utuntur hoc verbo cum infinitivo, ut Graeci φιλεῖν, de re, quae vel *solet* fieri vel cum *gratia* fit. V. Vechn. Hellenol. L. II. c. 2. (pag. m. 255.) Oud.

77. *Rigor.* Asperitas in aspectu. Hubert. Hac iteratione vocabuli *rigoris* emollire duritiem lenireque acerbitatem superioris judicii studet, ideoque mitiori sensu, quam ante *rigidus* sumi debet pro *gravitate* et *severitate.* Sax.

78. *Levis — pulvis in ore* est ejusmodi, qui in celeri pedum motu, sive currendo sive equitando excitatus in veste et vultu subinde colligitur, qualem Narcisci ut sordidum elegantiaeque inimicum curiosissime fugiunt, Viri non indignum sua persona judicant. Sax.

79. *Sive* etc. Enumerat nunc Phaedra aliquot gymnasticas Hippolyti artes, in quibus nullam esse ait, quam sine elegante scientia, sine optabili corporis et virium temperatione, sine laude et suffragio suo tractet et exerceat. Orditur hic a scita et arguta ejus equitandi ratione, quam pulchre describit. *Recurvare colla luctantia* idem est ac, retroflectendo arduum cervicem et argutum sive breve caput efficere, quae forma equorum est pulcherrima. Colla *luctantia* esse solent *ferocis* equi, acris, animosi, et fronte sua identidem frena lacescentis, cujus egregia descriptio exstat apud Ovid. Am. L. III. El. 4. vs. 13. Sax.

80. *Exiguo flexos* etc. *Flexi pedes exiguo in orbe* sunt in orbem et gyrum perite curvati, quales in equis efficere possunt, qui opportuna freni et mox dextri mox sinistri cruris mobilitate in hanc illamve partem versare eos didicerunt. Sax.

81. *Torques*, ipsum explicat jaciendi actum. Jaciebantur hastae manu, et, ut fortius impellerentur, amento; hinc brachiorum nervis et robore erat opus. Inde tortis subinde et excussis hastilibus *validos*

Sive tenes lato venabula cornea ferro.
Denique, nostra juvat lumina, quidquid agas.
Tu modo duritiem silvis depone jugosis:
Non sum materia digna perire tua.
Quid juvat incinctae studia exercere Dianae,
Et Veneri numeros eripuisse suos?

adscribunt *lacertos*. V. Ovid. Ep. III. vs. 125.

82. *Ora ferox* etc. Quoties te jaculantem video, toties non possum non mirari singularem in feriendo brachii tui vim et incitationem; *lacertus* enim *ferox* idem est, qui feliciter audax et fortis. Tales lacerti Herculis laudantur Ep. IX. vs. 59. et *Antaei* fortes lacerti in Ibin vs. 397.

83. *Venabula cornea*, e cornu, arbore dura, facta *cum*, vel *praedita*, *instructa* lato ferro. Haec juvenum exercitia, quae sunt fortitudinis indicia, solent mulieres maxime capere. Unde Ovid. in Metam. L. VIII. dicit « Scyllam, filiam Nisi, regis Megarensium, non pulchritudine Minoës, sed etiam talibus virtutibus esse captam." Hubert.

84. *Lumina*, oculos.

86. *Non sum* etc. V. Lennepii Animadv. ad h. vs. *Materia* dictum videtur, inquit L ers l. spec., cum respectu ad duritiem versus praecedentis, et significare per *duram naturam tuam*. In nexu autem orationis, in quo haerebat Burm., (qui tamen *materiam* interpretatur *indolem*, *ingenium*, ratione ergo praecedentis *duritiem* habita) ne minimam quidem ego video difficultatem. Sensus est: *Modo ne sis durus*, *non enim digna sum*, quae *tua* duritie, *materia*, dura natura tua *peream*: vel aliis verbis, *digna sum*, *cui* mitiorem te praebeas, quam mutuo amore prosequaris.

87. *Quid juvat.* Nunc clarius demonstrat Phaedra, quid per duritiem sylvis jugosis deponendam intelligi velit. Scilicet, ut studiis Dianae studia Veneris jungat, neu alterius Deae cultu alteram negligat, hortatur. *Quid juvat*, quid refert, qui fructus vel voluptatis vel jucunditatis inde nascitur Dianae se *totum* tradere, Veneri tributum negare. Sax.

Incinctae. Uti *in* adjectivis, quibus praeponitur, negativam addit significationem, sic contra et intensivam, ut h. l. *Incinctae* significat *alticinctae* (cf. Phaedr. L. II. fab. 5. vs. 11.) quo expeditior sit in venatione Diana.

Studium est impetus animi, cupiditas, sed omne studium

Quod caret alterna requie, durabile non est:
Haec reparat vires, fessaque membra novat.
Arcus (et arma tuae tibi sunt imitanda Dianae)
Si numquam cesses tendere, mollis erit.
Clarus erat silvis Cephalus, multaeque per herbam
Conciderant, illo percutiente, ferae.
Nec tamen Aurorae male se praebebat amandum.
Ibat ad hunc sapiens a sene Diva viro.

inutile est, inquit Scheller. in Praec. Stil. b. Lat. Part. I. c. 2. pag. 67, nisi et manum rei admoves, h. e. industriam adhibes; hinc studium notat *industriam*, quae hic in *venando* cernitur.

88. *Numeros* expone *vices* vel *partes*; uti opus suis numeris expletum et absolutum, h. e. ex omni parte perfectum, Latini dixere.

89, 90. *Quod caret* etc. V. Phaedrus L. III. fab. 14. vs. 10.

90. *Novat.* Recreat, reficit, refocillat. Oud.

91. *Et arma. Et* singularem hic elegantiam habere mihi videtur in oratione Phaedrae, quae ab arcu Dianae, quam maxime colebat Hippolytus, idoneum petit argumentum, quo illi persuadeat venationis labores jucunda amoris perceptione levandos esse, adeo ut *et* h. l. idem valeat, quod *et vero*, seu Graecum καὶ δή, quem usum exemplis inlustravit Tursell. de Part. Ling. Lat. in v. *et vero*.

92. *Mollis*, adeoque inutilis.

93. *Clarus*. V. Argum. §. 8. Notus ob venandi studium.

Cephalus Atheniensis uxorem habuit Procrin, Erechthei Athenarum regis filiam, a qua ardenter amatus est, nec minus ipse eam mutuo amore prosecutus est. Verum cum studiosus venationis in Hymetto, Atticae regionis monte, ab Aurora et visus et amatus fuisset, atque in amorem mutuum ab ea invitatus, tandem ei assensus creditur. At cum eum suspectum haberet uxor de alieno amore, exivit ut eum deprehenderet, qui venatione fatigatus cum peteret auram, a qua refrigeraretur, credidit Procris esse Nympham aliquam, quam ille amaret. Cumque in fruticibus occultata sese movisset, Cephalus credidit esse feram, et inmisso jaculo inevitabili eam interemit. Hubert. Cf. Ovid. Metam. L. VII. extr.

94. *Conciderant. Concidere* de *cadendo per ictum* et apud prosae orationis scriptores et apud poëtas usitatissimum est, ut etiam *corruere*, *collabi* infra Ep. VII.

Saepe sub ilicibus Venerem, Cinyraque creatum,
Sustinuit positos quaelibet herba duos.
Arsit et Oenides in Maenalia Atalanta.
Illa ferae spolium, pignus amoris, habet.
Nos quoque jam primum turba numeremur in ista.
Si Venerem tollas, rustica silva tua est.

vs. 196. et passim. Loers d. spec.

95. *Tamen.* Quamvis venationis studio deditus.

Non male, uti oportuit, uti decuit. Illud *male*, inquit Loers ad h. vs., accipiendum est, ut Horatianum L. I. Od. 9. vs. 24. « Digito *male pertinaci.*" *Male* autem *pertinax* ita interpretatur Mitscherlich: Minus, quam deberet, repugnante, si annulum retinere vellet. Ejus digitus, inquit Doering ad h. l., haud ita compressus, ut aegre ex eo detrahi possit annulus.

96. *Sapientem* vocat Phaedra Auroram, quoniam, relicto sene, juvenem petebat.

A sene — viro. A Tithono marito sene, Laomedontis filio, quem Aurora amavit et raptum in coelo collocavit. Immortalitatem ei a Jove inpetravit, nec tamen obtinere potuit, ne senesceret. Itaque senio fractus in cicadam ut mutaretur exoravit.

97. *Cinyraque creatum.* Adonin intellige Cinyrae Cypriorum regis et Myrrhae filium venandi studiosissimum, quem amavit Venus. Fabulam enarrat Ovid. Metam. L. X. vs. 529. sqq. Bionis Epitaph. Adonidis.

97. *Saepe sub ilicibus.* Venus et Adonis saepe sub ilicibus in *qualibet* herba, ubique jacuerunt. Cf. Ovid. A. A. L. I. vs. 108. ad quem vs. Burm. adnotat « qualibet est *obvia* etiam *vili.*"

99. *Arsit.* Vehementissime et inpotenter amavit.

Oenides. Meleager filius Oenei, Aetoliae regis, qui aprum Aetoliae agros vastantem atque a Diana, ab Oeneo neglecta, inmissum interfecit, ejusque exuvias Atalantae Schoenei, Arcadiae regis, filiae, quam deinde uxorem duxit, amoris pignus dedit. Ovid. Metam. L. VIII. vs. 414. sqq. Hygini fab. 173-74. cf. not. ad vs. 92. Ep. III.

Maenalia dicitur a Maenalo Arcadiae monte.

Maenalia Atalanta. Hic versus praeter artis poëticae leges terminatur tetrasyllabo, et quidem *Ionico a minore*, qualis Hexametri exitus, tametsi non multum pulchritudinis habeat, defendi tamen potest, cum nominum propriorum usu, tum exemplis aliorum poëtarum. Cf.

Ipsa comes veniam: nec me salebrosa movebunt
Saxa, nec obliquo dente timendus aper.
Aequora bina suis oppugnant fluctibus Isthmon,
Et tenuis tellus audit utrumque mare.
Hic tecum Troezena colam, Pittheïa regna;
Jam nunc est patria gratior illa mea.
Tempore abest, aberitque diu Neptunius heros;
Illum Pirithoi detinet ora sui.

Ovid. A. A. L. II. vs. 185. Metam. L. V. vs. 409. Stat. Theb. VI. vs. 562. Virg. Ecl. II. vs. 24.

101. *Nos.* Ego et tu jam primum numeremur in *ista turba*, in *magno* numero illorum, qui, licet venatione delectati sint, tamen ab amore non abstinuerunt.

102. *Si Venerem tollas.* Si Veneris partes in venatione nullae sunt; silva *tua*, qua tu maxime gaudes, nihil habet quod juvet aut placeat. Cf not. ad vs. 77. Ep. I.

103. *Ipsa comes veniam* etc. Si hanc conditionem accipis, te lubens comitabor, nec ab hoc fructu dulcissimae consuetudinis tuae me vel viarum salebrae vel saxorum asperitas vel aprorum fulmina avocabunt. Sax.

Salebrosa, aspera. *Movebunt*, absterrebunt.

105. *Aequora bina*, mare Aegeum et Ionium.

Oppugnant quasi urbem hostilem, inpellunt.

Isthmon. Male, inquit Oud. (cui consentit Sax.) vulgo capiunt haec de Isthmo Corinthiaco, a quo longe dissita est Troezen. Intelligit Auctor Isthmum Chersonesi ad orientem Peloponnesi, in quo sita est urbs Troezen tam tenui tellure, ut incolae utrimque sonitum maris Aegaei allidentis terram possint audire. Omnes vero terrae angustiae sive colla inter duo maria vocantur *Isthmi*, ut Plinius et Pomponius Mela docent. *Isthmon* Corinthiacum intelligit Lennepius V. Cl., quem vid. in Animadv.

107, 108. *Hic tecum Troezena* etc. Troezen Peloponnesi urbs ad sinum Argolicum in Argiae ora ad Scyllaeum promontorium. Sensus est: comitari te cupio, sive tecum venabor, sive tecum Isthmum petam, ubi adjacet Troezen; hanc tecum colam, regna avi tui Pitthei, qui educavit te; *jam nunc*, jam ex hoc tempore mihi praeplacet illa urbs prae patria. Cf. §. 5. Argum.

109. *Tempore*, in tempore; opportune. Heins. Fuga itaque

Praeposuit Theseus (nisi si manifesta negamus)
Pirithoum Phaedrae, Pirithoumque tibi.
Sola nec haec nobis injuria venit ab illo:
In magnis laesi rebus uterque sumus.
Ossa mei fratris, clava perfracta trinodi,
Sparsit humi: soror est praeda relicta feris.
Prima securigeras inter virtute puellas
Te peperit, nati digna vigore parens.

Troezena facilis. Nunc, inquit Sax., illicitos amores juveni suadet Phaedra, argumento ab opportunitate temporis desumto.

Aberit. Ex certa notitia sic scribit Phaedra, ut confidentiorem faceret adolescentem. Burm.

Neptunius Heros. Erat nempe Theseus Neptuni ex Aegeo filio Athenarum rege nepos. Ita et vocatur in Ep. XVII. vs. 21. Hunc autem *ora*, regio, Perithoi tenere dicitur. Intellige regna inferna, quae cum amico Perithoo, Proserpinae amore incenso, ut eam raperet, adiit, quare nec redituram adfirmat Phaedra apud Senec. vs. 622. sq.

« Regni tenacis dominus et tacitae Stygis,
Nullam relictos fecit ad superos viam.
Thalami remittet ille raptorem sui."

cf. not. ad Ep. II. vs. 72. et Servius ad Virg. Aen. L. VI. vs. 617. Duplex itaque Phaedra argumentum adducit, quo ad Amorem adliciat Hippolytum; primum a temporis opportunitate; alterum a diuturna mariti absentia.

110. *Sui Pirithoi.* Pirithous filius erat Thessali Ixionis, individuus Thesei comes et amicus; unde merito *suus* dicitur, quare eorum amicitia in proverbium venit, non secus ac Pyladae et Orestae. Oud. Plura de Pirithoo vid. in Onom. Poëtico Dorn Seiffeni.

111. Cf. §. 8. Argum.

Nisi si pro *nisi*. V. Turnell. op. l. in v. *nisi* pag. 552.

113. *Sola — haec — injuria.* Quod plus amet Perithoum quam nos. Hubert.

114. *Magnis.* Magni momenti. Id.

115. V. not. ad vs. 70. Ep. II.

117. V. not. ad vs. 72. Ep. II. *Securigeras.* V. Virg. Aen. L. XI. vs. 656. *Peltatas* vocat Ovid. Am. L. II. El. 14. init.

Prima. Maxima, excellentissima. Nunc narrat injurias illatas Hippolyto, et, ut injuria

Si quaeras, ubi sit; Theseus latus ense peregit:
Nec tanto mater pignore tuta fuit.
At ne nupta quidem, taedaque accepta jugali.
Cur? nisi ne caperes regna paterna nothus.
Addidit et fratres ex me tibi: quos tamen omnes
Non ego tollendi caussa, sed ille fuit.

videatur major., proponit laudem ejus matris, in qua accipit injuriam. Hubert.

118. *Digna vigore parens.* Mater digna, quae tam fortem filium peperisset. *Vigor*, inquit Sax., est juvenilis ille ardor, cui elati et ad quaevis praeclara surgentis animi vestigia insunt. cf. Ep. XVI. vs. 51.

119. *Peregit.* Transegit, fregit, uti interpretatur Carrion in not. ad Valerii Flacci Argon. L. I. vs. 146. cf. Senecae Hippol. vs. 225 et 924.

120. *Tanto — pignore*, h. e. quamvis filium tam formosum simul et fortem, florentem annis haberet; *Pignora* enim praesertim filii filiaeque dicuntur, licet etiam de nepotibus aliisque propinquis ponatur. Ovid. Metam. L. III. vs. 133. Quinct. Inst. Orat. L. VI. c. 1. *pignora* explicat liberos, parentes et propinquos, mox liberos, conjugem, parentes.

121. *At ne nupta quidem* etc. Altera Thesei injuria fuit, quod matrem tuam nunquam uxorem duxit. Sax.

Taedaque accepta jugali. Cf. not. vs. 120. Ep. II.

122. *Cur?* etc. Si causam quaeris, nullam suspicor aliam fuisse, quam hanc, ne bonorum et regni heres esses. Sax.

123. *Fratres* Demophoönta et Acamantem.

124. *Tollendi.* Infans recens natus in terram deponebatur. Non autem habebatur legitimus, nisi pater praesens, vel, eo absente, procurator pro eo infantem terra levasset et sinui imposuisset. *Tollere* itaque infantem est *suum agnoscere, alere in spem familiae* et *heredem habere*; non tollere, *familia ejicere, abdicare, exponere.* V. Paralipomena Rosini Antiq. Rom. c. 19. Lege praeceteris hac de re Lipsium Epist. Centuria I. ad Belgas Ep. 85.

Non *ego* — sed *ille.* Nec satis illi fuit matri tuae legitimum conjugii beneficium denegasse, atque sic justa hereditatis olim petitione privasse, sed me quoque uxorem legit, et ex me duos procreavit liberos, quos equidem exponendos tua gratia curassem, ni patris jussio et arbitrium eosdem tolli et educari jubentis intercessisset. Sax.

O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum,
In medio nisu viscera rupta forent!
I nunc; sic meriti lectum reverere parentis,
Quem fugit, et factis abdicat ille suis.
Nec, quia privigno videar coïtura noverca,
Terruerint animos nomina vana tuos.
Ista vetus pietas, aevo moritura futuro,
Rustica Saturno regna tenente, fuit.
Juppiter esse pium statuit, quodcumque juvaret;
Et fas omne facit fratre marita soror.

125. *O utinam* etc. Optat ut esset mortua in partu, si filii, quos ex Theseo genuerit, essent nocituri Hippolyto. Observa caecam Phaedrae libidinem.

126. *Viscera.* Non *sua* intellexisse videtur Phaedra, ex Saxii V. Cl. sententia, sed quae utero gestaverat, *liberos.* Ibi Ep. XI. vs. 90. Metam. L. VI. vs. 651. Ut ergo, inquit V. Cl., persuadeat Hippolyto sua nihil interfuisse, peperitne filios vel educarit, impio et detestabili voto significat, se pati potuisse, ut infantes, ne olim commodis Hippolyti obessent, in ipso partu animae interclusione periissent.

127. *I nunc.* Cf. not. ad vs. 26. Ep. III. *Sic meriti*, ita male de te meriti. Loers V. Doct. praefert lectionem *I nunc et* etc., quae et mihi magis placet ob majorem gravitatem. Vertit Loers „Gehe nun, und habe (noch) Ehrfurcht vor dem Bette des *würdigen* Vaters," in quo illud *meriti* cum acerbitate atque ironia dictum intellige.

128. *Quem*, lectum, *abdicat factis*, pro reapse aspernatur eique nuncium mittit. Sax.

Ille. Per indignationem et contemtum, ut Virg. Aen. L. IV. vs. 421. et L. III. vs. 558. V. Tursell. in v.

129. *Coïtura.* Commiscenda. Hubert.

130. *Nomina vana.* Privigni et Novercae, qui, licet nomine ipso videantur habere affinitatem, tamen non habent. Id.

131. *Ista* contemnentis. V. Tursell. in v.

Pietas. Cf. not. ad vs. 85. Ep. I.

132. *Rustica Saturno* etc. Regnante Saturno fuit haec pietatis observantia, non virtute sed rusticitate. Anton. De aetate aurea, quae rege Saturno fuit, passim cecinerunt poëtae e. g. Ovid. Metam. L. I. vs. 89.

133. *Juppiter* etc. Quasi di-

Illa coït firma generis junctura catena;
Imposuit nodos cui Venus ipsa suos.
Nec labor est: celare licet. pete munus ab illa,
Cognato poterit nomine culpa tegi.
Viderit amplexos aliquis: laudabimur ambo,
Dicar privigno fida noverca meo.

cat: simulac Jupiter post Saturnum regnare coepit, ista moris adstricti disciplina in desuetudinem ablit; nam ipse Jupiter jus et fas censuit esse, quidquid animo placeret, adsumtaque in matrimonium sorore sua mortales docuit, quid sequi possint. Sax.

134. *Fas* pp. est, quod legibus Divinis seu scriptis seu innatis consentaneum est; *jus*, quod humanis. Scheller. Praec. Stil. b. Lat. Part. I. c. 2. pag. 68.

Fratre marita. Intellige de Junone, quae Jovis et soror et conjux Virgilio aliisque poëtis audit. Notanda vero insolentior locutio *fratre marita* pro *fratri marita*; quomodo et Horat. locutum L. III. Od. 3. vs. 5. observat ad h. l. Burm. Soror, quae per fratrem, h. e. fratre conjuge, marita est. Loers.

135. *Illa coït* etc. Sensus est: Illa demum est conjunctio affinitatis vel consanguinitatis, firmissimeque coälescit, *cui Venus ipsa imposuit suos nodos*, quae libidinis fructu tanquam indissolubili vinculo ligatur. Sax.

Junctura — coït poëtice dicitur, quod rei vita carenti actio tribuitur viventis.

137. *Nec labor est; celare licet.* Est facile et potes amorem nostrum celare, inlegitimum nempe amorem sub licito amore, quo noverca te privignum prosequi dicar; ab hac generis junctura *pete munus*, h. e. sume vel cape praetextum *cognati nomen* (quod cognatum nomen dixit uti Ep. III. vs. 100. *dominum torum*) qui praetextus ab ista generis junctura ultro tibi obfertur, tanquam munus. Belgice «Het is gemakkelijk, het staat aan U het geheim te houden; bedien U van dat voorwendsel, hetwelk onze onderlinge naauwe betrekking U van zelf aan de hand geeft of aanbiedt."

Illa. Venerem intelligit. Sax. Generis junctura. Oud.

139. Hoc disticho omnem scrupulum eximere tentat animo Hippolyti, qui forte amorem non ita omnino posse celari timeret. Si forte, inquit, aliquis amplexus nostros viderit, non inde suspicionem amoris inlegitimi in nostrum contemtum adcipiet; quin potius

Non tibi per tenebras dabitur reseranda mariti
Janua: non custos decipiendus erit.
Ut tenuit domus una duos, domus una tenebit.
Oscula aperta dabas: oscula aperta dabis.
Tutus eris mecum, laudemque merebere culpa: 145
Tu licet in lecto conspiciare meo.
Tolle moras tantum, properataque foedera junge.
Qui mihi tunc saevit, sic tibi parcat Amor.

ambo laudabimur, et dicent me fidam novercam esse tibi privigno me invicem amanti, cum novercae vulgo male audiant, et rara sit novercarum et privignorum gratia.

Amplexos. Multa sunt verba, inquit Perizon. ad Sanct. Minerv. L. III. c. 2. n°. 3. p. m. 280, quae rei mutuae habent significationem, et ideo in passivo *potissimum* adhibentur, sed figurate cum accusativo. Talia sunt *amplecti*, *osculari* etc.

141. *Per tenebras.* Tempore nocturno. *Reseranda.* Aperienda. *Mariti — Janua.* Arguit a facilitate negotii. Dicit, quod, cum ambo sint in eadem domo, non erit multum laborandum, ut habeat aditum ad concubitum Phaedrae, quemadmodum saepe laborant alii amantes. Hubert. cf. Tibull. Eleg. L. I. El. 2. vs. 7. sq. Ovid. A. A. L. II. vs. 635. et L. III. vs. 587.

142. *Custos* servus pessimae conditionis apud Romanos. De servis Romanorum V. Spanheim Orbis Rom. L. I. c. 16. Pignorius et Titus Popma De servorum operis. Gibbon Verval des Roomschen rijks D. I. bl. 90. vlg. de Burigny Tom. 35. de l'Academie des Inscriptions etc.

143. *Ut tenuit* etc. Sicut alias mecum fuisti in eadem domo Patris tui, ita nunc erimus, et nihil, quod faciemus, erit suspectum. Hubert.

Aperta dabas, in conspectu omnium, ex affectu caritatis. Hubert.

Oscula aperta dabis. Ex affectu amoris Venerei. Id.

147, 148. *Tolle moras tantum* etc. Cum igitur eo pacto nec salutis nec famae discrimen subeas, sed tuto mecum in eodem conclavi versari, ludere et jocari possis, quoniam nequitias nostras mutuae pietatis et observantiae interpretes esse judicabunt, quotquot vel blanditias vel amplexus nostros animadverterint; fac ne minimam quidem moram interponas, quin quam primum voluptatem aliis omnibus antevertas rebus: Verendum enim est, ne idem Amor, qui me nunc vexat et

Non ego dedignor supplex humilisque precari,
Heu! ubi nunc fastus, altaque verba, jacent?
Et pugnare diu, nec me submittere culpae
Certa fui: certi si quid haberet Amor.
Victa precor, genibusque tuis regalia tendo
Brachia. quid deceat, non videt ullus amans.

torquet, a te quoque neglectae opportunitatis poenas sit sumturus. Sax.

148. *Sic tibi parcat.* Cf. not. ad vs. 135. Ep. III.

149. *Non ego* etc. Vide, quorsum me rapiat vis et crudelitas amoris; nam *ego*, neptis Jovis et Solis, quae antea propter generis nobilitatem spiritus sumseram, quae procos contemseram, quae ab aliis me sollicitari vix patiebar, nunc ipsa sollicito, nec supplex te precari gravor. Adeo omnem generis et pristini moris elationem contrivit et proculcavit Cupido! Sax.

Dedignor — precari. Non indignas mea persona judico preces. Sax.

Supplex — precari. Proprie est: flexis genibus et procumbendo rogare, quod illi solebant, qui vel Deos vel reges venerabantur. Sax.

Humilisque precari, ut serva: ejus enim conditio abjecta et humilis est. cf. Ep. III. vs. 75. Sax.

150. *Heu!* etc. Quorsum nunc abiit pristinus nobilitatis sensus, illaque amatorum despicientia et fastidium? *Alta* verba eadem, quae superba. Sax.

Ubi. Tursell. Op. l. in v. *ubi* haec docet. „*Ubi, ubi est? Ubi nunc est? Heu* vel *an, ubi nunc est?* Elegantes sunt hae formulae, habentque non eamdem vim; uti h. l. (et vs. 31. Ep. II.) significant desiderium *cum indignatione.* Modo negant *cum dolore aliquo.* Modo denique negant cum *irrisione.*"

151. *Et pugnare diu.* Ad excusationem suam haec subdit. Hubert. Cf. van Schelle pag. 24.

Nec me submittere — certa fui. Metaphora a bellicae rei disciplina, ubi victi jugum subire coguntur, sumta idem significat, ac obnoxiam esse, cedere, victas manus dare.

Culpam hic nominat, uti supra vs. 145, quam *crimen* et *scelus* vocare debuisset Poëta. Sed has voces interdum miscent poëtae, adeo ut *culpam* saepe pro *crimine* et crimen pro *culpa* usurpent. Sax.

152. *Certi si quid* etc. Sensus est: At amor levis res est, et sibi non constans,

Depuduit, profugusque pudor sua signa relinquit:
Da veniam fassae, duraque corda doma.
Quo mihi, quod genitor, qui possidet aequora, Minos?
Quod veniant proavi fulmina torta manu?
Quod sit avus, radiis frontem vallatus acutis,
Purpureo tepidum qui movet axe diem?

153. *Victa.* V. not. ad vs. 85. Ep. III.

Genibusque tuis. Cf. not. ad vs. 31. Ep. II. Fingenda est Phaedra jacens ad pedes Hippolyti. Oud.

Regalia — Brachia. Reges enim et heroës, qui ad ea descendere coguntur, quae nisi gravissimis coactus malis privatus faciat, hominum animos maxime movere solent.

155. *Depuduit.* Pudorem abjeci. *De* enim hoc loco non *augmentum* significat, ut in verbo *deāmare*, sed *privationem.*

Sua signa relinquit. Translatio sumta a militibus, qui fugientes signa, *vexilla*, deserunt. Hubert. Male Hubertinus signa explicat *vexilla*, quae diversa fuerunt. V. Lipsius de Militia Romana L. IV. Dial. 5.

156. *Fassae*, mihi, quae tibi confessa sum amorem meum. Hubert. Cujus flagitii veniam nullibi spero me inventuram esse, nisi in aperta et simplice confessione aut in clementia misericordiaque tua. Sax.

Doma. Eadem significatione, qua verbo *vincere* Poëta usus est in Ep. III. vs. 85. Vince, emolli, ac flecte *dura*, barbara corda in meae cupiditatis studia. Sax.

157. *Quo mihi* etc. Cf. not. ad vs. 53. Ep. II.

Qui possidet aequora. Qui dominatur Cretae, et multis insulis, quae in mari sunt. V. §. 2. Argum.

158. *Proavi.* Recte observat Cl. Burm. a materno genere proävum dici Jovem; mater quippe Phaedrae erat Pasiphäe, filia Solis, qui Phaedrae avus et hujus pater Jupiter, Phaedrae proävus, cujus rationem in eo quaerendam putat, quod veritus sit Ovid., ne, si paterni generis computatio fieret, duo Minoës confunderentur, uti vulgo evenire solet. Deinde et recte monet Jovem a patre non posse proävum dici proprie, sed abavum dicendum esse, licet hoc non admodum urgeat, quod in his non adeo anxii sint poëtae.

159. *Vallatus.* Cinctus radiis, quasi vallo.

Acutis. Hoc epitheton indicare figuram radiorum, quibus corona radiata distingui solebat

Nobilitas sub Amore jacet. miserere priorum!
Et, mihi si non vis parcere, parce meis.
Est mihi dotalis tellus, Jovis insula, Creta;
Serviat Hippolyto regia tota meo.
Flecte feros animos. potuit corrumpere taurum
Mater. eris tauro saevior ipse truci?
Per Venerem parcas, oro, quae plurima mecum est:
Sic numquam, quae te spernere possit, ames.

aculeis in altum surgentibus more spinarum observavit Cl. Henr. Cannegieterus in dissert. *de insignibus Christi ad supplicium rapti*, quae post mortem V. Cl. prodiit inserta Bibliothecae Haganae Class. 4. fasc. 3. pag. 444.

Frontem vallatus. Graecismus, omissa praepositione *ad* vel *quod ad.* Graeci subaudiunt κατὰ.

160. *Movet axe*, curru diem e loco, quo per noctem fuerat, nobis advehit; diem *tepidum*, scil. si cum frigida nocte compares. *Movere* autem, inquit Oud., de omni initio dicitur. cf. Ovid. Ep. XVI. vs. 78.

Purpureus — axis dicitur a coloribus, qui nascuntur in coelo, cum equis Solis currui ab Horis subjunctis, Aurora Orientis portas mane aperit, et Sol adpropinquat.

161. *Jacet.* V. not. ad vs. 3. Ep. I.

Miserere priorum. Majores meos respicias, ne turpi amoris exitu violentur.

163. *Est mihi* etc. Post reliqua, quibus Phaedra conata est persuadere Hippolyto amorem sui, subdit etiam spem dotis. Hubert. Lege omnino ad h. vs. Cl. Lennep. Animadv. et Burm. in not., qui vs. 163 — 166. non Ovidianae venae putabat. Mihi, inquit Loers, illi versus nihil videntur habere suspecti. Est enim oratio vehementissime commoti animi, omnia ad flectendum amatoris animum moventis; hinc nunc per avos obsecrat vs. 162. nunc promittit vs. 163, 164. nunc quasi objurgat vs. 165, 166. nunc ad mollissimas preces redit, et, si votis suis obsecundare velit, faustissima quaeque precatur.

Jovis insula. Ubi Jupiter nutritus dicitur. V. Dorn Seiffen in Onom. Poët. in v. *Jupiter.*

165. *Flecte.* Itaque significatio verbi *flectere*, quam ex Broukh. ad vs. 97. Ep. III. dedi, non eadem ubique est.

Corrumpere. Ad suam voluntatem perducere, ad coïtum pellicere.

166. *Mater.* V. not. ad vs. 54. h. Ep.

Sic tibi secretis agilis Dea saltibus adsit,
Silvaque perdendas praebeat alta feras.
Sic faveant Satyri, montanaque numina Panes:
Et cadat adversa cuspide fossus aper.
Sic tibi dent Nymphae (quamvis odisse puellas
Diceris) arentem quae levet unda sitim.
Addimus his lacrimas precibus quoque: verba precan-
Perlegis; at lacrimas finge videre meas. (tis

167. *Per Venerem parcas, oro.* Per Veneris numen, quo tota occupor, te rogo, ut mei rationem habeas. Sic justam effugies repudiati amoris vindictam nec parem tibi vicem reddat puella, quam afflictim (perdite) amabis. Sax.

Quae plurima mecum est. Totam me habet et regit. Adjectivum pro adverbio *plurimum* vel *frequenter*. Ita *plurimus in ore Deus erat* Ep. II. vs. 32. Sax.

Sic nunquam. Cf. not. ad vs. 148. h. Ep.

169. *Agilis Dea.* Velox Diana. V. not. ad vs. 39, 40. h. Ep. Efficaces esse solent preces, si per has instituuntur res, quae illi, quem rogamus, sunt carissimae. Plurimum enim Hippolyti intererat, multas in silvis oberrare feras, telisque ejus frequentes sterni, rusticae Numina favere, et in cursu rivulos subinde ac lacus offendere, unde collecta labore sitis depellatur. Sax.

Secretis. Remotis, non frequentatis. Talia enim loca solent nutrire multas feras. Hubert.

171. *Satyri.* V. not. ad vs. 49. h. Ep.

172. *Adversa cuspide.* Hasta tua opposita. Nam venabula solent opponi apris in pectus, supra quae se saepe inmittunt. Hubert.

174. *Arentem.* Quae ex aridate et siccitate concipitur.

Quae levet unda sitim. Elegans loquendi ratio, qua dissimulatur substantivum in verbo priore, sed illico addunt alio in casu. Sax. Quod fieri solet, ubi substantivum adjectivo caret.

Quamvis odisse. Haec dicta sunt in parenthesi. Quasi dicat, quamvis Nymphae hoc minime facere debeant, quia puellas odio habere diceris, cum ipsae sint puellae.

175, 176. *Addimus his lacrimas* etc. Quasi dicat, multas quoque inter scribendum lacrimas fudimus. Non parum ad miserationem fortunae et conditionis meae ponderis habiturae forent, si illas aeque ac literas ad te ablegare possem:

nunc autem ante oculos tibi ratu formam contraxit; ipsum saltem vultum meum pone, judica, qualemque ex moerore et plo-

EPISTOLA V.

OENONE PARIDI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Ab Oenone, fluvii in Troade, Cebrenis, filia, has ad Paridem, Priami Trojani regis filium, literas tum scriptas fingit Ovidius, cum, Helena, Menelai Spartae regis uxore, a Paride rapta, et Trojam perducta, ad Priamum oratores miserat Graeciae nomine Agamemnon, qui, ut Helena ipsi redderetur, exposcerent, negata, bellum indicerent.

§. 2. Priamo autem, Helenam reddere recusanti, belli indictio inopinato ad aures adcidere non potuit, si quidem meminisset, quodnam responsum olim tulisset a vatibus, quos de uxoris Hecubae, Cissei Thraciae regis filiae, somnio consuluerat.

§. 3. Somnium quidem hoc fuit, ut sibi facem parere videretur regia Conjux, quae totam Trojam incenderet, incendioque deleret. Unde vates effecerant, facem illam significare puerum, quem Hecuba sinu gestabat, patriae olim exitio futurum.

§. 4. Priamus, quasi imminens et sibi et patriae fatum evitare posset, recens natum infantem cuidam Archelao, servo, dedit exponendum, qui, tantum abfuit, ut domini jussum exsequeretur, ut puerum servaret atque educaret. Sunt tamen alii, qui dicant, Hecubam puerum clam marito pastoribus in Ida, Phrygiae Minoris sive Trojanae ditionis monte, degentibus educandum mandasse, eosque puerum Paridis nomine adpellasse.

§. 5. Quidquid sit: Paris in Ida educatus et adultus, forma et virtute, regiis dotibus, prae ceteris aequalibus excelluit, quo

factum est, ut, cum armenta contra beluarum impetum optime et fortissime *defenderet*, nomen *Alexandri* illi inderetur ab ἀλέξω auxilior et ἀνὴρ vir (cf. Heroid. Ep. XVI. vs. 356).

§. 6. Qua ut corporis ita animi dotibus cum nomen Paridis sive Alexandri in Idae jugis celebraretur, quis dubitet, quin Jovi λῷστον μέδεσθαι; Hom. Il. XXIV., innotuerit. Quae quidem notitia et Paridi exitiosa fuit et Oenonae. Etenim, cum in Pelei et Hippodamiae nuptiis, ad quas vocare neglexerant Erídem sive Litem Deam, hujus opera, anreo malo, cui inscriptum erat „detur pulcriori" in medias Deas Junonem, Minervam et Venerem projecto, inter hasce de pulcritudine certamen ortum esset, ad Paridis, optimi formarum spectatoris, arbitrium certantes Jupiter delegavit, cujus is exitus fuit, ut, quamvis in suas partes pertrahere, potestatis promissione Juno, sapientiae Minerva conarentur, victricem declararet Venerem, quae pulcerrimam ipsi pollicita esset uxorem, Helenam, Tyndariden, ex Leda, Tyndari vel Tyndarei Spartae regis uxore, a Jove gravidata.

§. 7. Adcidit vero aliquando, ut Paridem, taurum, quem in deliciis habebat, ante se agentem consequerentur Trojani a Priamo, ut eximium bovem quaererent, missi, quo donaret in ludis funebribus victorem, quos in memoriam Paridis, quem mortuum credebat, celebraturus erat. Legatorum oculos sua specie in se convertit taurus. Ut viderunt, ut vi ereptum abduxerunt. Abducentes persecutus est Paris, qui, cum vi nihil se proficere posse videret, atque, quo animo ad Priamum adducerent, intellexisset, cum illis Trojam abiit, ut in celebrandis ludis de praemii honore decertaret. Certanti nec virtus, nec fortuna defuit. Hectorem ipsum vicit, qui a pastore juvene se victum videns dedecus suum victoris sanguine eluere voluit, et dum Paridem stricto gladio persequeretur, conspectis certis insignibus et gemmis, quas Hecuba pastori ejus educatori tradiderat, fratrem agnovit. Quo cognito, Priamus, fatorum inmemor, Paridem filium, ut erat, ita haberi jussit.

§. 8. Ante agnitionem vero dum in Ida pastorem ageret, armentaque ad fontes et fluvios ut sitim levarent saepius adduceret, vel ipse inter palantes boves ad illos cantans adsideret; quid mirum, si Oenone, magno de flumine edita, fontium praeses, Pegasis (quam Propertius El. L. II. El. 25. vs. 9a: *Deam* et 96. *Naïda* vocat) praestante Paridis forma ita caperetur, ut in ipsius matrimonium concederet. In quo quidem matrimonio sese ita praestitit, ut bonus maritus a pia conjuge plura exspectare non posset. Etenim mariti latus numquam

deseruerat, nec diei aestus nec noctis frigora recusaverat unquam; quibus studiis maritus caperetur, iisdem se totam tradiderat, et, quod in amicitiae conjunctionisque necessitudine Cic. de Amic. c. 20. maximum putat, superior se cum inferiori exaequaverat, Nympha cum pastore.

§. 9. Quis itaque est, qui cum Oenone sese summa indignatione moveri non sentiat, quod Paris, illa optima conjuge spreta, inpudicam pellicem secum duxisset, cujus, etiam ante nuptias cum Menelao initas, dubia fuisset pudicitia, eaque semper vita, ut fides ei haberi nullo pacto posset. Quidni, ut Oenone Nympha cum pastore Paride alto in foeno jacuerat, ita Paris, Regis filius agnitus Nympham in regium torum admittere debuisset, praesertim cum Oenones manus sceptra decere possent? Si vero rudior haec aetas Principi Juveni adulterium condonat; patriae tamen proditionem et perniciem cum adulterae posthabere Paridem viderit, ferendum quis putet?

§. 10. Quamvis vero haec ita sese in Paride habeant; vel sic in Paridis amore Oenone persistit, et queritur, quod ars Medica, quam Apollo in pudicitiae a se per summam vim ipsi ereptae solatium tradiderat, omnes morbos pellere possit, suum amorem non possit. Quamobrem per amorem, quo Paridem antea prosecuta erat, et adhuc prosequitur, illum obtestatur, ut, Helena justo viro reddita, ipsam denuo amare pergat.

PERLEGIS? an conjux prohibet nova? perlege: non
Ista Mycenaea litera facta manu, (est

Vs. 1. *Perlegis?* futuri temporis notione. Praesentia enim, Graecorum imitatione, saepius pro futuro poni docet Vechnerus Hellen. L. I. c. 14. pag. m. 155. Interrogantem autem orationem pluribus locis majori ad adfectus movendos vi gaudere quam adfirmantem et alibi vidimus. V. Longinus Op. l. Sect. 18.

An conjux prohibet nova? His verbis Ovidius iudolis humanae cognitione instructissimus mihi quidem Paridis indignationem et superbiam movere voluisse videtur; ut verborum hic sit sensus: Tu, Pari, cui marito equidem, conjux vetus, in omnibus rebus, ut piam uxorem decet, obsecuta fui; omnem adeo Viri dignitatem et auctoritatem exuisti, ita mollis et uxorius factus es, ita totum te Helenae, novae scilicet conjugi, tradidisti, ut tibi

Pegasis, Oenone, Phrygiis celeberrima silvis,
Laesa queror de te, si sinis ipse, meo.
Quis Deus opposuit nostris sua numina votis?
Ne tua permaneam, quod mihi crimen obest?
Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est:
Quae venit indignae poena, dolenda venit.

ne epistolam quidem legere, nisi ea permittente, sit liberum. *Quod* quidem incultis ejus temporis viris, quibus inbellis inbecillisque sexus in nullo fere honore esse solet, turpissimum videri debuit.

Perlege: non est etc. Si itaque per uxorem has literas perlegere tibi liceat, rogo te, ut ne legere desinas, nam ab hoste non sunt profectae. V. Argum. §. 1, 2.

2. *Litera facta*, i. e. scripta. Plaut. Asin. Act. IV. Sc. 1. vs. 22. Cic. Acad. L. IV. c. 2. Just. L. XXVII. c. 2. Burm. ad h. l. Ruhnk.

3. *Pegasis Oenone, Phrygiis celeberrima sylvis.* V. Argum. §. 1, 8.

Celeberrima. Locus proprie *celeber* dicitur, homo *clarus*. Cf. Nep. in vita Dionis c. 10. et Argum. §. 6.

4. *Laesa.* Participium causam querelarum aperit. V. Argum. §. 8, 9.

Laedere amantem pp. dicitur, qui amorem violat, fidem fallit. Ovid. Rem. Am. L. V. vs. 458. Broukh. ad. Tib. L. I. El. 10. vs. 1.

Si sinis ipse. Refer ad *meo*; adeo ut Oenone Paridem *suum* vocet, nisi Oenones amplius dici forte noluerit, sed alterius puellae.

Meo. Cf. Adn. ad vs. 1. Epist. I.

5. *Quis Deus opposuit nostris sua numina votis?* Quis vero Deus nutu et arbitrio suo justas matrimonii nostri spes et vota turbavit? Sax. in Dictat. Qui ibidem docet *Numina* non pro ipso Deo habenda esse sed pro imperii et virtutis nota, qua quisque Deorum excellere putabatur.

Opposuit per Metaphoram dicitur a cursoribus in stadio petitam, cum adversarius, alter alteri *opponebat* pedem, ne progredi posset, vel ut supplantaret. Cf. Virg. Aen. L. V. vs. 335. Ovid. ex Ponto Ep. VI. vs. 8. Fr. Oud. in dictatis ad h. vs.

6. *Quod mihi crimen obest?* In ea nempe opinione erant veteres, ut, quodcunque malum ipsis adcidisset, id poenae loco haberent.

7. *Leniter.* Molliter, aequo animo. Hubert.

Ex merito. Ex causam ne-

Nondum tantus eras, cum te contenta marito,
Edita de magno flumine Nympha, fui.
Qui nunc Priamides, (adsit reverentia vero)
Servus eras: servo nubere Nympha tuli.

tat, propter quam. V. Turnell. de Part. l. l. in v. Propter meritum, itaque, quia meruisti.

8. *Quae venit indignae poena, dolenda venit. Indignae* (immeritae) dativus Graeca constructione pro accusativo ponitur cum praepositione *ad. Venire* proprio sensu adcipias, ut *poena*, personae instar, *venire* dicatur. Sicut Cic. Tusc. Quaest. L. II. c. 23. extr. « Venit, inquit, plaga vehementior." Ita *Divina ira lento gradu procedere dicitur.* Cf. Ovid. Ep. II. vs. 62. Argum. §. 8. Lect. *indigno* in Animadv. Lennep. memoratam probat Loers, cujus quidem rei hic mentionem non fecissem, nisi subjunctam observationem Erfurdtii ad Sophocl. Antig. vs. 453. addere libitum esset; « masculinum singularis numeri adhiberi, ubi universe aliquis intelligatur, seu vir seu femina sit."

9. *Nondum tantus eras*, etc. V. Argum. §. 8. cf. V. Schelle Hagar aan Abraham pag. 20. et Michal aan David pag. 2.

Contenta, tuli vs. 12. In his vocabulis, inquit Cl. Saxius ad h. vs., inest quaedam humanitatis et indulgentiae vis, qua, sorte nostra et meritis longe minora patimur et admittimus. V. Argum. §. 8. extr.

11. *Priamides.* V. Argum. §. 7. Prima in *Priamides* ex necessitate producitur, ut in Virgil. Aen. L. VI. vs. 494, cum alias prima in *Priamus, Priamĕis*, et *Priameius* corripiatur, ut monuit Gesn. in Thes. ad h. v.

(*Adsit reverentia vero.*) Idem est, inquit Saxius, ac, quid opus est dissimulare; ea quippe veri vis est ac natura, ut neminem revereatur, et a mentientibus illico poenam vanitatis repetat: eam contra vel impudentissimus quisque revereri debeat. Qua occasione V. Cl. nos docet, quodnam discrimen intercedat inter *veritatem* et *verum*, ut, quamvis utrumque de rebus merae intelligentiae, quas abstractas (a sensibus remotas) Philosophi dicunt, jure et recte dicatur, tamen Latinorum sensu in singulis dictorum et factorum causis *Veritas* numquam locum habeat, sed *Verum*; ideoque, si quis scripserit *veritatem narrare, veritatem dicere*, pro *verum narrare, verum dicere* auribus Latinis vim fecerit. Unde sequatur necesse est, semper de rebus in facto positis *verum, veritatem* vero nunquam recte dici,

Saepe greges inter requievimus arbore tecti:
Mixtaque cum foliis praebuit herba torum.
Saepe super stramen, foenoque jacentibus alto,
Defensa est humili cana pruina casa.
Quis tibi monstrabat saltus venatibus aptos:
Et tegeret catulos qua fera rupe suos?

Quo pertinent illa Ovidii Ep. I. vs. 65. Ep. XVIII. vs. 119. et Metam. L. XII. vs. 54.

12. *Nubere*. De h. v. significatione supra.

Nympha. V. Argum. §. 8.

Nubere — tuli. Verbum *ferre* cum infinitivo Ovidii proprium esse observat ad h. vs. Burm.

Tuli. Non recusavi. Ovid. Metam. L. XIII. vs. 460. Suet. in Tib. c. 34. Ruhnk.

13. *Saepe* etc. Elegans casus mutatio observanda est. Oud.

Hac commemoratione pristinae consuetudinis superbiam et fastidium Paridis graviter increpat (Oenone) et retundit; hominibus enim ex humili loco in altum evectis vulgo nihil molestius esse solet, quam superioris vitae et temporum inducta recordatio. Depingitur hic simul antiquissima et pastoricia simplicitas amantium sub arborum umbra humi recumbentium. Sax. Cf. van Schelle Jempsar aan Jozeph pag. 27.

Requievimus arbore tecti. Pace et securitate gaudentes sub arboris umbra recubuimus. Cf. Virg. Ecl. I. Bucol.

14. *Praebuit herba*. Poëtarum more herba agere tanquam persona dicitur. Uti Horatius Serm. L. I. Ecl. 5. idem verbum de personis usurpat.

"Murena praebente domum,
Capitone culinam."

15. *Super stramen, foenoque*. Conjunctio *que* hic diversos casus contra generale Grammaticorum praeceptum jungere videri posset; sed in talibus diversum casum ab intellecta praepositione regi monuit Voss. de Construct. c. 67. Ante *foeno* subaudi igitur praepositionem *in*. Ejusdem constructionis exempla laudant Oud. et Ruhnk. in Sall. Jugurth. c. 7. Liv. L. V. c. 19. Apulej. Metam. L. II. p. 23. Cort. ad Sall Catil. c. 33. Burm. ad Suet Vespas. c. 19. Plin. Ep. L. III. Ep. 6. Oud. ad Hirt. de B. G. L. VIII. c. 46.

Alto — foeno de acervo foeni alte congesti sumitur. Sax.

16. *Defensa est*. Depulsa, prohibita est. Heins.

Cana, quoniam nitescit. Prata albicantia dixit Horat. L. I. Od. 4. vs. 4. Sax.

17. *Aptos*. *Aptus*, inquit Wyttenb. V. Cl. in Select. Schola-

Retia saepe comes, maculis distincta, tetendi:
Saepe citos egi per juga longa canes.
Incisae servant a te mea nomina fagi;
Et legor Oenone, falce notata, tua:
Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt;
Crescite, et in titulos surgite recta meos.

rum, quas suae Cic. de Nat. Deorum editioni subjunxit Creuzerus V. Cl., L. I. c. 4. extr. vulgo idem notat, quod *idoneus*. Oritur vero adjectivum *aptus* a Graeco, ubi ἅπτος notat *ligatum*, a verbo ἅπτειν *ligare*; unde Cic. l. l. *aptae* i. q. *conjunctae*, *ligatae*.

18. *Tegeret*. Occultaret, et tutas haberet. Hubert.

19. *Maculis*. Maculas opus illud textorium simpliciter intelligo, quod Nostri *mazen* dicunt, in quas maculas rete divisum est. Heins. Adv. L. III. c. 9. intelligit pinnas vel plumas diversi coloris, quae lineae inserebantur, et formidinem faciebant. Burm. ad Nemes. Cyneget. vs. 302. interpretatur foramina vel aperturas in retibus inter nodos. Oudendorpius maculas, inquit, accipe grandiores nodos plurimis locis inter foramina et oculos interpositos, ne facile a feris tenuia lina rumpi possent, quod probat V. Cl. ex Varr. R. R. L. III. c. 11. et Columella L. VIII. c. 15.

20. *Egi*. Venatorium est verbum. Virg. Aen. L. IV. vs. 71. « Pastor agens telis." Heins.

Juga longa. Montium continuos tractus. *Juga* montium inde dicta Grammatici volunt, quod ipsa continuatione *jungantur*. Heins.

21. *Incisae* etc. Provocat nunc (Oenone) ad certissimum, ne quis dubitet, amoris et fidei ab eo datae pignus, ad nominis videlicet sui memoriam in corticibus arborum literis notatam, quam cum incrementis illarum testatiorem magisque conspicuam praetereuntibus fore sperat, et vovet (nihil quippe vulgatius more amantium prisco fagis et arboribus teneris nomina amicarum incidendi) ut simul cum illis (sua nomina) crescerent. Virg. Ecl. X. vs. 53. sq. Prop. L. I. El. 18. vs. 19. Sax.

Broukhusius ad Propertii El. laud. in v. *fagus* vs. 20. « Amantibus cara arbor propter umbram opacam, tum et ob memoriam prisci victus."

23. *Et — tantum* etc. Ex natura arboris.

24. *In titulos — meos*. In mei nominis, et Paridis in me amoris memoriam. Cf. Adn. ad Epist. II. vs. 68.

Populus est (memini) fluviali consita ripa;
Est in qua nostri litera scripta memor.
Populе, vive precor, quae consita margine ripae,
Hoc in rugoso cortice carmen habes:
Cum Paris Oenone poterit spirare relicta.
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.

Recta. Non obliqua, inquit Saxius, ne turbatius concurrerent (nomina), et sic lectio impediretur.

Surgite. Populi itaque ipsae agere dicuntur.

25. (*Memini.*) Unde? Amabat scilicet.

Fluviali — ripa. Ubi bubus ad bibendum compulsis, confabulari amorique indulgere solebant.

Consita. Plantata. V. Statius Comicus apud Cic. de Senect. c. 7. Horat. L. III. Od. 10. vs. 6. Ubi vid. Bentlej. et Ruhnk.

26. *Litera — memor.* Poëtice. Cf. supra vs. 24.

27. *Populе, vive precor.* Mortalium animi ita sunt comparati, ut solitarium nihil ament, semper anquirant, quibus sensa atque vota communicent. Humani vero ut nihil a se alienum putant, ita quivis ab altero idem exspectare licet. Quodsi vero ejusdem naturae socii desunt, adcedente phantasia, quae in secundissimis et adversissimis rebus exardescere plerumque solet, eundum sensum inanimatis tribuunt homines, unde fit, ut cum his, quasi rationis participibus, sua consilia, labores, vota etc. conferant. quod et hic Oenonae adcidit.

28. *Rugoso.* Adjectivum externam asperi corticis speciem nobis ob oculos ponere videtur, nulla senectutis ratione habita, quae tamen adjectivo indicari volunt Interpretes, Burmannus, Ruhnk., alii.

Carmen. Cf. Adn. ad vs. 146. Ep. II.

29. *Spirare.* Unum spiritum ducere. Gravius ergo quam *vivere.* Hoc enim continuum tempus, illud unicum tantum temporis punctum significat.

30. *Ad fontem Xanthi* etc., celeberrimi Phrygiae fluvii, Descendit autem Xanthus ex Ida monte, adeo ut jurasset Paris, prius omnia naturae legibus praepostera itura, Xanthumque prius adscensurum Idae fastigium, quam, relicta Oenone, spiraret.

Hujus vero promissi vim, inquit Saxius, auget a re portentosa et incredibili sumta obtestatio. — Frequens haec amantium aliorumque hominum, qui maria et montes pollicentur, consuetudo est, ut ἀδύνατα, quaeque potius eventura esse, quam

Xanthe, retro propera; versaeque recurrite lymphae!
Sustinet Oenonen deseruisse Paris.
Illa dies fatum miserae mihi dixit; ab illa
Pessima mutati coepit amoris hiems:
Qua Venus et Juno, sumtisque decentior armis,
Venit in arbitrium nuda Minerva tuum.

fidem suam frangi significent. Cujus generis sententias e Graecis Latinisque collegit Fulvius Ursinus in Virgilio cum Graecis scriptoribus collato ad Ecl. I. vs. 60. pag. 12, 13. Edit. Valcken., quibus addendus est locus Ovid. Trist. L. I. El. 8. vs. 1. et Horat. L. I. Od. 29. vs. 10. Sax.

31. *Xanthe* etc. Per Apostrophen. Cf. Adn. ad vs. 27. h. Ep.

32. *Sustinet.* In voce *sustinere* non mediocris *audaciae* et *impudentiae* vis inest. Cf. Ovid. Metam. VI. vs. 563. Fast. L. II. vs. 416. Sax. Hinc itaque est, quod Oudendorpius in Adn. ad h. vs., *sustinet* explicet *audet*, *a se impetrare potest*, uti et Drakenb.

Deseruisse. Per Heterosin temporum pro praesenti *deserere*. Cf. Vechn. Op. l. L. I. c. 14. §. 2.

33. *Illa dies.* Non videtur temere a Poëta factum esse, quod dies feminino genere notavit, ut tempus *generatim* indicaret, non *certum* et *definitum diem*; si vana non sunt, quae Grammatici Veteres de potestate illius generis observant, tanquam Asconius Ped. in Proëm. Cic. Act. in Verr. pag. 44. Ed. Crem. Serv. ad Aen. L. II. vs. 324. Sax.

Ascon. Ped. verba haec sunt: « Dies foeminino genere *tempus:* et ideo diminutive *dieculam* dicitur breve tempus et mora. *Dies* horarum XII. generis masculi est: unde *hodie* dicimus quasi *hoc die.*

Servii verba eadem fere sunt, ut addere supersedeam.

Dixit. Praedixit, portendit. Oud. *Dicere* proprium ac solenne vaticinantium vocabulum. Sax.

Ab i. q. *ex* vel *post.* V. Turnell. Op. l. in v.

34. *Pessima — amoris hiems.* Eleganter *hiemem* amorem Paridis vocat in Oenone frigentem. Sic contra *aestus amoris* Ovid. Am. L. III. El. 5. vs. 35.

« Quem tu mobilibus foliis vitare volebas,
Sed male vitabas, aestus amoris erat."

Cf. Valck. ad Euripidis Phoen. vs. 248.

Mutatus amor est aliorsum versus. Metaphora sumtâ a vento, qui, cum secundus fuisset, mutatur et adversus est. Ruhnk.

Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,
Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.
Consului (neque enim modice terrebar) anusque,
Longaevosque senes: constitit esse nefas.

35. *Qua Venus et Juno.* Cf. Argum. §. 6. Dorn Seiffen in Onomastico Poëtico.

Sumtisque decentior armis. Wyttenb. V. Cl. Biblioth. Crit. Vol I. P. III. p. 75. quae ad horum verborum sensum intelligendum faciunt, haec scripsit: « Minervae oculos ab Antiquitate improbatos et saepe salse irrisos videbis apud illos, quos ad Propert. L. I. El. 21. vs. 14. laudat. Cl. Burmannus, Heinsium praecipue ad Ovid. L. II. Art. 659. Ista formae vitia dissimulabat Pallas, galeam capiti induendo. Ne dubita, quin hoc spectans Ovid. Ep. V. Her. vs. 35. illam *sumtis armis decentiorem* vocet, i. e. quae decentior est, quando arma sumsit: quae eam magis decent quam nuditas. Oud.

36. *Venit in arbitrium.* Ut tu arbiter formae trium illarum Dearum, Veneris, Junonis, Minervae, adsignares uni ex illis pulcritudinis praemium, aureum nempe Eridis pomum. Oud.

Nuda. Minerva apparebat praeter morem; in signis enim Veterum nunquam exstat nuda, sed palla decore amicta, saepe lorica cum aegide et hasta. Sax.

37. *Attoniti.* Causam reddit participium, quare sinus micarent: de quo verbo cf. Adn. ad vs. 45. Ep. I. Imaginem summi timoris per jocum et risum depinxit Plaut. in Aulul. Sc. 4. Act. 3. vs. 3. Sax.

Gelidusque cucurrit — tremor. Substantivum ab effectu dici *gelidum* patet. Verbum *currere* eleganter ac naturae convenienter celerem sanguinis motum indicat, quo in summo timore omnis ad cor redit sanguis.

38. *Ut mihi narrasti.* Postquam mihi omnem hanc rem communicasti, inprimis vero Veneris promissum. Egomet continuo mecum; quid, si ostensa spe pulcrioris fidem mutaveris, — jam tum verita ne eveniret, quod evenit. Sax.

39. *Anusque longaevosque senes.* Omnem hanc nugatoriam divinationem Veteres cum interpretarentur esse rerum fortuitarum significationem longo tempore et diuturno usu animad. versam et notatam (Cic. de Divin. L. I. c. 6, 7.) facile intelligitur ratio, cur anus potissimum ac senes futurorum conjectores haberentur. Sax.

40. *Constitit esse nefas. Consistere* pp. una, firmiter stare,

Caesa abies: sectaeque trabes, et, classe peracta,
Caerula ceratas accipit unda rates.
Flesti discedens: hoc saltem parce negare;
Praeterito magis est iste pudendus amor.
Et flesti, et nostros vidisti flentis ocellos:
Miscuimus lacrimas moestus uterque suas.

ut nemo facile te loco moveat. Hinc *certum esse*, *omni dubio majus*. Verborum sensus est: Omnes, quos consului, in id consentiebant omnes, ut adfirmarent, certo certius esse *nefas*, inpium facinus, quod fari, nominare non licebat.

41. *Caesa* etc. Elegans descriptio naves aedificantis easque jamjam conscensuri. Sax.

Classe peracta. Perfecta, absoluta. V. Sueton. in Caligula c. 21. Val. Flaccus L. II. vs. 96. et Burm. ad Valerii et Ovid. l. l. Ruhnk.

42. *Ceratas*. Veteres navium rimas cera inplebant; unde saepe a poëtis naves *ceratae* dicuntur. Ruhnk. V. Goguet l'Origine des lois etc. Vol. II. pag. 300. Edit Paris. 1820.

Accipit. Apud poëtas omnia etiam inanimata in actu et motu esse saepius jam monui.

43. *Hoc saltem* etc. Si alia, inquit Oenone, pristini mutuique inter nos amoris pignora negare ausis; id profecto inficiari non poteris te abiturum in Graeciam lacrymas fudisse. Sax.

Parce. Noli negare, cave neges. Imitatione Graecorum, qui itidem φειδοῦ dicunt. V. Vechn. Op. l. L. I. c. 28. §. 4. L. II. c. 2. pag. m. 258. extr.

44. *Praeterito* etc. hoc sensu: Ille amor, cujus tuas abeuntis lacrymas indicia credidi, magis est pudendus praeterito amore, qui fortasse verus fuit, sed fictus certe fuit, quem discedens ad me decipiendam ostendisti, cum jam Helenam cogitares.

Pudendus. De verbo *pudeo* consulatur Sanctii Minerva L. III. c. 1, 3.

Iste. Demonstrative atque in in contemtum poni pronomen non est, quod moneam.

45. *Et flesti, et nostros vidisti* etc. Repetita conjunctione *et* lector admonetur, ut singula per se adtendat. Non solum tu flevisti sed et ego.

Nostros — flentis. Plurima hujus constructionis exempla tam Graeca quam Latina laudavit Heins. ad h. vs. Pronominibus enim adjectivis Graeco more genitivum jungere solent

Non sic adpositis vincitur vitibus ulmus,
Ut tua sunt collo brachia nexa meo.
Ah quoties, cum te vento quererere teneri,
Riserunt comites! ille secundus erat.
Oscula dimissae quoties repetita dedisti!
Quam vix sustinuit dicere lingua, Vale!
Aura levis rigido pendentia lintea malo
Suscitat: et remis eruta canet aqua.

et ligatae et solutae orationis scriptores. V. Periz. ad Sanct. Min. L. II. c. 3. n°. 13.

46. *Miscuimus — moestus uterque suas.* Elegans est conjunctio primae et tertiae personae, quae utraque agit de iisdem loquentibus. Oud.

47. *Non sic adpositis* etc. Ingeniosa contentio amplexus, qui tenerrimi amoris signum esse solent cum vitibus ulmo junctis; cum enim apud Italos veteres nullae aut rarae essent vineae sine ulmis aut populis, quoniam judicabatur, nobilia vina non nisi in arbustis gigni, et in his quoque laudatiora summis, sicut uberiora imis, ad hanc rationis disciplinam arbores eligebantur.

Hanc vitium alligationem veteres rustici *maritare* vocabant. Quia vero ulmus vitem amabat, nec vitis deserebat ulmum, inde similitudo connubii et amoris inter marem et feminam ad vites arboresque ejusmodi traducta est, ut ulmus, quacum aptae et nexae erant, *maritus* apud Catullum Carm. 63. vs. 53. dicatur. Sin arbores vitem non amplecterentur, *viduae* et *coelibes*. Sax.

49. *Quererere teneri*, i. e. retineri. Cf. Ep. II. vs. 14. Ut hac commorandi cupiditate mihi fidissimi amoris opinionem injiceres, calidumque amantem ageres.

50. *Riserunt comites*, aliquem adeo perdite feminam amare posse, ut ex falsa causa etiam moram quaereret. Ventus enim non adversus sed secundus erat. Cf. Ep. II. vs. 93. In hac verborum interpretatione mecum consentiunt Ruhnkenius et Loers l. spec.

51. *Oscula dimissae* etc. Majus etiam accessit amoris erga me tui indicium, osculorum frequens usus et impeditior prae dolore vox. Per τὸ *dimissae* notatur reditus Paridis versus Oenonem semel iterumque post discessum factus. Sax.

52. *Sustinuit*, a se inpetrare potuit. Cf. Adn. ad vs. 32. h. Ep.

53. *Aura levis rigido — suscitat.* Ipsam nunc Paridis navigationem poëticis coloribus,

Prosequor infelix oculis abeuntia vela, 55
Qua licet: et lacrimis humet arena meis.
Utque celer venias virides Nereïdas oro:
Scilicet ut venias in mea damna celer.

imagine a velis remisque sumta, depingit. Cum enim oram solvimus et permittimus vela ventis, illa turgescere incipiunt; unda vero maris, commota et compulsa remis, frequenter spumat, remus autem et aura celeres vias faciunt, ut loquitur Ovid. Ep. XVI. vs. 330. Sax.

Lintea itaque sive vela quasi dormientia e somno excitantur, suscitantur ab aura levi.

Levis. Saxius V. Cl. adcipit, vel potius adcipi posse adfirmat de *leni*, *facili* et *blanda*, conveniebatque ex portu naviganti.

Rigido. Naturam mali indicat.

54. *Remis eruta.* Remiges dum impellunt remos, velut aratores glebas rastris frangentes undas *effodere* videntur. Sax. Huic itaque consequens est, ut aqua canum sive album colorem referat.

55. *Prosequor infelix* etc. Quasi dicat Oenone: Ego vero eo stultitiae processi, ut, quam longissime possem, naves tuas lacrymis et bonis ominibus prosequerer. Quibus in verbis non modica ejus ipsius est irrisio, quod vota pro itu redituque Paridis fecerit, cum malo suo et damno reversus sit.

56. *Qua*, parte scilicet. Quibus adjectis verbis non parum Paridis desiderium in Oenones animo augetur a Poëta. Dum poterat, alio oculos non deflectebat Oenone.

Humet arena. Est hoc incultis ac rudibus hominibus proprium, ut nullam neque spatii, nec temporis, nec modi definitam notionem habeant, phantasia vividiore abrepti. Poëta itaque cum canit, talium hominum sermone et dicendi ratione utitur, quo fit ut, dum canat, in sylvis et rudi hominum genere versari videatur. Hic ergo est Hyperboles fons atque origo. De Hyperbole legatur Quinctil. Inst. Orat. L. VIII. c. 6. Edit. Burm. pag. 751.

57. *Celer venias.* Graecismus. V. Vechn. Op. l. L. l. c. 3. pag. m. 133. sq. *Venias* pro *redeas*, inquit Ruhnk. *Venire* enim saepe pro *redire* ponitur. Ep. XIII. vs. 101.

Virides Nereïdas, Deas marinas Nerëi et Doridis filias, de quibus ita canit Propertius L. I. El. 17. vs. 25. sq.

« At vos aequoreae formosa Doride natae
Candida felici solvite vela choro.

Votis ergo meis alii redituré redisti?
Hei mihi, pro dira pellice blanda fui!
Adspicit immensum moles nativa profundum;
Mons fuit: aequoreis illa resistit aquis.

Si quando vestras labens Amor attigit undas,
Mansuetis socio parcite litoribus."

Labens amor explicante Broukhusio est *Amator navigans. Socio* cum et Vos expertae sciatis, quid sit amor.

58. *Scilicet.* Explicandi vim habet et sui ipsius irrisionis significationem. V. Tursell. Op. l. in v.

59. *Votis ergo* etc. Rata quippe Dii vota mea esse jusserunt, sed eorum, proh dolor! fructus ego nullos capio; redisti enim *alii*, alius gratia, non meo commodo. Hem! miseram, quam error ita abripuit, ut pacem Deorum precibus exposcerem pro *pellice*, quae diris erat devovenda. Sax.

Ergo. Hic praeter Ovidii aliorumque optimorum poëtarum consuetudinem conripitur. V. Dav. Jac. van Lennep. V. Cl. Animadv. ad h. vs. *Ergo* stomachantis est vel conquerentis. Ovid. Am. L. II. El. 7. vs. 1. Prop. L. III. El. 5. vs. 1. ubi Broukh. Ruhnk.

60. *Blanda fui.* Placavi Deorum iram precibusque delinivi. Precibus enim propriae sunt blanditiae. Sax.

Pro. In commodum, in gratiam. V. Tursell. Op. l. in v.

61. *Adspicit* etc. Uti novissima discedentem viderat Oenone, sic prima redeuntem ex eodem promontorio Sigëo, quod hic eleganter describitur, speculata erat: cujus adventu cognito, parum abfuisse scribit, quin obviam ei in undis procederet. Sax. Saepe rebus inanimatis visus tribuitur ut Ep. III. vs. 69. Ruhnk.

Adspicit immensum — profundum. Quia non nihil procurrebat Sigëum, incumbebatque mari, hic adspicere dicitur *immensum* profundum. Sax.

Immensum. Adjectivum illud facit ad sublimitatem. V. Schell. Praec. Stil. b. Lat. Part. II. c. 2. Sect. 39. extr. et in Append. L. III. Sect. 3. sq. Longinus de Sublim. cf. Adn. ad vs. 56. h. Ep.

62. *Mons fuit* etc. Mons, unde conspexerat Paridem recte *moles nativa* adpellatur, uti alio loco mons Aventinus Romae Fast. L. V. vs. 149. Qua simul dictione et *altitudo* et situs a *natura*, non opere et arte munitus depingitur. Sax.

Aequoreis etc. Vim inruentium in continentem aquarum frangit et retundit. Sax.

Hinc ego vela tuae cognovi prima carinae:
Et mihi per fluctus impetus ire fuit.
Dum moror, in summa fulsit mihi purpura prora;
Pertimui: cultus non erat ille tuus.

68. *Hinc* de loco pp. dicitur. V. Tursell. op. l. in v. Ex hoc monte, promontorio.

Vela — prima. Ita enim fieri solet, ut prospicienti vela primo loco adpareant, dein, adpropinquante nave, inferiores partes, quamvis non distinctae, tum magis dignoscantur et personae et res, quae nave vehuntur. Et poëtae et prosae orationis scriptores adjectivo *primus* utuntur pro adverbio *primum* vel *primo*. Virg. Aen. L. IX. vs. 244. Liv. L. IV. c. 20. Plura apud Gronov. Obss. L. I. c. 7. et Heins. ad Virg. Aen. L. VI. vs. 811. Ruhnk. Operarum vitio in Heins. adn. perperam laudatur Aen. L. I. vs. 244. pro L. IX.

Cognovi. Cognoscere est sensuum, ut oculorum et aurium: *intelligere*, animi. Sax.

Rectius forte *cognovi* explices *agnovi*, ut apud Ovid. Metam. L. IV. vs. 137. de Thisbe

"Sed postquam remorata suos
cognovit amores."

ut eleganter de Oenone adhibeatur, quae viderat vela abeuntis Paridis et jam redeuntis agnoscebat, quo sensu et Meziriacus verbum adcepit.

Carinae. Hanc partem pp. spectasse Ovid. alibi vidimus. Fieri enim aliter non potest, quin, cum carinam, cui tota navis innititur, cogitemus, reliquae navis partes, tota adeo navis, mentem subeat.

64. *Et mihi* etc. Eodem modo Phyllidi impetum eundi per fluctus (ita enim explicandus Graecismus *impetus ire* uti jam alibi monuimus) tribuit Ovid. Ep. II. vs. 125. sq.

65. *Dum moror* etc. Dum animi pendeo, starem an occursarem tibi, oculis se meis praeter spem purpurae splendor in prora conspicuus offerebat, quem aliunde sciebam tibi non esse proprium, sed appellante propius oram maritimam nave vultum muliebrem agnoscebam, quo viso animus vehementer perturbatus est. Sax.

In summa — prora. In superiori tabulato prorae, quae anterior navis pars Troadem petentis, de Sigeo observanti (dativus pro ablativo cum praep. Graecorum more) primum conspiciebatur. Sax.

Fulsit. Fulgere maximum splendorem emittere, hinc pro *fulgurare* aliquando ponitur.

Purpura. Alterutrum sumendum est, inquit Saxius, vel Paridem hujus luxuriae instrumenta Troja secum Spar-

Fit propior, terrasque cita ratis attigit aura:
Femineas vidi, corde tremente, genas.
Non satis id fuerat: quid enim furiosa morabar?
Haerebat gremio turpis amica tuo. 70

tam adportasse, cui suspicioni non parum favet illud Ovid. Ep. XIII. vs. 57.

"Venerat (ut fama est) multa spectabilis auro,
Quique suo Phrygias corpore ferret opes."

vel eumdem in patriam reversurum, rapta jam Helena, invisentemque urbes Sidonem et Tyrum ejusmodi vestes purpureas emisse Helenaeque induisse: Tyriâ enim purpurâ nobilior nulla est, ut in vulgus notum est Quae conjectura inde firmatur, quod pepla Minervae a matronis et Hecuba inprimis consecrata dicuntur ἔργα γυναικῶν σιδονίων, opera mulierum Sidoniarum, quae Paris Sidone adtulisset. Hom. Il. L. VI. vs. 289. sq. Severissima enim Lycurgi disciplina purpura uti non patiebatur. Laconica autem purpura, quae laudatur a Plin. H. N. L. IX. c. 36. L. XXI. c. 8. Horat. Od. L. II. Od. 18. vs. 7, 8. posteriorum temporum esse videtur, quibus Lycurgi disciplina interierat. Sax.

66. *Pertimui.* Maximus timor me occupavit. Praepositio enim *per* vim verbi intendit. Rationem, quare tantopere timeret, addidit Poëta, subpressa conjunctione *nam.*

Cultus. Vestitus, amictus. Cf. Ovid. Metam. L. XIII. vs. 163. Ruhnk.

67. *Cita* ab effectu *aura* dicitur, cujus ope celeriter terras adtingebat ratis. *Ratis* autem primum et antiquissimum navigii genus e rudibus tignis asseribusque confectum. *Rates*, inquit Festus, vocantur tigna inter se colligata, quae per *aquam* aguntur. Illa itaque navis pars, quam alvum adpellare liceat, pp. significatur. Cf. Adn. ad vs. 63. v. *Carinae.*

68. *Femineas — genas* ipsas, non enim, me quidem judice, pro toto vultu vox adcipienda est.

Corde tremente. Cf. Adn. ad vs. 37. h. Ep

69. *Non satis id fuerat?* per interrogationem si legas, sensus mihi quidem erectior videtur. Hoc modo: quare non abii, postquam vidi femineas genas in prora, nonne hoc satis fuerat ad dolorem excitandum, quare adeo dementem fuisse oportuit, ut morarer. An ut viderem *turpem* (ad *mores* non ad *faciem*) *amicam haerentem* (perpetuo se-

Tunc vero rupique sinus, et pectora planxi,
Et secui madidas ungue rigente genas:
Implevique sacram querulis ululatibus Iden.
Illinc has lacrimas in mea saxa tuli.

dentem, ut abstrahi vix posse videretur) gremio Paridis?

De formula *satis est* vid. Burm. ad Metam. L. VI. vs. 363.

Saxius V. Cl. locum ita explicat. Non opus quidem fuisset plura curiosius spectare; a ceterarum rerum contemplatione oculos avertere potuissem, quoniam viso muliebri cultu idoneum jam exstabat argumentum immutati erga me amoris tui, idque ad dolorem satis erat. Sed, ut sunt feminae talium rerum acerrimae speculatrices, sic coepfus indignationis furor me impellebat, ut plura oculis meis persequerer, quo factum, ut in gremio tuo sedentem amicam viderem. Id enim notare videtur *haerere gremio*. Hac certe imagine Proserpina a Plutone rapta, Europa Tauro insidens aliaeque id genus mulieres raptae in gemmis et marmoribus pingi solent, ut raptoris gremium occupent. Quo spectant Ovid. Ep. VIII. vs. 94. Metam. L. VII. vs. 66.

Quid enim, propter quam tandem causam? Cf. Tursell. Op. l. in v. *quid*. Cic. Ep. ad Div. L. I. Ep. 4.

71. *Tunc vero*. Tum demum, tum inprimis. Eae nempe parti culae aliud quidem alio tempore factum, aliud similiter comparatum esse inferunt; sed quod *nunc* narratur, illi praeferendum esse. Cort. ad Sall. Cat. c. 61.

Rupique sinus etc. Cf. Adn. ad vs. 15. Ep. III. Vestem, sinus tegimentum, vi quadam relaxavi, discidi. Sax. Cf. van Schelle Hagar aan Abraham pag. 18.

72. *Madidas*. Cf. Adn. ad vs. 28. h. Ep. v. *a lacrymis*.

Rigente. Cf. vs. 53. h. Ep. v. *rigido*.

73. *Implevique — querulis ululatibus*. *Implere*, i. e. premendo effarcire, distendere. De rebus vel liquidis vel solidis dicitur, quibus et vasa et utres vs. 9. premuntur et extenduntur. Metaphorice itaque verbum adhibuit Ovid., ut, quanti Oenones ejulatus essent, oculis nostris quasi subjiceret.

Sacram — Iden, quod in hoc monte sacra Deae Cybeles fiebant; unde ipsa Dea nomen *Idaeae parentis* habet apud Ovid. Fast. L. IV. vs. 182. Sax.

74. *Illinc has lacrimas* etc. Lacrymas autem *in sua saxa* se tulisse dicit Oenone, i. e. in ea loca moestam secessisse, quae pristinae ejus cum Paride

Sic Helene doleat, desertaque conjuge ploret: 75
Quaeque prior nobis intulit, ipsa ferat.
Nunc tibi conveniunt, quae te per aperta sequantur
Aequora, legitimos destituantque toros.

familiaritatis testes et vindices esse poterant.

Dolentes enim, missa hominum consuetudine in solitudinem se abdere solent, ut aegritudini suae tanto magis indulgeant, fortunaeque casus implorent. Sax.

75. *Sic Helene, doleat* etc. Non levis imprecatio in Helenam, qua vovet Oenone, ut similem ei doloris vicem reddant numina, et ut aliquando deserta a novo conjuge idem subire fatum cogatur, quod sibi ejus causa obtigerit. Sax.

Deserta conjuge. Supple a conjuge. Quae praepositio saepe omittitur. Vid. Ep. XII. vs. 161. Propert. L. II. El. 7. vs. 17. Interpretes ad Phaedri fab. 21. vs. 3. L. I. Ruhnk.

76. *Ipsa ferat*, αὐτὴ λάβοι ut Sophocl. Trach. vs. 833.

77. *Nunc tibi conveniunt.* Nunc, cum Priamides sis repertus, tibi aptae sunt, te juvant non solum Helena, quae tibi in matrimonium convenit, sed aliae, *quae te* etc. Cf. Broukh. ad Prop. L. III. El. 23. vs. 28. cit. ab Oud. ad h. vs. qui verbum *convenire* ita explicat, ut sit *concordes esse, animo moribusque utrumque respondere.*

Quae per aperta sequantur aequora. Plures feminae idem Helenae exemplum secutae sunt. Aethrae saltem et Clymenes, sociarum Helenae, meminerunt Hom. Il. L. III. vs. 144. Ovid. Ep. XVI. vs. 257. et XVII. vs. 150, 267. et pro Clymene Hygin. fab. 79. Thisadiem, fab. 92. Thisadien quamdam nominat. Immo hanc rationem addit Dictys. Cretensis Lib. I. Belli Troj. c. 17, postquam antea c. 3. Aethram et Clymenen Menelai affines, quae ob necessitudinem cum Helena egerant, commemoraverat, (hanc rationem reddit) quare Trojani Helenam Graecis reposcentibus reddere noluerint, quoniam fratres Paridis forma mulierum, quae cum Helena venerant, permoti nuptias sibi singularum jam animo destinaverant. Proinde Ovidii verba non (ut alii) de sola Helena, sed de comitibus quoque ejus accipienda esse judicarim. Sax. Pluralem pro singulari numero hic cum emphasi adhiberi censet Peerlkampius V. Cl. in Adnot. ad Xenoph. Ephes. L. II. pag. 218.

Aperta. Late patentia. Oud. Vasta, immensa. Quasi his verbis significet, ne discrimina quidem maris et fluctuum praelibidine sua feminas curare. Sax.

At, cum pauper eras, armentaque pastor agebas,
Nulla, nisi Oenone, pauperis uxor erat.
Non ego miror opes, nec me tua regia tangit,
Nec de tot Priami dicar ut una nurus.
Non tamen ut Priamus Nymphae socer esse recuset:
Aut Hecubae fuerim dissimulanda nurus.

78. *Destituere*, deserere quem numquam nos deserturos promiseramus. *Legitimos toros*, i. e. maritos. *Torus* poëtice et de viro et de uxore usurpatur. Vid. Heins. ad Ovid. Her. Ep. XIX. vs. 100. Ruhnk.

79. *At, cum* etc. Quasi dicat « non sequuntur *te*, sed *fortunam tuam*; ego autem secuta sum *te*, quae in paupertate tua tibi nupsi et te amavi. Hubert. Cf. Argum. §. 8.

Agebas. Agere solenne vocabulum est pastorum oves pecudesque varii generis custodientium. Cf. Metam. L. I. vs. 676. Virg. Ecl. L. I. vs. 13.

80. *Nulla, nisi Oenone.* Ad efficaciam sic dicit pro, *Ego*, quae tanta Nympha, tamen contenta fui te marito paupere. Oud. Cf. Adn. ad vs. 84. h. Ep.

81. *Non ego miror opes.* Praecedentium rationem reddunt, intellecto *nam.*

(Etenim) prae admiratione ego (opes tuas) non affecto, non eas cupio. Eodem sensu Graecum θωμάζω in Electra vs. 395. Sophocles adhibuit. Oud.

Nec me. In pronomine emphasis est.

Tangit. Movet, excitat, accendit, ad amorem commovet.

De tot. Quinquaginta enim quatuor liberos fuisse tam mares quam feminas tradunt Mythologi. Catalogum vid. apud Hygin. fab. 90. Cf. Ciofanus ad Ovid. Metam. L. III. vs. 529.

83. *Non tamen.* Per ellipsin « ita pauper, vilis sum." Oud.

Nymphae. Emphatice.

Socer esse recuset, sive se esse socerum. Ita scilicet Latini more Graeco loquuntur, quando agitur de eadem persona, nec transitur in aliam. Cf. Ovid. Rem. Am. vs. 62. Metam. L. XIII. vs. 142. Oud.

84. *Hecubae.* V. Argum. §. 2.

Dissimulanda. Si tamen opineris altius esse nunc fortunae et honoris tui fastigium, quam ut sortem mei conjugii patiatur, vehementer falleris; nam non est, cur vel Priamum nurus pudeat, vel Hecuba *dissimulet*, studiose occultet ac celet, (me suam esse nurum) quasi opprobrio ipsi essem. Cf. Ovid. Am. L. II. El. 7. vs. 8. Art. Am. L. II. vs. 642. Ep. XVII. vs. 76. Sax.

Dignaque sum, et cupio fieri matrona potentis:
Sunt mihi, quas possint sceptra decere, manus.
Nec me, faginea quod tecum fronde jacebam,
Despice: purpureo sum magis apta toro.
Denique, tutus amor meus est tibi. nulla parantur
Bella, nec ultrices advehit unda rates.
Tyndaris infestis fugitiva reposcitur armis.
Hac venit in thalamos dote superba tuos.

85. *Matrona.* Festus scribit « Matronas eas esse, quibus stolas habendi jus erat." Sic ut matronae dicerentur notae auctoritatis, spectataeque vitae et pudicitiae feminae. Gron. ad Gell. N. Att. L. XVIII. c. 6.

Potentis. Hic simpliciter pro rege vel viro potente. Sax.

86. *Quas possint* etc. Quae cum dignitate sceptra tenere et moderari possint, quantumvis in silvis habitaverim. Quibus verbis errorem suspicionemque de ignobilitate rusticitateque sua repellitur. Sax.

87. *Nec me* etc. Noli me propterea despicatui habere, quod tecum olim sub arboribus cubui et requievi; id enim factum est non necessitate aut jure, sed benevolentia et singulari erga te voluntate: alioquin purpureus sortem meam lectus decuisset. Sax.

Jacere fronde faginea duplici modo intelligi potest, vel *sub fronde faginea*, sive arbore fagi; vel *in fronde*, ita ut lectus veluti ex fortuita congestione ramorum natus et compositus sit. Sax.

88. *Purpureo — toro*, lecto veste purpurea instrato et ornato, qualis est virorum potentium et regum. Sax.

89. *Denique.* Ut paucis dicam. Cf. Ovid. Ep. XX. vs. 65. Ruhnk. Novum discriminis signum memorat, ostenditque, quantum inter suos et Helenes amores intersit. Ex his quippe tumultus, bella, pestem patriae orituram esse praesagit; ex illis pacem, tranquillitatem, otium nasci et conciliari demonstrat. Sax.

90. *Ultrices* etc. Sunt Graecorum naves, quibus injuria Menelao facta vindicabatur. Sax.

91. *Tyndaris* etc. Dos sane egregia novae uxoris, quae pro opibus et bonis in domum tuam mala omnia gravissimi belli semina, vastitatem et solitudinem inferat. Cum maxime enim verbis reposcitur, mox vi, armis. Utrum ergo retinenda, an, nuncio ei misso, remittenda sit; si meam rogare sententiam grave-

Quae si sit Danaïs reddenda, vel Hectora fratrem;
Vel cum Deïphobo Polydamanta roga.
Quid gravis Antenor, Priamus quid censeat ipse,
Consule: queis aetas longa magistra fuit.

tis, a fratribus saltem tuis, qui incorruptius me tibi judicare videbuntur, require. Sax. De Tyndaridè vid. Argum. §. 6.

Infestis — armis. Sic etiam prosae orationis scriptores dicunt *Infestis hastis. Infestis cuspidibus. Infestis signis.* Exempla praebet Bentlej. ad Horat. L. III. Od. 8. vs. 19. sq. Drakenb. ad Liv. L. II. c 46. extr. Ruhnk.

Fugitiva, Quod inscio et invito marito cum Paride aufugerat. Vocabulo utitur acerbo, servisque herum suum desérentibus proprio. Sax.

92. *Hac — dote superba.* Gravis irrisio inest voci *superba*: de nulla enim re *vere* gloriari possumus, nisi boni conscientia, nisi rectè factis, quandoque etiam, ut mos est, ingenii humani potentia. His vero omnibus *indotata* erat Helena. Sax.

93. *Si sit* pro *num sit*, quo sensu Graeci suum *si* usurpant. Cf. Ovid. Ep. VI. vs. 37. Caesar de B. G. L. I. c. 8. Sallust. in Jug. c. 47. n°. 2, ubi vid. Cort. Exc. 4°. Ruhnk.

Danaïs. Cf. Adn. ad vs. 3. Ep. I.

Vel Hectora. Dictys Cret. Bell. Troj. L. I. c. 6. a Saxio V. Cl. cit. auctor est, *omnes* filios a Priamo in consilium adhibitos uno ore minime reddendam esse Helenam respondisse. V. Dict. Cret. Op. L. I. c. 10. Serv. ad Aen. L. II. vs. 310. L. VI. vs. 495.

94. *Polydamanta* vero litteris testatum est a consiliis filiorum Priami et Paridis vehementer abhorruisse negasseque retinendam esse Helenam. Quint. Calab. Praetermissorum ab Homero L. II. vs. 41. Sax. Vid. omnino D. J. van Lennep Animadv. ad vs. 15. Ep. I. *Polydamas*, filius Antenoris. Ceterum *Polydantas* prima longa formatum esse ab Aeolico πωλυδαμάς, adfirmat Drakenb. ad Sil. Ital. L. XII. vs. 212, notante Ruhnk. ad h. vs.

95. *Gravis* Antenor dicitur, quod ejus testimonium velut senis probi et prudentis multum *ponderis* habebat. Cf. Ep. VIII. vs. 31. V. Hom. Il. L. III. vs. 159.

Quid censeat — consule. Locutiones sunt a Romana Curia desumtae, ubi senatores sententiam dicentes dicuntur *censere*, sicuti illi, qui illos sententiam rogabant, *consulere* dicuntur, a quo actu quidam *Consulis* nomen deduxunt. Oud.

96. *Queis aetas* etc. Quia in senibus majus est consilium,

Turpe rudimentum, patriae praeponere raptam.
Caussa pudenda tua est: justa vir arma movet.
Nec tibi, si sapias, fidam promitte Lacaenam,
Quae sit in amplexus tam cito versa tuos. 100

usque ut corpus annis infirmum, sic ingenium sapientia validum esse soleat; hinc egregie subjunxit Ovid. « *queis aetas* etc. Sax.

97. *Rudimentum* pp. est prima puerorum rudium institutio, vel primum militum teronum exercitium et disciplina armorum ac prima illorum tractatio; hinc ad cujusque rei peragendae initia et auspicia transfertur. Oud.

Patriae praeponere raptam, civitati tuae, i. e. malle eam retinere, quam servare patriam tuam, quae propter ipsam peritura est. Hub.

98. *Caussa pudenda tua est. Caussa* locutio est forensis, significans ὑπόθεσιν sive negotium, de quo in judicio disceptatur per litem adversariorum. Belgice *eene goede of kwade zaak*. Oud. De insigni in poëta Ovidio Romani juris peritia egit J. van Iddekinge in Diss. Philologico — Juridica Amstel. apud P. den Hengst et Filium 1811.

Pudenda. Turpis, digna pudore. Hub. Cf. Adn. ad vs. 44. h. Ep.

Justa. Juri, legibus conveniens, laudanda adeo. Cf. Ovid. A. A. L. II. vs. 397. *Arma movet*. Bellum infert. Cf. Lucan. L. VII. vs. 364. Sil. Ital. L. II. vs. 46. *Certamina movere* saepe occurrit apud Liv. Ruhnk.

Vir. Intelligi debet Menelaus, cujus *justa* erant arma, quod res suas et uxorem venerat repetitum, nec reddita ipsi fuerat. Sax.

99. *Nec tibi* etc. Aliud nunc argumentum deserendi quantocius Helenam expromit a levitate ejus ingenii sumtum; non enim tutam esse ait in ejusmodi muliere fidem, quae desultorio quodam amore, mox huic, mox alii se mancipet; verendum quippe, ne simili impetu a Paride aufugiat, et ad alium se applicet, quo Menelaum fastidiens Paridem amaverit. Sax.

Lacaenam. V. Argum. §. 6. extr.

100. *Versa sit in amplexus*. In amplexus *ire* et *venire* frequenter occurrit apud Ovidium; *verti in amplexus* nullibi, quantum sciam, nisi hoc loco. Sax. *Vertere* generatim notat, *situm*, *statum*, *conditionem mutare*; hinc h. vs. conditione mutata, ex amplexu Menelai in Paridis amplexus ruere. Cf. Adn. ad vs. 99. h. Ep.

Ut minor Atrides temerati foedera lecti
Clamat, et externo laesus amore dolet:
Tu quoque clamabis, nulla reparabilis arte
Laesa pudicitia est: deperit illa semel.
Ardet amore tui: sic et Menelaon amavit;
Nunc jacet in vidua credulus ille toro.

101. *Minor Atrides.* Atrei filius, Menelaus, Agamemnone fratre minor natu. V. Dorn Seiffen Onom. Poët. in v.

Temerati. Adulterati, violati. Oud. *Temerare* primum est *aliquid temere moliri, agere.* Vid. Val. Flacc. L. I. vs. 627. Interpretes ad Sil. Ital. L. II. vs. 472. Broukh. ad Prop. L. II. El. 15. vs. 21. Deinde est *contaminare, stupro polluere, corrumpere.* Vid. Ovid. Am. L. I. El. 8. vs. 19. Ep. IX. vs. 49. Ruhnk.

102. *Clamat.* Cum τῷ *clamare* recte nectitur *dolet*, ut habeat vim inclamandi, h. e. in auxilium vocandi Deos foederis testes et vindices, quoniam in foedere testes Deos facere solemus. Sax.

Externo — amore, hominis peregrini. Quod invidiosius magis, quam si amaretur a populari suo. Cf. Ep. XVII. vs. 96. Oud.

103. *Nulla reparabilis arte laesa pudicitia est.* Ita solent de virtutibus et bonis moralibus scriptores. Mihi temperare non possum, quin adponam Horatii verba ex divina illa Ode, ubi Regulum inducit loquentem L. III. El. 5. vs. 25.

«Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? flagitio additis
Damnum: neque amissos colores
Lana refert medicata fuco;
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.»

104. *Deperit illa semel.* Rationem praecedentium reddunt; nam deperit etc.

105. *Ardet amore tui.* Prolepsis; hoc enim argumento usurum Paridem praevidebat Oenone, quod mox diluit.

Sed, inquies, Helena mei amore flagrat; adeoque similis nunc perfidiae metus in eam non cadet. Sax.

Sic et etc. Verum Menelaus idem hoc sibi persuaserat, et *tamen* deceptus est, poenasque suae credulitatis dedit. Sax.

106. *Nunc jacet in vidua* etc., ubi alteruter conjugum mas aut femina desideratur. Sax. Cf. Adn. ad vs. 81. Ep. I.

Jacet. Cf. Adn. ad vs. 3. Ep. I.

Felix Andromache, certo bene nupta marito!
Uxor ad exemplum fratris habenda fui.
Tu levior foliis, tunc cum, sine pondere succi
Mobilibus ventis arida facta, volant.
Et minus est in te, quam summa pondus arista,
Quae levis adsiduis solibus usta riget.
Hoc tua (nam recolo) quondam germana canebat,
Sic mihi diffusis vaticinata comis.

107. *Andromache*, filia Aetionis Thebes regis in Cilicia Trojana. V. Hom. Il. L. VI. vs. 395. sq.

Certo bene nupta marito, Hectori, constanti viro, nec mutabili amoris desultori. Oud. Ex pellicibus tamen liberos Hectorem suscepisse ex Euripide et Anaxicrate conjecit Parrhas. ad h. l.

Bene junge τῷ *certo*, ut sit *bene certo* sive *certissimo*. Vid. Tursell. Op. l. in v. *bene*.

108. *Ad exemplum fratris*, Hectoris. *Ad* valet *secundum*.

109—112. *Tu levior* etc. Elegans mobilitatis levitatisque imago ab aridis foliis, aristarumque cacuminibus mutuata, quibus ponderis nihil inest; nam folia succo et viriditate destituta vel tenuissimo spirantis auras afflatu a ramunculis suis divelluntur ac decidunt. Ita quoque summae aristae, ubi perpetuo solis aestu liquantur, exarescunt, atque ideo vel levissimo impulsu excutiantur. Sax. Hic locus male interpungitur, inquit Ruhnk. ad h. vs., nam *mobilibus ventis* non jungendum est cum *arida facta* sed cum *volant*.

110. *Volant*. Sive celeriter huc illuc feruntur folia. Omnia enim per aërem missa dicuntur *volare*, uti et qui rapido cursu agitantur. Oud.

112. *Adsiduis solibus usta*. Quantam solis vim indicant! *Soles* enim pluralitate maximam solis vim denotant, quae adsiduitate mirum quantum augetur, cujus rei consequens est, ut urat. Vid. Broukh. ad Tibull. L. I. El. 4. vs. 2.

Levis — riget. Naturam aristarum eleganter significant. Ex hoc loco, inquit Saxius V. Cl., simul discimus, verbum *rigere* non modo de *frigore* sed *nimio* etiam *calore* sumi posse.

113. *Hoc*. Hujus fortunae inclementiam. Sax.

(*Nam recolo*). In memoriam revoco, animo repeto. Heins. Jam divinationem Cassandrae, sororis Paridis, in medium profert Oenone, ostenditque vera esse omnia, quae fatidica illa mulier, aut arte, aut ra-

Quid facis, Oenone? quid arenae semina mandas? 115
Non profecturis litora bubus aras.
Graja juvenca venit, quae te, patriamque, domumque
Perdat: Io prohibe; Graja juvenca venit.

tione, aut usu vel conjectura praescripserat. Sax.

Cassandra ab Apolline ob formae praestantiam amata et vaticinandi artem docta est. Cum autem, quae pollicita erat, ei non praestaret, Apollo, ut ne ejus vaticiniis ulla fides haberetur, effecisse fertur. Dorn Seiffen Onom. Poët. in v.

Canebat. *Canere* hic expone *vaticinari* significatione notissima, quod carminibus plerumque uterentur vates in futuris praedicendis, quod ea majorem et quasi Numinis plenam admirationem excitarent.

114. *Diffusis vaticinata comis.* Quia ejusmodi homines praesagitionem quamdam extrinsecus injectam atque acrius exardentem furorem simulabant, quasi a corpore animus abstractus divino instinctu concitaretur; hinc species quoque illis Maenadum, Bacchantiumque tribuebatur, coma dissoluta et sparsa per humeros, caput frequenter jactatum, horrida facies, aliaeque id genus insanientis formae. Sax. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 77. sq. et 100. sq.

115—118. *Quid facis* etc. En ipsam vaticinationis Cassandrae formulam, quae obscuritatem et ambages oraculorum veterum eleganter imitatur, cujus vis haec est. «Quid audes, Oenone! cur Paridem amas irrito fructu et successu; nam veniet mox femina e Graecis, quae omnem tuam voluptatem intervertet, te patriamque pessumdabit. Utinam Dii Deaeque omnes hanc perduint! Dici enim non potest, quantam regionibus nostris calamitatem, quantam vastitatem solitudinemque adlatura sit. Increpandi formula est *quid facis?* ait Ruhnk. ad h. vs. laudatque Ovid. A. A. L. I. vs. 691.

115. *Quid arenae semina mandas?* Scienter usurpatur de vana spe atque re inutili, nihilque profutura. Sax.

116. *Litora bubus arare.* Inaniter laborare. Graeci *ἀχμάλου ἀροῦν.* Sax.

117. *Graja juvenca venit.* Per ambages vaticinium. Nam quod *juvenca* significet *adulteram*, quaeque sui copiam facit, affamiae sunt et merae nugae. Parrhas. Pro *affamiae* leg. *affaniae* pro *nugis* sive a *fanda* inclinatum nomen sit, sive derivatum ab *Aphannis* ignobili Siciliae oppido. Gesn. in v. *Affaniae.* Cf. Virg. Aen. L. VI. vs. 98. sq.

Venit positum pro *veniet.* Ita

Dum licet, obscoenam ponto, Di, mergite puppim.
Heu quantum Phrygii sanguinis illa vehit!
Dixerat. in cursu famulae rapuere furentem:
At mihi flaventes diriguere comae.

solebant vaticinantes. Burm., qui ita de futuris, velut praesentibus, loquebantur. Cf. Virg. Aen. L. VII. vs. 98. Tib. L. II. El. 5. vs. 52. Horat. L. I. Od. 15. vs. 9.

118. *Iō* pro heu! *ach*! nam *iō* non modo laetantis est particula, sed et exclamantis in tristibus, et praesertim furibundis ac bacchantibus convenit. Oud. qui laudat Heins. ad Ovid. Metam. L. III. vs. 713.

Iō prohibe. Non pertinent proprie haec verba ad ipsam divinationis sententiam, sed ex persona vatis interseruntur, quasi Deum Deamve imploret, cujus numine se percitam esse simulabat, ut haec pestis a finibus Trojanis depellatur. Sax.

Graja juvenca venit. Observandus est versus reciprocus, ubi primum hexametri hemistichium recurrit in fine pentametri. Tales versus aliis in l. l. apud Ovid. reperiuntur. v. g. Ep. X. vs 11. Am. L. I. Eleg. 9. init. Ruhnk.

119. *Dum licet.* Dum nondum appulit navis ad oras Trojanas, quae ideo *obscoena* dicitur, sive quod vehebat mulierem *pudoris expertem*, sive quod per se infaustissimi hominis (l. ominis. vid. Fest. de Verb. Sign. in v. *Oscum.*) esse credebatur. Sax.

120. *Heu* etc. Quantam sanguinis copiam navis, quae venit, advehit, qui quidem sanguis effundetur in terram Trojanam.

Quot, inquit Saxius V. Cl., quantasque causas illa affert, cur arma adversus Phrygios sive Trojanos moveantur, hostisque flamma, ferro, caede in nos grassetur.

121. *In cursu.* In ipso furoris cursu. Heins. Cf. Ep. VI. vs. 39. Am. L. I. El. 8. vs. 109. Cum Heinsio facit Ruhnk. ad h. vs. Non ad ipsum vaticinationis et furoris cursum sive tenorem, quemadmodum Heinsius censet, sed ad furentis habitum speciemque respici existimaverim; nam *currere* est lymphaticorum et insanientium, nec uno in loco consistere. Ut loci hic sit sensus: dum adhuc loqueretur curreretque veluti spiritu Divino, famulae eam prehenderunt, mandaruntque rursus custodiae. Sax.

Rapere vim ac celeritatem significare, notissimum est. *Rapuere*, quia Priamus imperaverat, ut, quoties Cassandra solveret os in oracula, to-

Ah nimium vates miserae mihi vera fuisti!
Possidet en saltus illa juvenca meos.
Sit facie quamvis insignis, adultera certe est.
Deseruit patrios, hospite capta, Deos.
Illam de patria Theseus, (nisi nomine fallor)
Nescio quis Theseus, abstulit ante sua.

ties eam famulae coërcerent marmorei thalami claustris, ut insanam. Pharrhas. Nempe quod Cassandra semper infausta praediceret, parentibus exosa in turrim lapideam conjecta fertur, ubi vitam degeret, et secum vaticinaretur. Canter. ad Lycophr. in Proleg. Adnot.

122. *At mihi* etc. Me contra (e contrario) tantus ex hac praedictione timor terrorque obcupavit ut *flaventes* (qui crinium color habebatur pulcerrimus) comae *dirigerent*, rigerent, erectae starent.

123. *Vera* pro *verax*. V. not. ad vs. 278. Ep. XVI. Graece ἀληθὴς Vid. Hemsterh. ad Timaei Lex. Plat. pag. 82. Edit. Ruhnk. qui h. l. ad h. Ovid. vs. laudavit.

124. *Possidet* etc. Cf. Adn. ad vs. 117. h. Ep.

Quoniam in Cassandrae divinationis formula *juvencae* fit mentio, ut traduceretur haec similitudo in rei praesentis imaginem aptius nullum Poëta vocabulum invenire poterat, quam *saltus*, in quibus proprie errant et pascuntur juvencae, saepe etiam a tauris expetuntur. Sax.

125. *Sit facie* etc. Avelli non potest Oenone a turpitudine morum Helenes describenda, ad quam iterum iterumque relabitur, ut, quantum fieri possit acerrime, Paridem a cupiditatis vitio revocet, ardentissimeque ad legem foederis servandam et ad suum arbitrium exhortetur. Ponamus, inquit, pulcherrimam esse, nullique forma cedere; res tamen ipsa loquitur, ingenio teterrimam videri, quod hospitem sanctissimis conjugii pactionibus antetulerit. Sax.

Quamvis. Quantumvis.

126. *Deseruit patrios, hospite capta, Deos*. Sibi invicem opponuntur *patrios Deos* et *hospite capta*. Quae antithesis etiam ad Helenae crimen augendum facit, hoc sensu: Quantumvis formosa sit Helena, certe adultera est et *patrios* Deos deseruit, *peregrinos* secuta propter amorem hospitis. Sic itaque duplex erit Helenae crimen, *adulterium*, et *patriorum* Deorum *desertio*.

127. *Illam* etc. Ut autem clarius appareat, Helenam diu jam ante pudoris signa reliquisse, memoriam raptus ejus a

A juvene et cupido credatur reddita virgo.
Unde hoc compererim tam bene, quaeris? amo. 130
Vim licet appelles, et culpam nomine veles:
Quae toties rapta est, praebuit ipsa rapi.

Theseo olim facti refricat, sed tanta arte et ingenio, ut imperitiam rerum Graecarum simulare puellarumque nihil saepe tenentium nisi domestica et quotidiana simplicitatem imitari videatur, cujus generis hoc est, quod in pervulgato Thesei nomine, quasi modo nascente et difficili, haesitat. Sax.

De patria — abstulit. Avulsam quasi a domo et finibus patriis aliorsum *abstulit*, abduxit; quod Theseus fecisse dicitur, cum Helenam, Perithoö adjutore, ex Oebalia Laconica in Atticam regionem Aphidnas sive Athenas deferret. Sax.

129. *A juvene et cupido* etc. A juvene eoque cupido. Pulcherrima, inquit Saxius, suspicio violatae ejus pudicitiae, non subtili longeque ex annalium memoria arcessita, sed populari, ut solent puellae, argumento comprobabat. Enim vero, credant, inquit, alii Helenam tum a Theseo integram et illibatam suis restitutam fuisse? Equidem vix mihi persuaserim, nihil florentem Thesei aetatem, nihil amoris libidinem in virgine tentasse. Si quaeris, unde haec tam bene noverim? Scias, velim, certissimum mihi quoque humanitatis sensum inesse, qui me fallere non potest. Sax.

Meo quidem judicio in Thesei aetatem non nimis anxie inquirendum, ut a multis factum video. Aetas enim florida suspicioni maxime augendae inservire poterat, praeterquam quod calculi error parvae attentioni, quam factis historicis feminae adhibere solent (quam in proxime praecedentibus ipsa Oenone fassa erat) in Oenone condonari et non male fingi posset.

131. *Vim licet appelles* etc. Hanc *rapinam*, inquit Oenone, tu interpretabere *vim*, eoque colore et titulo culpam ac crimen tuum purgabis ac teges. Sax.

132. *Quae toties rapta est.* Invidiose dixit, cum bis tantum fuerat rapta; primum a Theseo, dein a Paride. Hubert.

Praebuit ipsa rapi. Rapi ipsa voluit, se rapiendam dedit vel se rapiendam ultro obtulit et facultatem rapinae dedit. Sax.

Praebuit rapi. Ut, auctore Sanctio in Min. L. III. c. 6, Perizonius probet, infinitum etiam

At manet Oenone fallenti casta marito;
Et poteras falli legibus ipse tuis.
Me Satyri celeres (silvis ego tecta latebam)
Quaesierunt rapido, turba proterva, pede;
Cornigerumque caput pinu praecinctus acuta
Faunus, in immensis qua tumet Ida jugis.

pro accusativo poni solere, et hunc laudavit Ovidii versum in not. pag. m. 425.

133, 134. *At manet* etc. Longe alii contra, inquit, mores mei sunt. Vicem tibi reddere, similique injuria injuriam retundere potuissem alium quaerendo virum; casta tamen mansi, nec te, nec tuas *leges* sive exemplum imitata sum. Sax.

Fallenti casta. Haec adjectiva ita juxta se invicem eleganter a Poëta sunt posita, ut, quantum inter se differrent Paris et Oenone, dilucidius adpareret. Vid. Schrader ad Musaei vs. 82. Animadv. c. 10. pag. 205.

134. *Et poteras.* Elegans hic est usus τοῦ *et* pro *cum* vel *quamvis*, quod ideo additur, ut perfidia Paridis augeatur, virtus seu fides Oenones magis admirabilis reddatur, hunc in sensum: Maneo casta, *cum* vel *quamvis* nemini mirum videri possit, me ad exemplum, quod tu mihi ad imitandum proposuisti, et quasi legem praescripsisti, etiam perfidam fieri. Quam copulae *et* significationem etiam adnotavit Gesn. in Thes. in v. Citato Cic. de Senect. c. 9. « Quod (canorum in voce) equidem adhuc non amisi; *et* videtis annos."

135. *Me Satyri celeres* etc. Cum enim in silvis morarer, Satyros Faunosque, pudicitiae meae insidiatores et procos habui, quorum in me studia tantum abest, ut ambierim, ut potius accessus, intimas nemorum latebras quaerens, effugerim. Sax. Qui hic *celeres*, vocantur *leves* a Poëta in A. A. L. I. vs. 542. quoniam, ut ad h. vs. notat. Ruhnk., agili cursu per montes et rupes feruntur.

136. *Quaesierunt* penultima brevi. Quasi celeritatis Satyricae memor Ovidius *rapido — pede* verbum data opera corripuit. Sax. Cf. Heroid. Ep. VII. vs. 166, ad quem *tulerunt*, *dederunt*, *absciderunt* etc. penultima correpta dicta fuse monuit Heins.

Turba proterva. Cf. adn. ad Ep. I. vs. 88.

137. *Cornigerumque* etc. Vid. Dorn Seiffen Op. I.

Pinu praecinctus acuta. Fauni enim et Panes, sylvarum Dei et cornigeri, in tutela ha-

Me fide conspicuus Trojae munitor amavit.
Ille meae spolium virginitatis habet:
Id quoque luctando; rupi tamen ungue capillos,
Oraque sunt digitis aspera facta meis.
Nec pretium stupri gemmas aurumve poposci.
Turpiter ingenuum munera corpus emunt.
Ipse, ratus dignam, medicas mihi tradidit artes;
Admisitque meas ad sua dona manus.

bent pinum arborem. Pinea autem corona, inquit Ruhnk., semper a poëtis tribuitur Satyris. Vid Ovid. Metam. L. I. vs. 699. L. XIV. vs. 638.

Acuta dicitur pinus a forma foliorum. Oud.

138. *Qua tumet Ida.* Celsa atque ardua est. Vid. Lucan. L. III. vs. 11. *Tumidos montes* dixit Ovid. Am. L. II. El. 16. vs. 52. Et vox *tumulus* a *tumendo* nomen habet. Vid. Interpretes ad h. vs. Cl. Ernesti ad Taciti Ann. L. II. c. 23. Ruhnk.

139. *Me fide conspicuus.* Fidibus et cithara insignis. Sax. Quo praedicato a Neptuno, itidem Trojae munitore, distinguitur. Ciofan.

140—143. *Ille meae* etc. Non infitior, me quoque vim passam esse, succubuisseque Apollini stupratori, sed valde repugnantem, et quam maxime invitam: non enim id spolium habuit sine capillorum jactura et vultus laceratione. Sax. Cf. D. J. van Lennep in Animadv.

Spolium pp. quodcunque hostibus detrahitur; hinc spolium *pudoris* Ep. XVII. vs. 114. Pro *virginitate delibata* Ep. II. vs. 115.

141. *Id quoque. Quoque* ei vocabulo postponi debet, cui vis addenda est. Tursell. Op. l. in v. Intellige, *spolium habet.*

142. *Aspera facta.* Hiulca reddita, laniata, lacerata. Sax.

143, 144. *Nec pretium* etc. Etiamsi vero Apollinis amores defugere non potuerim, nullum tamen munus, nihil auri argentique, ut solent, quae in tabernis et cellis prostant, et quaestus causa corpus suum vulgant, pacta sum, qualis nundinatio ingenuas minime decet. Sax. *Pretium* hic est *merces.* Vid. ad Phaedri L. I. fab. 8. vs. 1. Heins. ad Ep. VI. vs. 146. Ruhnk.

144. *Munera corpus emunt.* Poëtica ratione, de qua saepius dictum est.

145—149. *Ipse* hic indicat *ultro*, Oenone haud poscente. Vid. Chr. Godofr. Schutzii Lexicon Ciceronianum in v. Vel sic tamen Apollo sua sponte me illustri aliquo beneficio dig-

Quaecumque herba potens ad opem, radixque medenti
Utilis in toto nascitur orbe, mea est.
Me miseram, quod amor non est medicabilis herbis!
Deficior prudens artis ab arte mea.
Ipse repertor opis vaccas pavisse Pheraeas
Fertur, et a nostro saucius igne fuit.

nam censens artis medicae scientia imbuit, adeo ut nulla sit in universo terrarum orbe sive herba sive frutex sive planta morborum senationi apta, quam ignorem.

Medicas tradidit artes sive medicinam. Vid. Interpretes ad Phaedri L. I. fab. 14. vs. 11. *Tradere* docentium est vel praecipientium. Sax.

146. *Admisitque meas ad sua dona manus.* Citharam intellige, quae ab Apolline inventa ejus propria dici potest. Musicam enim et Oenonen docuit Apollo. Vid. Schol. ad Lycophr. Alex. vs. 61. Herbas enim hic minus recte intelligi docet addita vox *manus*, qua citharam pulsamus et digitis. Saxius V. Cl. haec verba ita explicat: «admisit meas manus ideo, quod in exprimendis, coquendis, miscendisque herbarum succis, adeoque in agendo et curationibus morborum potius, quam in contemplatione, tota illa circumforaneae artis scientia tum versata esse videbatur."

Dona et munera dicuntur, quae Dii Deaeque invenisse et cum mortalibus veluti *dona* communicasse feruntur. Cf. Ovid. Metam. L. V. vs. 341. sq.

147. *Potens ad opem*, aegris scil. ferendam. Sax.

Medenti. Medico. Heins. Cf. Ovid. Ep. XXI. vs. 14.

148. *Mea est.* Mihi cognita, et meae arti subjecta. Hub.

149. *Me miseram* etc. Sed quid mihi nunc prodest tota illa herbarum scientia, quae amoris aegritudinem levare non potest; ab hac enim deseror, ab hac destituor, ab hac relinquor, neque majorem inde fructum capio, quam si ea penitus caruissem. Sax.

150. *Prudens artis*, peritus. Graeca constructio. V. Vechn. Op. l. L. I. §. 3. pag. m. 173. Ruhnk. V. Cl. ad h. vs. laudat Nepotem in Conone c. 1. et substantivum *prudentia* pro *peritia* obcurrere dicit apud Phaedr. L. I. fab. 14. vs. 11.

151. *Ipse repertor opis* etc. Sed quid ego vanitatem artis queror? ipse ejus auctor nullum inde amoris remedium capere potuit, nam Admeti, Pheraeorum regis, amore impulsus, servitutem serviit, me simili complexus est studio. Fabu-

Quod neque graminibus tellus foecunda creandis,
Nec Deus, auxilium tu mihi ferre potes.
Et potes, et merui. dignae miserere puellae.
Non ego cum Danaïs arma cruenta fero:
Sed tua sum, tecumque fui puerilibus annis:
Et tua, quod superest temporis, esse precor.

lam de Apollinis servitute ad suam argumenti rationem detorquet Oenone, etiamsi in causa definienda varient scriptores. Sax. Auctorum, qui de hac fabula diversa tradiderunt, catalogum contexat qui velit ex not. V. V. D. D. ad h. l. et Broukh. ad Tibull. L. II. El. 3. vs. 11.

152. *A nostro saucius igne fuit.* Ab eodem igne, quo etiam nos flagramus. Van Lennep. V. Cl. in Animadv. *Saucius ab igne* dicitur, ut *a quo tua saucia mater* Rem. Am. vs. 5. Ruhnk. Eodem itaque Cupidinis telo, quo nos, vulneratus. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 1. De vi praepositionis *a* legatur Sanct. Minerv. L. III. c. 4. pag. m. 401. et not. Periz. pag. 403.

155 — 157. *Quod neque* etc. Quia vero nec ab herbis nec ab arte medica quidquam est auxilii, a te peto; opem enim ferre *potes* laboranti et *debes*, quoniam de te bene merui, non a me tibi tuisque quidquam mali erit metuendum; non enim, ut Helena facit, ultrices flammas et arma adfero. Sax.

153. *Graminibus.* Herbis. Species enim genere continetur.

154. *Nec Deus*, supplendum *potest*. Saepe enim veteres, ubi *duae* diversae personae duplicem flectionem requirunt, brevitatis causa *unam* modo ponere solent. Phaedr. L. III. fab. 12. vs. 7. ubi post *prodesse* supplendum *possum*. Ruhnk.

Tu mihi ferre potes. Et potes. Elegantem hujus locutionis usum in precibus et obtestationibus observavit Burm. ad Lotich. L. II. El. 9. vs. 83.

155. *Dignae.* Cf. adn. ad vs. 8. h. Ep.

157. *Tua sum* etc. Cum hoc loco convenit Xenoph. Eph. qui hanc pronominis possessivi constructionem amavit L. III. c. 5. pag. Edit. Peerlk. 22. « οὐ γὰρ ποτε ἐκοῦσα ἀδικήσαιμί σε· ἐλεύσομαι, καὶ μέχρι θανάτου μείναιμι νύμφη σή » Quo in l. Pater meus P. M. Jac. Terpstra pro ἐλεύσομαι legendum judicavit ἀλλ' ἔσομαι commate post μείναιμι posito.

HYPSIPYLE IASONI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Hypsipyle, quae hanc epistolam scripsisse fingitur, postquam cum sociis ac Medea e Colchide in Thessaliam redierat, filia fuisse dicitur Thoantis, insulae Lemni regis, qui ex Baccho et Ariadne, Minois Cretae Regis filia, prognatus fertur. Hic vero, regnum et insulam relinquere coactus, a filia Hypsipyle clam in navem impositus in insulam Tauricam delatus erat.

§. 2. Causa autem, quae Hypsipylen movebat, ut patrem ex insula amandaret, haec fuisse narratur. Venus irata, vel quod annua sibi sacra facere mulieres in insula Lemno, Lemniades, neglexerant, vel, quod catenas, quibus ipsa cum Marte adultero aliquando tenebatur, in insula Lemno fabricatae erant, effecerat, ut tetro spiritu uxores maritos a sese abalienarent, qui, relicto legitimo toro, verterentur in amorem servarum, quas ex Thracia secum traduxerant.

§. 3. Quo facto uxores tantam in masculinum genus iram atque odium conceperunt, ut et patres et maritos de medio tollere statuerent. Pia vero Hypsipyle in inpias filias fuit splendide mendax. Nocte enim intempesta in silvas clam abduxit patrem, quem a se interfectum prae se ferebat, illumque pavehendum curavit. Postquam autem vi ac fraude mulierum omnes viri perierant, Hypsipylen in patris loco reginam creârunt sibi relictae feminae.

§. 4. Hypsipyle itaque regnum tenente, ad Lemnum navem Argo, ab Argo quodam, qui eam, Pallade adjutrice, aedificaverat, dictam, cum sociis adpulit Iason, cui ex Aesone, filio Crethei ac Tyrus Salmonei filiae, et Alcimede Clymenes filia natus inperaverat patruus Pelias, Iolci in Thessalia rex, ut aureum arietis vellus, regni Colchidis palladium, a Phrixo, ariete immolato, cujus ope, cum sorore Helle, Inus vel, Nephelés novercae insidias effugerat, Marti dicatum, auferret, atque Phrixi manes placaret, sperans, fore, ut in hac expeditione Iason periret.

§. 5. Nam Peliae oraculum praedixerat, ubi Neptuno, patri naturali, quamvis Crethei filius appellaretur, sacra faceret

si quis monocrepis, i. e. uno pede calceatus, supervenisset, tum mortem ejus adpropinquare. Quo cum venisset Iason monocrepis, Pelias oraculi memor illum, ut Colchidem peteret, jussit.

Qui factum sit, ut uno tantum pede calceatus ad Peliam adcederet, Hyginus fab. 13. ita narrat. « Juno cum ad flumen Anaurum in anum se convertisset, et staret, ad hominum mentes tentandas, ut se flumen Anaurum transferrent, et id nemo vellet, Iason, Aesonis et Alcimedes filius, eam transtulit. Ea autem irata Peliae, quod sibi sacrum intermiserat facere, effecit, ut Iason unam crepidam in limo relinqueret."

§. 6. Iason ergo, cum principibus Graeciae Heroïbus, quos expeditionis socios sibi elegerat, ad Lemnum adcessit atque ab Hypsipyle regina benigne hospitio exceptus est. Mutua vero benevolentia, in amorem brevi conversa, in causa fuit, quare per duos, et quod excurrit, annos in regia moraretur. Veneris praemia ex Iasone Hypsipyle tulit bina, Eunëum et Deipylum, quos tamen cum matre relinquere tandem ab Hercule coactus dicitur. Quo absente cum insulanae rescivissent a Regina in communi caede patrem fuisse servatum, eam interficere conatae sunt. At frustra; nam fuga sibi consuluerat. Ex hac autem fuga Hypsipylen praedones Thebas retraxerunt et regi Lyco in servitium vendiderunt.

§. 7. Sic tandem superatis Cyanëis petris, et mari Euxino permenso, in Colchidem pervenit Iason, ubi Aeëta, Solis filius, imperium administrabat. Qui cum ex oraculo didicisset, tam diu se regnaturum, quamdiu illud vellus, quod Phrixus adtulerat, in Martis esset templo, hanc, cum subterfugere non posset, Iasoni obtulit conditionem, ut, si inauratam pellem auferre vellet, tauros aeripedes (sunt Hygini verba) qui flammas naribus spirabant, jungeret adamanteo jugo, et araret, dentesque draconis ex galea sereret: ex quibus gens armatorum statim enasceretur, et se mutuo interficeret.

§. 8. Juno autem Iasonem ob id semper voluit servatum, quod se, ceteris nolentibus, flumen Anaurum transtulisset. Itaque cum sciret sine Medeae, regis Aeëtae filiae, famosae veneficae, consilio ac beneficio inperata perficere non posse, petit a Venere ut Medeae amorem injiceret, cujus opera factum est, ut omni eximeretur periculo. Medeae enim consilio in medios armatos viros, qui ex draconis dentibus provenerant, lapidem conjecit, quo facto, discordia mota, mutuis vulneribus omnes ceciderunt. Draconem vero, vel, ut Ovidius, Iason in-

terfecit, vel, secundum alios, Medea veneni ope sopivit, quam, ablato vellere, secum in Thessaliam duxit.

Argonautarum expeditionem cecinere Orpheus, Apollonius Rhodius, Valerius Flaccus. Prosa sive soluta oratione eam persecuti sunt Apollodorus L. I. Diodorus Siculus L. IV. Hyginus a cap. 12 — 22.

LITORA Thessaliae reduci tetigisse carina
Diceris, auratae vellere dives ovis.
Gratulor incolumi, quantum sinis. hoc tamen ipsum
Debueram scripto certior esse tuo.
Nam, ne pacta tibi praeter mea regna redires, 5
Cum cuperes, ventos non habuisse potes.

Vs. 1. *Litora Thessaliae*, Iolcon oppidum ad sinum Pagaseum, unde solverat navis Argo. Oud.

Tetigisse carina. Cf. Adn. ad vs. 63. Ep. V.

2. *Auratae.* V. Argum. §. 7, 8.

3. *Gratulor incolumi*, scil. tibi haec contigisse. Oud., sive salvum et incolumem te rediisse gratulor, tantumque laetor, *quantum sinis*, sive per te licebit. Sax. Cf. vs. 4. Ep. V. et Phaedrus Lib. IV. fab. 25. vs. 27. ab utroque laud. ad quem Phaedri vs. Burm. Vir Cl. haec commentatur. «In Epistola Caelii ad Cic. L. VIII. Ep. 13. Lambinus legit, *Gratulor tibi affinitatem*, quod rectum puto: nam si *tibi* addatur, non puto ablativo locum esse; sed gratulor absolute positum etiam notat *gaudere*, *laetam esse.*"

Quantum sinis. In quantum me vere et ex animi sententia reditu tuo gratulari et laetari pateris. Sax.

Hoc tamen ipsum. Graeco more accusativus ponitur intellecto *quod ad*, Graeco κατὰ, i. q. *de hoc ipso.* Vid. Vossius de constructione c. 13.

5, 6. *Nam ne* etc. Nam ventos non habuisti adeo adversos, ut et cogere potuerint, ut ad littora tam remota a meis regnis, quae tibi reverso promiseram (*pacta tibi*) appelleres, si tibi mens et animus fuisset ad nos redeundi.

5. *Praeter.* Juxta, prope, propter. V. Tursell. in v.

6. *Ventos habere* latine dici pro *ventos habere faventes* observat V. D. in Miscell. Obs. Vol. VI. tom. 3. pag. 412. Phrasis, inquit, *ventos habere*, ut puto, notanda, et quae suspicionem Belgicismi tollit. *Hu-*

Quamlibet adverso signetur epistola vento.
Hypsipyle missa digna salute fui.
Cur mihi fama prior, quam nuntia litera, venit,
Isse sacros Marti sub juga panda boves?
Seminibus jactis segetes adolesse virorum,
Inque necem dextra non eguisse tua?
Pervigilem spolium pecudis servasse draconem,
Rapta tamen forti vellera fulva manu?
Haec ego si possem timide credentibus, Ista
Ipse mihi scripsit, dicere, quanta forem!
Quid queror officium lenti cessasse mariti?
Obsequium, maneo si tua, grande tuli.

bere ventos autem Ovid. dixit pro *habere faventes*; sic Cic. *aliquem habere* dixit pro aliquem sibi addictum, amicum et faventem habere. Locus est in Orat. in Pisonem etc.

7, 8. *Quamlibet adverso* etc. Simus liberales, inquit Hyps, et largiamur, quod tamen credi non potest, ventorum fortuna absterritum te esse, quo minus ad me venires: epistola tamen salutatrix ventos non moratur; digna autem fuissem, cui epistolam scriberes, mihique ex formula salutem plurimam diceres.

9. *Cur mihi* etc. Quid est, quaeso, cur rumore citius quam literis tuis ad me perlatum sit etc. Sax.

10 — 14. Cf. Argum. §. 7, 8.

10. *Sub juga panda* sive late incurva *isse*, i. q. jugo subditos aratrum duxisse. Sax.

12. *Dextra non eguisse tua.* Cf. Argum. §. 8.

13. *Spolium pecudis.* Cf. Argum. §. 4.

Servasse, custodivisse.

14. *Rapta.* Cf. Argum. §. 8. *Vellera fulva*, aurea; nam auri fulvus color. Ruhnk.

15. *Ego, ista, ipse.* In pronominibus praecipuam inesse emphasin, me etiam non monente, intelligitur.

Timide credentibus, ita scilicet fidem rumori de rebus tuis praeclare gestis habentibus, ut tamen timerent, ne veri specie majora nunciata fuerint. Sax.

16. *Quanta forem.* Quam felix forem. Quanto honore, gloria, laetitia me efferrem, ac quantivis pretii mihi viderer, *si* etc. Oud.

17, 18. *Quid queror* etc. Propter quid, quare queror, quasi vero tanta res esset, te lentum fuisse in scribendo nec

Barbara narratur venisse venefica tecum,
In mihi promissi parte recepta tori.
Credula res amor est. utinam temeraria dicar
Criminibus falsis insimulasse virum!
Nuper ab Haemoniis hospes mihi Thessalus oris
Venerat; et tactum vix bene limen erat:

scribendi officium mihi praestitisse. Tum vero querendi locus fuisset, si mei omnino immemor factus esses. Tantum autem abest, ut querar, ut, tua si maneam, magnos obsequii mei fructus *tulisse*, adcepisse, mihi videar.

17. *Officium*. Definiente Gesn. in Thes. « quidquid faciendum est ex lege, de voluntate populi, amicitiae, honoris alicujus causa, id omne officium vocatur."

Cessasse. Intermissum esse, defuisse mihi officium viri in scribendo lenti.

18. *Obsequium* fit vel indulgendo alterius cupiditati, vel alicui injuriam facile condonando, vel cedendo aliquid de jure suo. Sax.

19. *Barbara*. Perpetuum fere apud Ovid. Medeae epitheton. Vid. Argum. §. 8. Medeam *barbaram* eamque *venefícam* venisse nunciatum erat, tum ab origine, cum ab artis professione infamem.

20. *In — parte recepta*, pro in partem, in societatem conjugii: quae ratio dicendi, etsi non inusitata poëtis et scriptoribus, altera tam ordinatio cum accusandi casu et praepositione, vel cum auferendi casu absque praepositione frequentius occurrit. Sax

21. *Credula*. etc. Cf. vs. 73. sq. Ep. I.

Temeraria. Sine ratione fingens. Hubert.

22. *Falsis*. Fictis, speciosis. Active et passive dicitur *falsus*. Cf. Ep. I. vs. 7. Adn. ad h. vs.

23. *Ab Haemoniis — cris*, i. e. Thessalia, ab Haemo monte vel ab Haemone, Deucalionis filio, sic cognominata. Sax.

Hospes. Cum nullae tum essent mansiones sive tabernae publicae, quas vulgus *deversoria* vocat, ipsa rei et humanitatis ratio postulabat, ut mutuis officiis et philoxenia alter alterum peregre advenientem domo sua reciperet, unde nata est sanctissima necessitudinis religio, quae non tantum spectabat ad illos particulatim, qui eam hospitii legem primi sanxerunt, sed etiam ad liberos posterosque eorum. Sax.

24. *Et tactum* etc. Habent haec verba magnam emphasin ad temporis punctum et celeri-

Aesonides, dixi, quid agit meus! ille pudore
Haesit, in opposita lumina fixus humo.
Protinus exsilui: tunicisque a pectore ruptis,
Vivit, an, exclamo, me quoque fata trahunt?

tatem dem[illegible]ndam. Quasi diceretur: protinus, simulac, vixdum domus meae limen tetigerat, necdum eam intraverat, rogavi jam etc. Oud.

Et magnam hic vim habet ad celeritatem indicandam. Sax. Cf. Virg. Aen. L. III. vs. 9.

. . . . . Vix prima inceperat aestas,
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat"

et Serv. ad h. vs.

25. *Aesonides.* V. Argum. §. 4.

Quid agit. Quo modo valet. Oud.

Meus. De hujus pronominis vi plus semel vidimus. Observandum vero inprimis est, quam eleganter et vehementer Oenone hujus facti accurata narratione suum in Iasonem amorem aperiat, quo futurum sperat, ut, si vivat, ad se retrahatur Iason.

Ille pudore haesit. Hospes tacuit, quia ipsum pudebat dicere, quae feceras.

26. *Haesit.* Dubius et incertus animi, quid ageret, obmutuit. Sax.

Oppositus. Adversa, ante oculos posita. Oud.

Lumina fixus. Graecismum nota. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. VIII. vs. 73.

27, 28. *Protinus exsilui* etc. Illico prae trepidatione metuebam, ne quid humani tibi acciderit, ideoque, sublata rursus voce, hospitem interrogo, vivas valeasne; cui desiderio cupide sciscitantis nisi extemplo satisfactum fuisset idonea responsione *vivit*; parum abfuit, quin violentas mihi inferrem manus, idemque fatum sequerer, quod te mihi eripuerat. Sax.

Exsilire pp. sumitur de laetitiae summa affectione, vel de quovis inopinato et celeri motu, tamquam fulminis Ovid. Metam. L. VI. vs. 696. Sax.

Tunicisque pro vestibus usus est Ovidius per speciem pro genere: vel *tunicas* dixit, quia gerebant duas, interiorem seu indusium, et exteriorem sive superum. De vestiaria re egit Oct. Ferrarius. Oud.

28. *Vivit, — fata trahunt?* Scil. in necem. An mors mihi fatis destinata adest? Quia tamen *trahi* dicitur de *invitis*, et alio sensu quam *mortis* hanc locutionem solet adhibere Ovid., ut videbimus ad vs. 51, male legere cum MSS. multis *vocant*,

Vivit, ait. timidumque mihi jurare coëgi.
Vix mihi, teste Deo, credita vita tua est.
Ut rediit animus, tua facta requirere coepi.
Narrat, aënipedes Martis arasse boves;
Vipereos dentes in humum pro semine jactos,
Et subito natos arma tulisse viros:
Terrigenas populos, civili Marte peremtos,
Implesse aetatis fata diurna suae.

Oud V. not. ad vs. 164. Ep. XIII. Oudendorpio adstipulatur Ruhnk. verba ita interpretans: «An mihi quoque mors jam instat" laudatque Ovid. Ep. VII. vs. 1. Sil. Ital. L. IV. vs. 510. Drakenb. ad Sil. Ital. L. X. vs. 112. et Interpretes ad Lucan. L. VII. vs. 185.

29. *Vivit, ait.* Adfirmat, te vivere.

Timidumque etc. Vel sic, quamvis adfirmasset.

Timidum — jurare coëgi. etc. Eumdem, inquit Sax., ad praestationem jurisjurandi, quoniam vultu suo subdubitare videbatur, adegi, qua sacramenti religione interposita necdum omnis scrupulus animo exemtus est. *Timidum* autem dici potest de eo, qui non plena satis fide testatur, et de eo, qui adsensum cohibet.

31. *Ut rediit animus.* Poëtice. Postquam ad me redii, et animum recepi, quo linquebar. Oud. Antea, inquit Saxius (inde a vs. 9. h. Ep.) in rebus ab Iasone gestis famam et rumorem secuta erat; nunc autem testis haud prolataria fide, ne quid verisimilitudinis desit, eas recenset: in qua narrationis iteratione admirari liceat ingenium Poëtae, eandem rem optabili varietate ornantis.

Rediit. Ultima syllaba h. l. propter caesuram producitur, ut multis aliis locis apud Ovid. Ruhnk.

Requirere. In h. v. diligentia et sedulitas sciscitandi inest. Sax.

32. *Aënipedes*, aereis pedibus.

33. *Pro semine*, loco seminis. V. Tursell. in v. *pro.*

34. *Arma tulisse*, pro intulisse. Ruhnk.

35. *Populos.* Quod ingens simul virorum armatorum cohors eminebat et surgebat. Sax. Multitudinem fratrum e terra natorum. Oud. Cf. Ovid. Metam. L. III. vs. 103.

Civili Marte. Bello civili. Cf. Argum. §. 7.

36. *Implesse.* Perduxisse vitam ad finem fato destinatum. *Implesse — fata diurna.* Inter-

Devicto serpente, iterum, si vivat Iäson,
Quaerimus. alternant spesque timorque fidem.
Singula dum narrat, studio cursuque loquendi,
Detegit ingenio vulnera facta suo.
Heu! ubi pacta fides? ubi connubialia jura?
Faxque sub arsuros dignior ire rogos?

prete Ruhnk., est, unum modo diem vixisse.

37. *Devicto serpente.* Cf. Argum. §. 8. et vs. 37. h. Ep.

Iterum — quaerimus. Nam res est solliciti plena timoris amor Ovid. Ep. I. vs. 12.

Si vivat. Si significatione τοῦ num, ut Graeci εἰ. V. ad Ep. V. vs. 93.

38. *Alternant* etc. Sive vicissim variant, et dubiam reddunt mentem, ut modo credam ea, quae narrat, modo non. Spes enim non est sine metu, nec metus sine spe, quorum alterum nunc majus, nunc minus, ut Ciofan. ad Ep. IX. vs. 42. Oud.

Nunc spes animum subit, nunc metus, quae variatis vicibus efficiunt, ut credam modo te vivere, modo te mortuum esse.

39. *Studio cursuque loquendi.* Impetu et cursu, sive impetuoso cursu narrationis. Solent enim, inquit Schraderus in Animadv. ad Musaei Her. et Leandr. vs. 175, voces et locutiones desumtas a cursu et via transferre ad orationem. Cf. Cic. de Orat. L. II. c. 10.

40. *Detegit* etc. Ingenio suo, h. e. ea, qua erat, animi simplicitate (Belgae « Met eene hem van natuur eigene rondheid, en opregtheid). *Detegit* (etiam) mihi. Id quod antea suspicabar tantum (cf. vs. 19. h. Ep.) extra omnem dubitationis aleam posuit, *vulnera mihi facta esse*, injuriam mihi factam esse, qua, ut corpus telis, sic animus laeditur ac vulneratur. Atque ideo, iq uit Burm. ad h. vs., quod hospiti perfidia tua excidit, majorem ipsi fidem habeo, quam si subornatus, et composita et meditata oratione mihi id exponere tentasset. Ruhnk. *ingenium* exponit naturalem sermonem, verba sponte nata: testemque vocat Petronium Satyricon c. 126, ubi *ingenium* opponitur *arti*. V. not. ad v. *ingenio suo flexi*, in qua non satis aptis exemplis vocis vim inlustrasse Burm. Ruhnkenio videtur.

41. *Heu! ubi pacta fides?* Interjectionem et interrogationem conjunctas vides, quibus singulis, nedum copulatis, ad animos movendos vis est quam maxima. Cf. Ep. II. vs. 34; Ep. IV. vs. 150.

Non ego sum furto tibi cognita. pronuba Juno
Adfuit, et sertis tempora vinctus Hymen.
At mihi nec Juno, nec Hymen, sed tristis Erinnys
Praetulit infaustas sanguinolenta faces.
Quid mihi cum Minyis? quid cum Tritonide pinu?
Quid tibi cum patria, navita Tiphy, mea?

De interjectionibus V. Voss. de Arte Grammatica L. VI. c. 28. Oper. tom. II. pag. 363.

De Interrogatione Longinus de Sublim. c. 17, 18. Scheller. Op. l. Part. II. c. 2. §. 9. De figuris sententiarum Quintilian. J. O. L. IV. c. 2.

42. *Faxque* connubialis, *dignior*, quae interfuisset funeribus, et rogis mortuorum, quam nuptiis, quia erat futura infelix. Hubert. Cf. Ep. II. vs. 120.

43—45. *Non ego sum furto tibi cognita.* Non furtivo et clandestino concubitu extra justum matrimonium rem mecum habuisti; sed legitimis tibi juncta fui nuptiis, testibus Junone et Hymene; quanquam eventus rei me docuit neutrum adfuisse. Et Graeci, observante Ruhnk., in venerea consuetudine honeste exprimenda utuntur verbo γνώσκειν.

Pronuba. Si quae feminae ad nuptias conciliandas adhibebantur, non *auspices* quidem, cum hoc sit muneris virilis, sed *pronubae* tantum dicebantur. V. supra cit. Hotmann. Observ. c. 3. extr. Cf. Ep. II. vs. 117.

Juno. De hac et Hymene vid. Onom. Poët. in v.

45. *Tristis Erinnys.* etc. Cf. Adn. ad vs. 120. Ep. II.

Tristis, sanguinolenta vs. 46. Quasi unum adjectivum non sufficiat ad tetram ejus imaginem reddendam. Sax.

47, 48. *Quid mihi* etc. Sane, inquit Oenone, si rem animo recte reputo, temeritatis me ipsa et stultitiae accuso. Quod enim mihi negotium cum Argonautis commune fuit, quid mea intererat navem Argo portu meo recipere, aut cur tu, Tiphy, navem huc appulisti, cum Colchidem peteres non Lemnum? Sax. Haec indignandi formula frequens est apud Ovid. Ep. XIV. vs. 65. Trist. L. III. El. 11. vs. 55.

Minyae Thessaliae sunt populi Iäsonem secuti, unde per Minyas intellige Argonautas. Varias de hujus nominis causa sententias recenset Meziriacus in not. ad h. vs. p. m. 56. Cf. Raoul Rochette l'histoire de l'établissement des Colonies Grecques tom. II. c. 10. pag. 51.

Tritonide pinu. Intellige navem Argo, quae *Tritonis* Graecorum more pro *Tritonia* dici-

Non erat hic aries villo spectabilis aureo:
Nec senis Aeëtae regia Lemnos erat.
Certa fui primo (sed me mala fata trahebant)
Hospita feminea pellere castra manu.
Lemniadesque viros, nimium quoque, vincere norunt.
Milite tam forti ripa tuenda fuit.

tur, cognomine a Pallade desumto, cujus consilio ab Argo haec navis fabricata fertur. Vid. Argum. §. 4. Hygin. fab. 14. Onom. Poëtic. in v. *Tritonis*.

48. *Tiphy*. De Argonautis convocatis agit Hygin. fab. 14. Per eminentiam, inquit Ruhnk., Tiphys *nauta* dicitur. V. Ovid. A. A. L. I. vs. 6. et Drakenb. ad Sil. Ital. L. IV. vs. 361.

49. *Non erat hic* etc. Prae summa indignatione nescit Hypsipyle, quocum rixetur. Ab Iasone enim iram verterat in rectorem navis Argo, quamobrem, inquiens, huc venisti? *Hic* enim, in mea certe urbe etc. Sax.

Aureo. Per synizesin duae posteriores syllabae contrahuntur in unam, ut *alveus*, *igneus*, *eburneus*. V. Vossius De Art. Gramm. L. II. c. 14. Ruhnk.

Spectabilis. Dignus, qui spectetur. Frequens haec vox apud Ovid. Rarior apud ceteros melioris aetatis poëtas. V. Burm. ad A. A. L. I. vs. 557. Ruhnk.

51. *Certa fui primo* etc. Sibi nunc ipsa irascitur Hypsipyle, quod, cum potuisset finibus suis arcere Iasonem, ejusque socios armis et virtute Lemniacarum mulierum freta, non prohibuisset, sed mutato consilio eum domo et thalamo recepisset; idque fatis imputat, quod in sententia non perstiterit. Sax.

Trahebant. Cf. Adn. ad vs. 28. h. Ep.

52. *Hospita — castra* etc. Peregrinam classem et advenam exercitum pellere apud animum constitueram.

Hospita — castra, i. e. hospitum. Hospites enim dicuntur, tam qui adveniunt, quam qui recipiunt peregrinos. Sax. *Castra*, ut observat Ruhnk., non modo de *terrestri*, sed etiam de *navali* exercitu dicitur. V. Propert. L. II. El. 7. vs. 20, ubi plura exempla habet Passeratius, ut mirum sit Drakenb. ad Sil. Ital. L. XVII. vs. 292. de hoc vocis significatu dubitasse.

53. *Nimium quoque*. Etiam sine modo ac ratione.

Quasi istud scelus popularium suarum reprehendat. Sax. Vid. Argum. §. 2, 3.

54. *Milite*. Notandum est, poni hanc vocem foeminino ge-

Urbe virum vidi, tectoque animoque recepi:
Hic tibi bisque aestas, bisque cucurrit hiems.
Tertia messis erat; cum tu, dare vela coactus,
Implesti lacrimis talia verba tuis:
Abstrahor, Hypsipylę: sed (dent modo fata recursus)
Vir tuus hinc abeo; vir tibi semper ero.

nere, ut in Ep. XI. vs. 48. Oud.

Ripa pro *litore* et contra saepe poni Heinsius ad h. vs. notavit. *Ripa* vero est fluminum; *litus*, maris.

Tuenda. De deponentibus Graeco more passive usurpatis V. Vechn. Hellenol. L. I. c. 9.

55. *Urbe virum vidi.* Simulac te contemplata sum, amavi et hospitio excepi, non ut hominem peregrinum, sed ut meum, quo quidem beneficio per biennium usus es. Sax. V. D. J. van Lennep in Animadv. ad h. vs. Cf. Ep. XII. vs. 33.

56. *Hic tibi bisque aestas, bisque cucurrit hiems.* Poëtice, i. e. rudi hominum aetati convenienter, duo anni sic definiuntur, et *currere* dicuntur aestas et hiems, quia ea aetate, quae homini propria erant, rebus tribuebantur.

Passim, inquit Oud. V. Cl., passim quidem *currere* dicitur tempus, quia celeriter praeterit. Sed hîc singularem gratiam hoc verbum habet, quod amantibus, quando una vivunt, tempus videtur avolare. V. Ep. I. vs. 8.

Ceterum Valerius Flaccus fingit Iasona Lemni modo mansisse per quatuor menses, quia scil. ille *bonum ducem* depinxit: Ovidius vero ex persona Hypsipyles *scitum amatorem*; unde etiam Apollonius Rhodius et Valerius Flaccus in ceteris quoque rebus variant. Oud. Cf. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

57. *Dare vela coactus.* V. Argum. §. 6.

58. *Implesti* etc. Mira videtur haec locutio, sed bene considerata summam habet elegantiam: non enim tantum significat «junxisti, vel lacrimas una cum voce misisti, aut lacrimis finivisti sermonem; sed id, quod deërat efficaciae verborum tuorum, supplevisti blanditiis lacrimarum, ut tanto fortius testareris tuum amorem. Patet id ex sequentibus." *Hactenus* etc. Lacrimae igitur fuerunt supplementa verborum. Uti in re militari passim de supplementis dicitur *implere copias.* Vel etiam *consummasti absolvisti* verba. Oud.

59. *Abstrahor.* V. Adn. ad vs. 28. et 57. h. Ep.

Quod tamen e nobis gravida celatur in alvo,
Vivat: et ejusdem simus uterque parens.
Hactenus: et, lacrimis in falsa fluentibus ora,
Cetera te memini non potuisse loqui.
Ultimus e sociis sacram conscendis in Argo.
Illa volat: ventus concava vela tenet.

(*Dent modo fata recursus.*) Animum itaque *redeundi* sibi esse, modo Dii ipsum periculis et certamine expediant, fatetur Iäson. Cf. Ovid. Metam. L. VI. vs. 450.

61, 62. *Quod — vivat.* Hoc verbo docet Hypsipyle, Iäsonem in arctissimi sui amoris signum, jussisse foetum, quo gravida erat, tolli (cf. adn. ad vs. 124. Ep. IV.) si nasceretur, et pro suo, ut legitimum et justo matrimonio natum, agnosci. Oud.

63. *Hactenus.* Cf. Adn. ad vs. 58. h. Ep.

Falsa. Fallacia. Cf. Adn. ad vs. 16. Ep. I.

Fluentibus. Largam lacrimarum effusionem verbum significare notissimum est.

64. *Cetera* etc. Abstulit dolor. Sax.

Memini — potuisse. Rectius in prosa τῷ *memini* jungas inperfectum. V. Schell. Praecept. Stil. b. Latini Part. I. c. 2. lit. e. et c. 8. nº. 2. 4. Utrum Perfectum an Inperfectum τῷ *memini* addas, non referre docet Voss. Gramm. L. VII. c. 52. cf. Sanctii Minerva L. I. c. 14. pag. m. 109. et Periz. in not. Vossio adsentitur Ruhnk. ad h. vs.

65. *Ultimus e sociis.* Primum contra Iäsonem navem conscendisse Apollonius Rhodius L. I. vs. 910. et Statius Theb. L. V. vs. 480. narrant. Observat vero ad h. vs. Burm., hos fortem potius ducem, quam doctum amatorem nobis Iäsonem exhibuisse, et praefert Nasonis artificium, qui amorem amatae quam diutissime adhaesisse fingit, ut omnem fraudis et perfidiae suspicionem ei eximeret.

Sacram. Cf. Argum. §. 4.

66. *Illa volat.* Uti Graecis sic et Latinis poëtis remi et vela navis dicuntur *alae* tanquam celeritatis causae. Hinc et h. l. *volare. Remigium alarum* dixit Virg. L. I. vs. 301. et L. VI. vs. 19.

Ventus — tenet etc. Ventus efficit, ut vela *concava*, turgida sint non tantum, sed et ut *numquam* tumere desinant, *semper* expandantur. Quae vis verbo *tenere*, meo quidem sensu, inest.

Caerula propulsae subducitur unda carinae:
Terra tibi, nobis adspiciuntur aquae.
In latus omne patens turris circumspicit undas.
Huc feror: et lacrimis osque sinusque madent.
Per lacrimas specto; cupidaeque faventia menti
Longius adsueto lumina nostra vident.
Adde preces castas, immixtaque vota timori,
Nunc quoque te salvo persolüenda mihi.

67. *Caerula* etc. Elegans imago navis velo et remis acriter (*propulsae* sive porro pulsae) impulsae. Sax. Navis pp. *propelli* dicitur *remis* et *vento*. Propert. L. III. El. 20. vs. 11. Lucan. L. IX. vs. 319. Ruhnk. V. in primis Burm. ad Propert. l. l.

Subducitur unda carinae. Quasi se subtrahit mare. Sax.

68. *Terra tibi* etc., sive a te. Habitus abeuntis et remanentis venuste describitur a contraria regione, qua alter alterum oculis mutuo prosecutus non ante remittit vultum, quam ubi nimia locorum sejunctio alteri alterius adspectum eripuit. Sax.

69. *Circumspicit*. Rei inanimatae sensus tribuitur. Cf. adn. ad vs. 56. h. Ep.

70. *Huc feror*. Ruo, celerrime me huc proripio. Oud. Quanta fieri poterat celeritate in turrim escendi, unde quam longissime in omnes maris partes prospectus dabatur. Sax.

Et pro *tum*. V. Tursell. Op. l. in v. *et*.

Lacrimis etc. Multae lacrimae non tantum faciem sed et vestis sinum vel pectus conspergunt.

71. *Per lacrimas* scil. medias. Dum lacrimor. V. Burm. ad Val. Flacc. L. I. vs. 767.

Cupidaeque faventia menti. Indulgentia animo, qui id valde cupiebat.

72. *Longius adsueto*, quam solebant, lumina sive oculi vident. Quia etiam vidisse adhuc se putabat, licet jam oculis erepta navis esset. Cf. Ovid. Ep. X. vs. 31. Ep. XIII. vs. 17. Oud.

73, 74. *Adde preces castas* etc. Preces quoque (ego casta) ad Deos fudi, et pro itu redituque tuo vota nuncupavi, quae, te *salvo*, reduce, solvenda mihi forent. Sax. Cf. Adn. ad vs. 85. Ep. I.

Persolüenda. Per diaeresin sive unius syllabae in duas distractionem. Sax.

Immixtaque vota timori. Itaque Hypsipylen infaustos eventus jam timuisse hinc conligas, uti patet ex vs. 79. sq. Immo ipse ille aquarum adspectus at-

Vota ego persolvam? votis Medea fruetur?
Cor dolet: atque ira mixtus abundat amor.
Dona feram templis, vivum quod läsona perdo?
Hostia pro damnis concidat icta meis?
Non equidem secura fui: semperque verebar,
Ne pater Argolica sumeret urbe nurum.
Argolidas timui: nocuit mihi barbara pellex.
Non exspectata vulnus ab hoste tuli.

que illae ipsae lacrimae ominosi quid habebant. Uti notavit Gronov. in Diatrib. ad Stat. Silv. c. 26, cujus verba leguntur in not. ad Tibull. L. I. El. 3. vs. 13. Ed. Broukh. pag. 57. Vota autem Diis nuncupasse veteres pro salvo eorum, quos caros habebant, reditu, notius est, quam ut pluribus probem.

75. *Vota ego persolvam?* Cf. vs. 59. sq. Ep. V. et Adn. ad h. vs.

Votis Medea fruetur. Cf. Argum. §. 8.

76. *Ira mixtus abundat amor*, h. e. vehementer doleo, et irascor. Sed amor tamen erga te meus his animi perturbationibus eminet. Quibus verbis indicat, se, quantumvis atroci injuria lacsam, non dum tamen fidem deserere. Sax.

Abundare de flumine alveum ac litora egrediente dicitur. Unde per Metaphoram fit, ut quamcunque copiam significet.

77. *Dona feram templis.* Cf. Adn. ad vs. 27. Ep. I.

78. *Hostia* etc. Egone sacra faciam immolando victimam, cum *nomine*, non *re* voti compos evaserim, et in ipso ejus reditu *damnum*, jacturam haud leve, passa sim. Sax.

Concidat icta. Stans feriebatur victima. V. Ovid. Fast. L. I. vs. 320. Consequens pro antecedente, *Adducatur*, *Obferatur.*

79. *Non equidem secura fui.* Cf. Adn. ad vs. 73. h. Ep.

Semperque verebar — tuli vs. 82. Interim non nego, natam subinde animo meo dubitationem fuisse de matrimonii tui fide, et semper veritam esse, ne Aëson pater tuus sanguinem et genus miscere velit cum Argivorum regum familia, utpote Graecorum omnium florentissima, potentissimaque: res tamen pejus evenit, atque timueram; nam pro Argolica muliere praeter spem et exspectationem barbara mihi vulnus et damnum intulit. Sax.

81. *Argolidas.* Cf. Adn. ad v. *Tritonide* vs. 47.

Barbara pellex. Barbara, eaque pellex. Cf. Adn. ad vs. 19. h. Ep.

Nec facie meritisve placet; sed carmine movit:
Diraque cantata pabula falce metit.
Illa reluctantem curru deducere Lunam
Nititur, et tenebris abdere Solis equos.
Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit:
Illa loco silvas, vivaque saxa movet.
Per tumulos errat passis discincta capillis,
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.

82. *Hoste.* Cf. Adn. ad vs. 54. h. Ep.

83. *Nec facie meritisve placet.* Hypsipyle nunc delabitur ad invidiam Medeae faciendam, pessimos ejus mores et veneficas artes latius describens ad vs. 97.

Sed carmine (te) *movit.* Non pulcritudinis forma, non virtute, non animi dotibus tuum erga se excitavit amorem Medea, sed incantationibus et veneficiis, nam etc. V. Sil. Ital. L. I. vs. 103. ibiq. not.

84. *Et* (praeterea) *dira cantata pabula falce metit. Dira pabula*, Dei ira natas, noxias, abominandas, venenatas herbas.

Cantata — falce metit. Incantata, ut majorem vim nocendi haberent herbae. *Falce metit* autem dixit Hypsipyle, quia secundum rationem magicam herbae aliae *vellebantur*, aliae *incidebantur*, prout volebant earum esse vim. Hubert.

85. *Illa reluctantem — nititur.* Ne dubites Ilson haec in te posse Medeam; majora valet. Etenim *Illa* etc.

Reluctantem elegantur Lunam dixit Ovidius, quod *invita* deduci credebatur, eoque ipso magicae artis efficacitas et vis augetur: hinc *labores* Solis et Lunae passim apud poëtas obvii, quos aeris tinnitu levari superstitiose crediderunt. Cf. Tibull. L. I. El. 2. vs. 43. sq. et Broukh. ad h. l. Hooft, van Velzen Bedr. III. Timon de Toveraar.

86. *Nititur.* Magna vi conatur, laborat.

Tenebris etc. Solis defectionem significat. Cf. Adn. ad vs. praec.

87. *Illa refrenat aquas.* Fluminibus quasi frenum injicit, ne tam cito currere pergant; fluminum cursus retardat.

Obliquaque flumina sistit. Stans Medea in ripa decurrentis fluminis vere dici poterat illud *ex obliquo* sive *obliquum sistere.* D. J. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

88. *Illa loco silvas; vivaque saxa movet. Viva* dicuntur saxa monte inhaerentia, quae dum inhaerent crescunt, atque ita *vivere* dicuntur.

Devovet absentes: simulacraque cerea figit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.
Et quae nescierim melius. male quaeritur herbis,
Moribus et forma conciliandus, amor.
Hanc potes amplecti? thalamoque relictus in uno
Impavidus somno, nocte silente, frui?

89. *Per tumulos* etc. Hoc denuo ex moribus disciplinae magicae; etenim veneficae capillis passis, vestaque soluta per sepulcra vagari solebant. Sax.

90. *Certaque* etc. Non enim *omnia* ossa magicis artibus utilia erant, sed praecipue calvae sive calvariae et unguium praesegmina. Ut ex Hubert. notavit. Burm. ad h. l.

91. *Devovet absentes.* Accedebat ad infamiam artis, devotio et corruptio juvenum, quos amabant veneficae. Sax.

Simulacraque cerea figit. — urget acus. Saeviebant nimirum stylis aeneis acubusve veneficae ac magae in simulacra ex cera formata ad similitudinem eorum, quos devovendos sibi proponebant, additis incantamentis. Nonnumquam et igni admovebant haec simulacra, sic, ut paulatim liquescerent. Verba sunt Heins. ad Ovid. Am. L. III. El. 7. vs. 29. ubi eadem fere, quae hic, leguntur. Hinc verbum *figere* ac *defigere* in re magica solenne est. V. Theocriti φαρμακευτρία Id. β. et Virg. Ecl. VIII.

93, 94. *Et quae nescierim melius. male* etc. Hypsipyles orationem abruptam quidem existimo, hunc in modum supplendam. « Et plura alia nefanda efficit, quae melius vel satius foret mihi, si nescirem; sic perperam Medeae veneficae quaeritur amor, quae puellis bene moratis atque ingenuis non herbis sed moribus et fama conciliatur.

Nescierim. Futuri significationem saepe perfecto subjunctivi admixtam esse docuit G. J. Vossius de Analogia L. III. c. 15. Op. tom. II.

Si vero quis quaerat, quare melius haec nescierit Hypsipyle, respondeo, ne his obfenderetur, quae Iasonis amorem magis indignum, magis invisum ac turpem reddebant.

95. *Hanc potes amplecti?* Quae cum ita sint, Medeaque omnes ejusmodi technas et machinationes in promptu habeat, potesne a te impetrare (tibi tanta fiducia est? Hubert.) ut ulnis talem circumdes. Sax.

Thalamoque relictus etc. Solus (tibi relictus) cum sola sine timore et sollicitudine in (eodem) lecto cubes, aut quo-

Scilicet ut tauros, ita te juga ferre coëgit:
Quaque feros angues, te quoque mulcet, ope.
Adde, quod adscribi factis procerumque tuisque
Se favet: et titulo conjugis uxor obest. 100

modo tibi persuaseris, te ullam e somno curis et vexationibus obnoxio voluptatem capturam esse? haec enim est vis verbi *frui*. Sax. Cf. D. J. van Lennep. in Animadv.

96. *Nocte silente*. Cf. Ep. XV. vs. 156. Trist. L. I. El. 3. vs. 27.

« Jamque quiescebant voces hominumque canumque.
Lunaque nocturnos alta regebat equos."

Cf. Nostrates Hooft. Granida D. III. Daïfilo

« De naare nacht verspreidt enz.

Poot. de Maen by Endymion. vs. 7.

97. *Scilicet ut tauros, ita te juga ferre coëgit*. Contentio taurorum et serpentis domiti cum Iisone sub jugum (amoris) misso, invidiae et acerbitatis plenissima. Sax. Cf. Argum. §. 7, 8.

98. *Quaque* etc. Eodem remedio, quo feritati taurorum serpentisque violentiae obviam ivit, tuum quoque animum emollivit, et in sua vota finxit. Per *opem* nude positam intelligi artis medicae auxilium supra ostendimus ad Ep. V. vs. 147. Sax.

Mulcere id. (fere) q. mitigare, placare, ex aspero mollem et lenem efficere. Sax. Pp. actum significat, quo quid molle redditur. Efficiens itaque pro effectu.

99, 100. *Adde, quod* etc. Neque id satis fuit, te pessimis ejus artibus captum, et in servitutem quasi abductum esse: nunc te laudibus tuis, principumque omnia discerpit. Quidquid in Colchide feliciter et prospere gestum erat, id totum suum esse ac proprium fatetur; nec tantum in istius societatem tituli et gloriae se offert, sed nihil tecum communicat, omne sibi vindicat, unde cupiditas et ambitio ejus satis superque elucet. Sax.

Adscribi — se favet. Cupit seu gaudet in partem laudis tuae venire. V. Serv. ad Virg. Georg. L. I. vs. 18. Rarior cum sit haec verbi significatio, malo cum Loers in d. spec. legere *se facit adscribi*, ut sit, ipso explicante, « ipsa crimen patrat, ut rerum a marito et proceribus gestarum partem sibi arroget." Crimen enim ei objicitur, ideoque studiose aliquid *agere* mali debet. hanc lect. firmat Bentl. ad Terent. Phorm.

Atque aliquis Peliae de partibus acta venenis
  Imputat, et populum, qui sibi credat, habet.
Non haec Aesonides, sed Phasias Aeëtine
  Aurea Phryxeae terga revellit ovis.
Non probat Alcimede mater tua; consule matrem:
  Non pater, a gelido cui venit axe nurus.

Prol. vs. 6. Forcell. Lex. in v. *facere* et suis adnot. in Plat. Menex. pag. 10.

Et titulo etc. Atque hoc ipso uxor obscurat facta, nocet, ac detrahit titulo ac gloriae conjugis sui.

101. *Atque aliquis Peliae de partibus*, i. e. factione. Aliquis eorum, qui a Peliae partibus stant, eique favent. Cf. Argum. §. 5.

Acta venenis imputat. Res gestas adscribit et acceptas refert veneficiis Medeae, non autem fortitudini tuae, ac contendit *Medeam* non *te* vellus aureum abstulisse. Oud.

103. *Aesonides.* V. Argum. §. 4.

Phasias Aeëtine. Cf. Argum. §. 8. Ita a Phaside, Colchorum fluvio, Medea dicitur, ut vs. 53. *Lemnias* ab insula Lemno.

Versus est spondiacus, quales in Elegiis quoque multos habet Ovid., sed non nisi in nominibus propriis, ut Ep. VIII. vs. 71. Ep. IX. vs. 133. Vel saltem nomine proprio praecedente Ep. XII. vs. 121. Oud.

104. *Aurea Phryxeae terga* etc. Cf. Argum. §. 4. et Dorn Seiffen Onom. Poëtic. in v. *Phrixus.*

Revellit. Detraxit de templi parietibus, quibus affixum erat vellus in anathema; refixit, abstraxit, atque huc revexit. Oud.

Perfectum esse *Revellit* monuit Heins., hanc in rem citans locum Grammatici Diomedis L. I. « Sunt quaedam verba, quae habent perfecta duplicia, ut *pango*, *pepigi* et *panxi*. *Pungo*, *pupugi*, *punxi*. *Vello*, *velli* et *vulsi*. Sed melius *velli*. Ut Virg. Georg. I. « Cineres manesque revelli." Id. « ima de stirpe revelli." Cf. Vossius de Art. Gramm. L. V. c. 28. extr.

105. *Non probat Alcimede mater tua.* Ut sententiae suae pondus addat Hypsipyle, invidiamque rumorum popularium augeat, testes vocat Iasonis parentes. Sax. Cf. Argum. §. 4. Eadem ferme, inquit Sax., suadendi arte utitur Hypsipyle, qua Oenone ad Paridem Ep. V. vs. 93. sq.

106. *A gelido cui venit axe nurus*, Medea ex ea mundi plaga, quae vergit ad septentrionem, ideoque *gelida*.

Verbum *venit* mihi friget.

Illa sibi Tanaï, Scythiaeque paludibus udae
Quaerat, et a patria Phasidos usque, virum.
Mobilis Aesonide, vernaque incertior aura,
Cur tua pollicito pondere verba carent? 110
Vir meus hinc ieras: vir non meus inde redisti.
Sim reducis conjux, sicut euntis eram.

Quid enim est « Pater tuus, Aeson, improbat hoc, cui nurus a gelido axe venit." Mallem, Ovidius verbum usurpasset patris dolorem vel fastidium exprimens.

107. *Illa sibi Tanaï* etc. Oblique hac parentum vel aliorum quorumcunque orationem ad invidiae amplificationem valde idoneam inducit Poëta, qua significatur, non fuisse, quare barbara nuptias hominis Graeci ambierit: suis eam moribus et ingenio melius consulturam fuisse, si sui similem e remotissimis Scythiae finibus maritum legisset. Sax.

Tanais, fluvius Scythiae, qui Europam ab Asia dividit. Hubert.

Scythiaeque paludibus udae. Puto intellexisse Maeōtidem paludem, in quam et aliae aquae multae Scythiae et ipse Tanaïs influit. Hubert. Heins. alii.

Mihi vero non sine causa plurali numero usus videtur Ovidius, ut plures in interiore Scythia sitas paludes significet; id quod epitheton *udae* mihi quidem indicare videtur. Quo ipso invidiae et contemtus significatio clarius adparet.

108. *A patria Phasidos*, fonte, origine fluvii. Heins.

Usque extremum locum, terminum significat, *a quo*. V. Tursell. Op. l. in v. *usque*.

109. *Mobilis Aesonide* etc. Orationem nunc ad ipsum Iasonem, a quo digressa erat, rursus vertit Hypsipyle, sibique ab illo verba esse data, graviter, suavissima tamen dictionis simplicitate, queritur. Ejus quippe mobilitatem, et inconstantiam cum aura contendit verna, quoniam, qui vere spirant venti, omnium solent esse levissimi et in quascunque coeli oras versatiles. Sax.

110. *Cur* etc. Cf. Ep. V. vs. 109. sq.

Pollicito pondere. De Deponentibus passive usurpatis lege Vechn. Hellenol. L. I. c. 9.

111. *Vir meus* etc. Cf. vs. 60. h. Ep.

113. *Si te nobilitas* etc. Mos est Poëtae, ut, si supplices fingat Heroïdas Heroasque, multa de generis sui nobilitate commemorantes inducat, quod ad miserationem fortunae haud mediocrem vim habet. Sic Phae-

Si te nobilitas, generosaque nomina tangunt:
En ego Minoïs nata Thoante feror.
Bacchus avus: Bacchi conjux redimita corona
Praeradiat stellis signa minora suis.
Dos tibi Lemnos erit, terra ingeniosa colenti:
Me quoque res tales inter habere potes.
Nunc etiam peperi. gratare ambobus, Iäson.
Dulce mihi gravidae fecerat auctor onus.

dra Hippolytum precatur Ep. IV. vs. 153. recensens simul majorum suorum nomina et titulos a vs. 157.

Similiter Oenone Ep. V. vs. 10. comp. vs. 85. Sax.

Generosaque nomina. Nobilitatis indices et stemmata majorum. Sax.

Tangunt. Ad amorem commovent vel adliciunt, amorem excitant.

114. *En ego* etc. Hic est *jactantis* Hypsipyles, et *demonstrantis* aliquid tanquam in sublimi positum; aut *excitantis*: h. m. « Si generis nobilitas te ad amorem perducere possit; age, excitetur amor tuus erga me, filiam regis Thoantis, qui Minoëm Cretensium regem avum jactat, ex Liberi patris, Ariadnes, Minoe natae, conjugio progenitus. Hinc additur Thoanti epitheton *Minoïs*. Cf. Argum. §. 1.

Feror. Vid. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

115. *Bacchi conjux redimita corona.* Ariadne, quae a Theseo (in insula Naxo) deserta Bacchi amores et honorem coronae, inter sidera relatae meruit. Sax. Vid. Onom. Poët. in v. *Ariadne*. Cf. Ep. II. vs. 79.

116. *Praeradiat* etc. Vincit splendore et radiis suis minora sidera, emicatque inter minores stellas. Sax.

117. *Ingeniosa colenti.* Terra, quae ingenio suo et natura ferax est, et facile producens omnia semina, quae cultor sive colonus ei mandat. Oud. Cf. Ovid. Fast. L. IV. vs. 684. Ciof.

118. *Res tales inter. Tales* equidem referrem ad praecedens *ingeniosa* hoc sensu: me quoque inter fertiles habere potes; *nunc etiam peperi.*

Talis crebro emphaticé sumi probat Oud. Terent. Eunucho Act. I. sc. 2. vs. 81. Cic. ad Fam. L. III. Ep. 13. L. XVI. Ep. 21.

119. *Gratare. Gratari* est gratulari, gaudere aliquo modo. V. Ovid. Ep. XI. vs. 65. Liv. L. IX. c. 43. et Drakenb. §. 17. Ruhnk.

120. *Dulce* etc. Non molestum, quia si uxor amat mari-

Felix in numero quoque sum: prolemque gemellam
Pignora Lucina bina favente dedi.
Si quaeris, cui sint similes; cognosceris illis:
Fallere non norunt; cetera patris habent.
Legatis quos pene dedi pro matre ferendos:
Sed tenuit coepta saeva noverca vias.
Medeam timui: plus est Medea noverca.
Medeae faciunt ad scelus omne manus.
Spargere quae fratris potuit laniata per agros
Corpora, pignoribus parceret illa meis?

tum, licet grave sit ferre partum in utero, tamen fert libenter propter maritum cui videt esse gratum. Hubert.

121. *Felix in numero.* Observandus est praepositionis pleonasmus rarior apud optimos scriptores. Cf. Ep. XVII. vs. 50. Trist. L. V. El. 5. vs. 21. Oud.

Prolemque gemellam. V. Argum. §. 6.

122. *Pignora.* Liberos, qui amoris conjugalis indices et sponsores esse solent. Sax.

Lucina. Diana. V. Onom. Poët. in v. Lucina.

123. *Cognosceris illis.* Ita te referunt, ut ex eorum vultu tuus possit cognosci, certo indicio, eos ex te esse conceptos. Oud.

124. *Fallere* etc. Tibi sunt similes, tui non item.

125, 126. *Legatis* etc. Pene dedi illos comites legatis, quos tibi misi pro me (*matre*) deprecatum, ut non solum legati illi, sed et hi sua praesentia te magis commoverent. Oud. Cf. van Lennep in Animadv. *Ferendos.* Pedibus enim ingredi ipsi parvuli non poterant. Oud.

126. *Tenuit.* Retinuit V. not. ad vs. 14. Ep. II.

127. *Medeam.* Cf. vs. 19. h. Ep. et Adn. ad vs. 85. Ep. I.

Plus — noverca. Crudelior crudeli, nam cum omnis noverca sit crudelis, ipsa est plus, quam noverca. Hubert.

128. *Medeae faciunt.* Aptae sunt omni sceleri efficiendo. Oud.

129, 130. *Spargere*, tanquam semina. Argumentum a majore ad minus. Si, inquit, tam fuit crudelis, quod (ut) potuerit interficere *fratrem* suum, numquid parceret filiis meis? q. d. minime. Nam, cum fugeret cum Iasone, ut patrem insequentem retardaret, fratris sui Absyrti membra dilaceravit et variis locis sparsit, ut pater,

Hanc tamen, o demens, Colchisque ablate venenis,
Diceris Hypsipyles praeposuisse toro.
Turpiter illa virum cognovit adultera virgo:
Me tibi, teque mihi taeda pudica dedit.

occupatus in eis colligendis desisteret ab insecutione. Is locus postea *Tomos* i. e. *incisio* dictus est. Hubert.

Laniata. Crudelitatem Medeae participium notat, cum fratrem non solum vita privaverit, sed, ut pecudem lanius solet, dissecuerit.

131. *Hanc.* Cum contemtu dictum est. Cf. Terent. Andr. Act. I. sc. 1. vs. 119.

Colchisque ablate venenis. In diversum a pristina sententia et amore deducte, alienate. Burm.

Mentis parum compos propter venena. V. Gronov. ad Liv. L. XXXV. c. 11. nº. 10. *Auferri*, inquit Ruhnk., eleganter dicuntur, qui vel animi commotionibus vel quacunque ratione transversi rapiuntur. V. Ovid. Rem. Am. vs. 343. Cic. ad Div. L. II. Ep. 7. Seneca de Clementia L. I. c. 6. Sil. Ital. L. VI. vs. 257. Drakenb. ad h. vs. Schütz in Lex. Cic. in v.

Colchis pro *Colchicis* Graeca imitatione, ut docet Vechn. Op. c. L. I. c. 8.

132. *Diceris Hypsipyles* etc. Tarde, quae credita laedunt, credimus, Ep. II. vs. 9. ad Demophoönta scripsit Phyllis. Hypsipyle eandem ob causam de Iasonis in Medeam amore dubitanter loquitur *diceris*, rumor est, Te eo dementiae processisse, ut, quae fratris membra spargere auderet, eam uxorem malles, quam Hypsipylem, me, piam filiam (cf. Argum. §. 3.) et castam, simplicemque conjugem. Propriis nominibus in utramque partem, cum ad laudem tum ad dedecus, magnam esse vim, plus semel vidimus. Cf. vs. 127. et Adn. ad h. vs.

133, 137. *Turpiter* etc. En contrariam imaginem utriusque feminae paucis verbis, sed pulcerrima contentionis varietate depictam. Ubi enim Ovidius Medeae impudicitiam reprehendit, Hypsipylen a virtute et castitate laudat; ubi illius proditionem exsecratur, hujus pietatem commendat; ubi illam turpiter deseruisse patriam suam, hanc tueri et servare non sine eximia honestatis laude scribit. Sax.

Virum cognovit. Maritum. *Cognoscere* quid sit, ex adverbio *turpiter* intelligere licet, neque tantum de viris hoc dicitur, sed et de feminis. V. H. Grotius in Adnot. ad Matthaei cap. I. §. 25.

Adultera virgo. *Virgo* ad

Prodidit illa patrem: rapui de caede Thoanta.
Deseruit Colchos: me mea Lemnos habet.
Quid refert, scelerata piam si vincit, et ipso
Crimine dotata est, emeruitque virum?
Lemniadum facinus culpo, non miror, Iäson.
Quaelibet iratis ipse dat arma dolor.

aetatem referas, ut sit Juvenis adultera. Cf. Adn. ad vs. 131. in v. *Colchisque.*

134. *Taeda pudica.* Cf. Adn. ad vs. 120. Ep. II. Legitimum significari matrimonium adparet.

135. *Prodidit illa patrem.* Cf. Argum. §. 4, 7.

Rapui de caede Thoanta. Cf. Argum. §. 2, 3. *Rapere* celeritatis notionem habere in propatulo est.

136. *Deseruit Colchos.* Cf. Argum. §. 8. Inpudica itaque est, meretrix. Cf. Terent. Andr. Act. I. sc. 1. vs. 119. et Act. III. sc. 1. vs. 11.

Peregrinos generatim, ut apud veteres rudes populos, ita apud recentiores male audire videre est ex Iselin, Geschiedenis der Menschheid B. III. Hoofd. 7. bl. 216.

137. *Quid refert* etc. Quid haec differentia mihi prodest. Cui bono haec inter me et illam intersunt. Oud.

Scelerata piam si vincit. Quandoquidem illa plus potest sceleris infamia, quam ego honestatis sensu. Sax.

138. *Ipso crimine dotata est.* Crimen ejus tantum ipsi valet, quantum alii optima dos. Sax.

Emeruit pro *demeruit*, seu crimine suo quasi beneficio obligavit et prometuit. Oud.

139. *Lemniadum facinus culpo.* Cf. Argum. §. 2, 3. Fortasse, inquit Hypsipyle, exstiterit aliquis iniquior, qui tibi persuaserit, Iäson! non esse, quare me ab omni crimine immunem, alienam jactem; Caedem (enim) virorum cruentam in insula mea perpetratam satis obscurare et convellere meam virtutis laudem: verum tamen aliarum mulierum culpam quis meam facere ausit? Equidem *non miror*, non cum admiratione et voluptate virtutem illarum laudo ac probo, contemno potius. Interim quis est tam sapiens, ut in atroci injuria sibi ab ira, vi et armis temperet? Cf. Adn. ad vs. 77. Ep. II.

140. *Quaelibet iratis* etc. Cf. Argum. §. 2. Notat *quaelibet* quantumvis impia, scelerata. J. D. van Lennep in Animadv. ad h. vs. Quam lectionem et Cod. Trev. habet not. Loers in spec. l.

Dic age, si ventis (ut oportuit) actus iniquis
Intrasses portus, tuque comesque, meos;
Obviaque exissem, foetu comitata gemello:
(Hiscere nempe tibi terra roganda foret.)
Quo vultu natos, quo me, scelerate, videres? 145
Perfidiae pretio, qua nece, dignus eras?
Ipse quidem per me tutus sospesque fuisses:
Non quia tu dignus, sed quia mitis ego.
Pellicis ipsa meos implessem sanguine vultus,
Quosque veneficiis abstulit illa suis. 150

Ipse dat arma dolor. Ultro nobis obsert dolor ex indignatione, atque injuria ortus.

141. *Dic age.* Eleganter et verbum et particula simul adhibetur cum in provocatione, tum in objurgatione. V. Burm. ad Ep. XVI. vs. 341. Sax. Praecipuus vero, inquit Burm. ad h. l., ejus usus est in provocatione quasi, ut probaret, et exemplis affirmaret aliquid ille, cum quo agimus.

Si ventis etc. Compulsus ventis adversis in reditu tuo appulisses in Lemnum, *ut oportuit*, debuisses: creber autem et in bonam partem et in tempestate est usus verbi *agor*. Cf. Ovid. Metam. L. IV. vs. 620. et L. VIII. vs. 4. Oud.

143. *Foetu comitata gemello.* Cf. Argum. §. 6.

144. *Hiscere* etc. Non dubito, quin ad meum geminorumque liberorum ex te procreatorum conspectum facinoris et perfidiae tuae conscientia motus terrae hiatum precaturus fuisses, quo tibi protinus absorberi liceret. Sax. V. Adn. ad Ep. III. vs. 63.

Hiscere roganda foret, i. e. ut hisceret. De hac Infinitivorum constructione vid. Sanctii Minerv. L. III. c. 6. nº. 4. et Periz. ad h. l.

146. *Perfidiae pretio* etc. Qua poëna tui sceleris simili (atrocissima) adficiendus fuisses?

Pretium autem et *dignus* vocabula sunt ambiguae significationis, quae in utramque partem, cum bonam, tum malam, verti et trahi possunt. Sax.

147, 148. *Ipse quidem per me* etc. Quantum vero ad me attinet, equidem te non laesissem, non, quod non meruisses poenam, sed quod inhumanitatem tuam imitari noluerim. Sax.

149, 150. *Pellicis* contemtim pro *Medeae*. Quasi dicat, inquit

Medeae Medea forem. quod si quid ab alto
Justus ades votis, Juppiter, ipse meis:
Quod gemit Hypsipyle, lecti quoque subnuba nostri
Moereat, et leges sanciat ipsa suas;

Saxius V. Cl., te quidem vivere jussissem, sed pellicem obtruncassem, ejusque cruore non meum solum modo sed tuum etiam vultum, quem a me suis illa technis et incantationibus averterat, respersissem, atque eadem crudelitate, qua in me saeviit, in ipsam usa fuissem; hunc enim sensum habent verba *Medeae Medea forem* vs. 151. ad quae verba ita commentatus est Oud. « Crudelitate Medeae in ipsam uterer. Quam saeva illa in alias est, tam saeva forem in ipsam. Eleganter autem nomen proprium vel ipse homo ponitur pro adfectibus ejus. Cf. Ep. X. vs. 110. Ep. XX. vs. 219. et Adn. ad vs. 84. Ep. I.

150. *Abstulit.* Veneficiorum vim verbum aperit. V. Adn. ad vs. 131. h. Ep.

151. *Quod si quid* etc. Si tamen preces et vota mea exaudit (pro sua justitia) Jupiter, spero, fore, ut Medea eadem fortunae inclementia prematur, iisdemque cruciatibus afficiatur, quibus illa me affecit, atque sic earum legum, quas in me libidinose et crudeliter tulit, sanctionibus obnoxium caput suum habeat. Sax.

Quid. Quare Oudendorpius, Heinsius, Saxius. Ruhnk. V. V. Cl. τὸ *quid* eleganter abundare dicant, equidem non intelligo. Mihi quidem non redundare videtur, sed significare, *aliquatenus, ex parte quantumvis exigua.* Loers d. spec. vs. 151. extr., commate post *alto* posito, explicat solemni breviloquentia. « Quod si quid ab *alto* i. e. coelo justus adesse soles." *Quid* pro qua in re.

152. *Justus ades votis, Juppiter, ipse meis. Ipse* cum vi. Loers. Idem ergo *ipse* valet quod *praesens, omnibus, quibus vales, viribus. Justus ades.* Faveas, Tu, qui merentes adjuves. V. Horat. L. III. Od. 14. vs. 6. et Bentl. ad h. vs.

153. *Subnuba* Medea rariori, eleganti tamen, adpellatione vocatur, quae *clam* et *furtim* Iasoni in legitimae uxoris locum nupserat. Haec enim praepositionis *sub* in compositione saepe vis est.

154. *Sanciat.* Proprie legis sanctio vocatur illud caput, quo poena statuitur in ejus violatorem. Hinc *sancire leges suas* significat eadem poena, quam quis aliis praescribit, affici, sive puniri suis legibus. Oud.

Utque ego destituor conjux, materque duorum,
A totidem natis orba sit, aque viro.
Nec male parta diu teneat; pejusque relinquat:
Exsulet; et toto quaerat in orbe fugam.
Quam fratri germana fuit, miseroque parenti
Filia: tam natis, tam sit acerba viro.
Cum mare, cum terras consumserit, aëra tentet.
Erret inops, exspes, caede cruenta sua.

155. *Utque ego destituor.* Relinquor ab illis, a quibus auxilium certo speraveram.

156. *A totidem natis orba.* Rarissimo dicendi usu pro *natis orba.* Id, quod evenit. V. Hygin. fab. 25.

157. *Male parta diu teneat.* Malis artibus quaesita diu servet, fruatur. Nec male partis diu fruatur, sed pejus relinquat, i. e. deteriori conditione majorique dedecore inde expellatur, quam qua infamia istud bonorum genus invaserat. Sax. Cf. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

Altera imprecatio, inquit Sanius, diuturnitatem bonorum et fortunae tam pessimis artibus corciliatae aufert, exsiliique funestissimi miserias inducit, neque hac sine fabularis memoriae testimonio; nam primo e patria aufugerat, dein Corinthum abiit, tum Corintho profugiens Athenas se contulit, atque Athenis tandem relictis Colchos rediisse dicitur. Hygin. fab. 25, 26.

158. *Exsulet; et* etc. Medeae totus orbis nimis sit angustus; ubique vexetur; nullibi secum sit, ac frustra aliquod in terrarum ambitu desideret, *quaerat* effugium; locum, ubi tuto commoretur, non inveniat.

159. *Quam fratri germana fuit.* Cf. Adn. ad vs. 129, 130. h. Ep.

Miseroque parenti filia. V. Argum. §. 7, 8.

160. *Acerba.* Aspera, crudelis. Metaphora haec ab immaturis et crudis fructibus desumta est, qui valetudini nocent. Sax.

Tertia haec est, inde a vs. 159, imprecationis formula, qua vovet Hypsipyle, ut eodem modo grassetur in filios et maritum, quo pacto acerba fratri Absyrto, patrique Aeëtae fuit, cui vaticinationi respondisse eventum apparet ex Hygin. l. cit. Sax.

161. *Cum mare, cum terras consumserit, aëra tentet.* Tertiae imprecationis tristissima quasi effectio. Sax. Cum maria ac terras peragrando cum

Haec ego conjugio fraudata Thoantias oro:
Vivite devoto, nuptaque, virque, toro.

sumserit, i. e. frustra operam et tempus perdiderit; aëris faciat periculum, ut ita inveniat, quod mare et terrae ipsi negaverunt. Quod forte respicit ad currum draconibus tractum, cujus ope per aëra Medëa volabat. V. Ovid. Metam. L. VII. vs. 218. sq. Sed maxime haec pertinere videntur ad fugam post necatos filios. V. L. l. vs. 394. sq. Melius porro cuncta cohaererent, si hoc distichon post. vs. 158 legeretur.

162. *Erret inops, exspes.* Nullum, ubi consistat, locum inveniat, omni ope ac spe destituta; cui ergo undique certum inminet exitium.

Caede cruenta sua. Filiorum ex Iasone natorum. Sax.

163. *Haec ego conjugio* etc. Tandem rationis quadam conclusione, ut rata haec sua vota Jupiter habere ne gravetur, rogat. Cum enim praeter jus fasque connubium ejus cum Iasone disturbatum sit, ut perpetua devotione luctuosa vicissim et exsecrabilis sit haec nova amborum consuetudo, precatur. Sax.

Fraudata Thoantias. Thoantis filia. *Fraudamur* autem, inquit Saxius. V. Cl., re aliqua, cum aliquod nobis bonum, per cuniculos veluti, invitis et imprudentibus intercipitur.

Devoto — toro, id. e. ac perpetuo infausto, sacro. Sax.

EPISTOLA VII.

DIDO AENEAE.

ARGUMENTUM.

§. 1. Dido, quae hanc epistolam scripsisse fingitur, cum Aeneas in eo esset, ut et ipsam et Carthaginem classe relinqueret, Beli, Phoeniciae regis, qui Cyprum vastavit (Virg. Aen. L. I. vs. 625.) filia, nupta fuisse dicitur Sichaeo (Justinus L.

XVIII. c. 4. *Acerbam* vocat) avunculo, et Herculis Sacerdoti, cui honos a rege secundus erat, quem Didus frater, Pygmalion, illius opibus inhians interfecit.

§. 2. Prae tanti sceleris aversatione Tyrum relinquens Dido profugit in Africam, hac arte secundum Justinum L. VIII. c. 4. usa. Fingit se ad Pygmalionem migrare velle, ne amplius ei mariti domus, cupidae oblivionis (cum oblivisci cuperet) gravem luctus imaginem renovet, neque ultra amara admonitio oculis ejus obcurrat. Non invitus Pygmalion verba sororis audivit, existimans cum ea et aurum mariti ad se venturum. Sed Elissa ministros migrationis a rege missos navibus cum omnibus opibus suis prima vespera inponit, provectaque in altum compellit eos onera arenae, pro pecunia involucris involuta, in mare dejicere.

§. 3. Jam ipsos ministros adgreditur, «sibi quidem, ait, optatam olim mortem; sed illis acerbos cruciatus et dira supplicia imminere, qui Sichaei opes, quarum spe parricidium rex fecerit, avaritiae tyranni subtraxerint." Hoc metu omnibus injecto, comites fugae adcipit. Quorum numerum auxerunt, dum in insula Cypro classis moraretur, Jovis Sacerdos cum conjuge et liberis, et octoginta virgines, ut Veneri litarent, in litore versantes, quas raptas Elissa navibus inpositas secum abduxit.

§. 4. Tandem ad Africae litus classem adpulit, et Carthaginem, emto ab incolis non sine fraude loco, anno post Trojae excidium circiter 299. condidit. Qua urbe nondum perfecta tempestate in Africae ora delatus Aeneas fingitur, quem adeo Virgilius et eum secutus Ovidius falso Elissae aequalem fecerunt. Falsa et sunt, quae de ejus inpudicitia fabulantur, cum inprimis pudica fuerit, uti ex Justin. L. XVIII. c. 6. videre licet. Quod quare fingere potuerit Virgilius, nos docet Voss. Instit. Poët. L. III. c. 5. §. 11. «Nimirum, inquit, non poterant ista hominum memoria refelli, si quidem, si historiam sequimur, jam Dido Maronem antecesserat octonis amplius annis: sin fabulam Maronianam, etiam plus undenis; cum Troja sit capta annis amplius quadringentis ante conditam Romam, ut Eratostheni ostensum, et Orat. Instit. L. I. c. 6. sect. 8. expositum nobis."

§. 5. Aeneam ex Anchise, Capyos ex Themide filio, et Venere Dea natum perhibent, qui, cum Graeci dolo captam Trojam incendio vastarent, per medios evasit ignes, patrem humeris et filium Ascanium ex Creusa, Priami regis filia, ipsi natum, manu abducens, patriosque secum portans penates; quos

cum in luto conlocasset, frustra, ut Creusam uxorem quaereret, in urbem rediit. Liberum autem cum suis abitum Aeneae concessisse videntur Graeci, quod nullo non tempore ut Helena, in Trojae perniciem a Paride rapta, a Menelão marito et a Graecis primo legatis, dein armis repetita, marito legitimo redderetur, Trojanos adhortatus erat.

§. 6. Graecorum itaque beneficio Troja solvit Aeneas, et post septem annorum errorem, in Sicilia patre mortuo, ad Libyam sive Africam adcessisse a Virgilio narratur, multis et sociorum et navium tempestatis vi amissis; reliquis adflictis, et quassatis, ut ipse cum suis, nisi Elissa benigno eos hospitio recepisset, cultu ac victu juvisset, periisset certissime.

Statim ab adventu epulis excipit futuri ignara Elissa hospitem, a quo, ipsa rogante, Trojanorum fata ac labores cognovit. Sed ea oris dignitate erat Aeneas, ea in narrando viri gravitas, ea et patri et Diis penatibus praestita pietas, ea animi magnitudo, et constantia, is Trojanae gentis honos, ut, dum ab hospitis narrantis ore penderet, primo admiratio, mox amor in hospitae pectore ita glisceret, ut, nocte insequente, placidam membris cura negaret quietem.

§. 7. Neque hic substitit Elissae furor. Caecum in pectore vulnus unanimae aperit sorori, quae tantum abest, ut illi medeatur, ut alimenta quasi praebeat. Quo factum, ut, pudoris et dignitatis repagulis tandem perfractis, omnia adhiberet, quibus ipsi conciliari posse Aeneae animum arbitraretur.

Junonis dein et Veneris adcedunt artes, quibus, in venatione tempestate exorta, in unum antrum compulsi sunt et Aeneas et Elissa, unde non rediit virgo. Interea, cum Aeneas magno in Reginam amore retentus tempus consumeret, quod in sequenda, quae ipsum fugere videbatur; Italia ponendum esset, a Jove missus Carthaginem devolavit Mercurius, ut Patris mandata, quibus Aeneas abire jubebatur, perferret.

§. 8. Aeneas Jovis quam Elissae voluntatem pluris aestimans, atque a patre Anchise per somnium admonitus, Africae litus clam relinquere conabatur. At (quis amantem, etiam tuta timentem fallat?) Regina dolos praesentit, et futuros prima intellexit motus; quam ob rem indignatione, ira et furore ita correpta est, ut, exprobrata gravissimis verbis Aeneae perfidia, rejectis cum indignatione excusationis a Trojano Duce adlatis causis, adfectibus subcumbens animi deliquium pateretur.

§. 9. Pius scilicet Aeneas, cum frustra Elissam consolari conatus esset, Jovis jussa exsequitur, et proficisci parat. An-

na a sorore compulsa plus semel in ipso abitu Aeneam cum lacrimis petit, orat, obtestatur, ne sororem desperantem relinquat. At, quamvis antea tractabilis Aeneas fuisset, nunc Jovis mandatis obediens nullis movetur precibus, remos et vela expediri jubet.

Elissa ergo mentis inops mortem orat. Fraude sororem circumvenit, pyram in domo interiore sub Dio erigit, quasi sacrificiis in ea peragendis omni cura ac sollicitudine liberaretur. Credidit Annae simplicitas. Super toro itaque pyrae inposito Aeneae vestes ensemque, non hos quaesitum in usus, et ceream effigiem locat, ac, delegata Nutrice, inprecationibus in Aeneam fusis, in Dardanium incubuit ensem. Post interitum, inquit Serv. ad Virg. Aen. L. I. vs. 340., Elissa a Poenis *Dido* appellata, i. e. *Virago*, Punica lingua, quod, cum a suis civibus cogeretur cuidam de Afris regibus nubere, et prioris mariti amore (secundae enim nuptiae tum temporis minus honestae habebantur) teneretur, forti se animo et interfecerit, et in pyram injecerit, quam se ad expiandos prioris mariti manes exstruxisse fingebat.

De vita et rebus gestis Didonis et Aeneae legatur inprimis Meziriacus in comment. ad h. Epist.

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis,
Ad vada Maeandri concinit albus olor.

Vs. 1. *Sic, ubi* etc. Uti cygni in herbosis Maeandri fluminis ripis projecti, vitae fine adpropinquante, flebiliter canere dicuntur; sic ego adflicta in ipso mortis articulo, quando fata sua quasi voce me arcessunt, flebiles edo sonos. Cf. vs. 9. Ep. XIII. et not. ad h. vs. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XI. vs. 440.

Sic etc. Incipit Dido ex abrupto, et per ellipsin, prae conturbati mortique destinati animi affectu. Oud.

Udis — in herbis. Quas adluit Maeander, Lydiae flumen, in cujus ripa vicinisque tractibus multos degere cygnos adparet ex Hom. Il. L. II. vs. 459.

2. *Abjectus — concinit.* Aegrotus, debili corpore et negligenter composito, jacens. Oud.

« Carmina jam moriens canit exsequialia Cygnus." Ovid. Metam. L. XIV. vs. 430. V. Plato in Phaedone Oper. tom. I. pag. 539. extr. Ed. Astii. Phaed. Wyttenb. pag. 46. et Adn. Fischeri ad Plat. Phaed. §. 35. no. 23. ibique laud. Cic. Tusc. Quaest. L. I. c. 30.

Nec, quia te nostra sperem prece posse moveri,
Adloquor: adverso movimus ista Deo.
Sed merita et famam, corpusque animumque pudicum
Cum male perdiderim, perdere verba leve est.
Certus es ire tamen, miseramque relinquere Dido:
Atque idem venti vela fidemque ferent.
Certus es, Aenea, cum foedere solvere naves:
Quaeque ubi sint nescis, Itala regna sequi.

3, 4. *Nec* etc. Ne vero credas me hanc epistolam ea spe atque exspectatione ad Te dedisse, ut a me supplice flecteris; quod quo minus fiat, Deus mihi iratus atque infestus inpedit, quo mihi inimico ista efficere coepimus, i. e. *movimus*. *Movere* enim pp. significat, facere, ut aliquid locum et situm mutet; hinc ad animum translatum verbum notat *animi sensa mutare*, *animum ex duro mitem reddere*.

5, 6. *Sed merita* etc. At, quidni tentem? Perversa enim agendi ratione, *male*, cum et *merita*, beneficia tibi ingrato praestiterim, et aestimationem et corporis animique integritatem perdiderim: facile profecto est *verba perdere*, i. e., explicante Oud., *frustra adhibere et impendere*. Cf. Ovid. Ep. II. vs. 29. sq. et vs. 60. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 321. sq.

7. *Certus es ire tamen* etc. Quamvis, quae habebam carissima, et optima, tibi praestiterim, et, tibi ut gratificarer, amiserim; tamen in consilio perstas abeundi, et relinquendi Didonem (quod ipsum nomen dissuadere tibi abitum debebat) quae tua causâ misera facta est.

Certus ire. Graece. V. Vechn. Hellenol. L. I. c. 21.

Dido. Accusativus, Graeco more. Cf. Ep. XII. vs. 9. Ep. VI. vs. 69. Oud.

8. *Atque idem*, iidem, *venti* etc. Et venti alis quasi suis e conspectu meo auferent navem, et fidem tuam in aëre huc illuc ferent, facient, ut dispergatur, et inrita fiat. Cf. Adn. ad Ep. II. vs. 25. Ep. I. vs. 79.

9. *Cum foedere solvere naves*. Efficax dictum, inquit Oud.; nam duo sensus latent in uno verbo. *Solvere* enim *foedus* est frangere et rumpere fidem. *Solvere naves* terram relinquere, abire ad navigandum, quod et simpliciter *solvere* dicunt.

10. *Quaeque ubi* etc. Et sequi Italiam te quasi fugientem, quae, quo in orbe posita sit, ipse ignoras, ut umbram captare videaris.

Nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt
Moenia: nec sceptro tradita summa tuo.
Facta fugis; facienda petis. quaerenda per orbem
Altera, quaesita est altera terra tibi.

Itala regna sequi. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 361, 381. conl. vs. 311. sq.

Sequi, avide et cum summo studio petere, contendere. Oud. Oritur verbum *sequor*, secundum Voss. in Etymologico L. L. in v., a Graeco ἕπομαι quod, interpretante J. D. a Lennep in Etymologico L. Gr., pp. notat *memet adjungo vel memet secundum aliquem agito.* Hinc Perizonius ad Sanctii Minerv. L. II. c. 2. pag. m. 279. idem arbitratur, quod *jungor alicui pone tergum.*

11. *Nec nova Carthago* etc. Vide, inquit Dido, quam parum ipse tibi constes; sequeris regna Itala, quae, quo posita loco sint, nescis, et *novam*, recens exstructam, nondum perfectam, sed crescentem adhuc Carthaginem, tuo imperio subjectam, omnino non curas? Nova Carthago tantum in animo tuo sui amorem non excitat, ut eam perpetuo libenter incolas? Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 347. Ejusd. L. vs. 74, 75.

Crescentia. Surgentia. V. Virg. L. I. vs. 86. In altum quotidie magis magisque erecta. Oud.

Dices, inquit Ciofanus, moenia esse animata? sed scite. Aristoteles enim L. III. Rhetoricorum inter eas figuras, quibus oratio illustratur, ponit eam, ut rebus sensu carentibus detur sensus.

12. *Sceptro tradita summa tuo.* Rarior est locutio pro summo imperio, regno, summa rerum, vel summa re. Nihilominus *summa* simpliciter pro imperii summa et principatu occurrit. V. Sanctii Minerva L. IV. c. 4. in v. *ratio* vel *res* et Auct. ibi cit. Oud. *Tradita*, ut nullam omnino partem mihi, Reginae, retinerem. *Sceptrum* signum pro re signata, *potestate*, poni, luce clarius est.

13. *Facta fugis* ect. Si itaque nec beneficiorum a me in te profectorum magnitudo, nec novae urbis imperii dignitas apud animum tuum quidquam possit; *utilitas* valeat, quam sperare ea, qua tu agis, ratione nullo pacto potes. Fugis, quasi inimicam, *urbem factam*; persequeris, studiose sequeris terram, in qua, si cognoveris, ubi sit, urbs exstruenda a te erit.

Quaerenda per orbem altera etc. Totum, qua late patet, orbem pererrare debes, ut *altera* terra, quam tu mihi di-

Ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam? 15
Quis sua non notis arva tenenda dabit?
Alter habendus amor tibi restat, et altera Dido:
Quamque iterum fallas, altera danda fides.
Quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem,
Et videas populos altus ab arce tuos? 20

xisti Italiam, aliquo in angulo inveniatur; cum *alteram*, Carthaginem, quam non tantum invenisti, sed cujus imperium tibi tradidi, teneas.

15, 16. *Terram invenias* etc. Ponamus vero, te terram, quam sequeris, deprehendisse, atque ita locum invenisse, ubi urbem condere posses, an credis, ejus terrae incolas loco cessuros, ubi tu urbem exstruas, exstructamque cum imperio possideas? Nonne verosimilius est, illos te hospitem a terra vel rejecturos esse vel etiam interfecturos?

15. *Tradet*. V. Adn. ad vs. 12. h. Ep.

Habendam. Cum imperio possidendam, et, ut sequitur, *tenendam*, quae duo passim occurrunt de regum imperio. Oud. V. Sall. in Jug. c. 3. et Cort. ad h. l.

16. *Non notis*, ignotis, peregrinis, hospitibus. Cf. Adn. ad vs. 52. Ep. VI.

17. *Alter habendus amor* etc. Nihil ergo aliud tibi restat, quam ut alteram amicam, eamque *Didonem*, i. e. quae te, ut ego, amet, tibi quaeras, qualem vix invenias. *Amor* pro amante est plane poëticum. Oud. Abstractum pro concreto. *Et* declarantis est, id. q. *et quidem*. V. Tursell. Op. l. in v.

Dido. Cf. Adn. ad vs. 149. Ep. VI.

18. *Quamque iterum fallas, altera danda fides*. Indignabunda, suam Aenëae exprobrans perfidiam, addit « Easdem artes tibi adhibendae erunt, ut alterius illius Didonis benevolentiam atque amorem tibi concilies, mutuumque promittas, quo facto, promissum iterum non praestes, fidem datam fallas.

19, 20. *Quando erit* etc. Nunquam tibi adeo felici esse licebit, ut urbem statuas meae huic Carthagini similem, et ab arce summa frequentem adeo civitatem adspicias, quam tuam, tibi subditam, jactare queas.

19. *Quando erit*, intellige *tempus*. V. Sanct. Minerv. L. IV. c. 4. in v. *tempus*.

20. *Populos*. Ut civium frequentiam indicet, plurali numero usus mihi videtur Ovid.

Altus, vel in alto loco conlocatus, vel conspicuus,

Omnia ut eveniant, nec Di tua vota morentur:
Unde tibi, quae te sic amet, uxor erit?
Uror, ut inducto ceratae sulfure taedae:
Ut pia fumosis addita tura focis.
Aeneas oculis semper vigilantis inhaeret:
Aenean animo noxque diesque refert.
Ille quidem male gratus, et ad mea munera surdus;
Et quo, si non sim stulta, carere velim:
Non tamen Aeneam, quamvis male cogitat, odi;
Sed queror infidum, questaque pejus amo.

21, 22. *Omnia ut eveniant* etc. Ponamus autem tibi omnia ex voto subcedere, et Deos benignas tuis votis praebuisse aures, ut omnium votorum statim reus fias, dic, age, quo ex loco habebis uxorem, quae te eodem, quo ego, amore complectatur? q. d. Talem, quamvis anquiras, invenias neminem.

21. *Morari aliquem* significat impedire, detinere, retardare in cursu. Oud. Vid. van Lennep Animadv. ad h. vs.

23. *Uror, ut* etc. Ut intelligas, quam vehementer ego te amaverim, id scias velim, mei *etiam nunc*, cum abire et fidem frangere certus es, in te amoris tantam esse vim, quantam verbis exprimere nequeam. Comparatione itaque utens tibi adfirmo, me uri, *ut* etc. Cf. Ep. IV. vs. 19.

Ut inducto ceratae sulfure taedae, sive faces ceratis funibus contextae, quibus ad majorem ignem faciendum sulfur est inductum sive superlitum. Oud.

24. *Ut pia — tura*. Utpote Diis ex pietate oblata, ut fumum et odorem gratum Diis facerent. Oud. Cf. Adn. ad vs. 85. Ep. I.

Addita. Inposita, data. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. III. vs. 350.

25. *Aeneas* etc. Aeneae imago.

Inhaeret. Nota tertiam personam, qua utitur Dido. *Inhaeret*, indesinenter obversatur. Cf. Adn. ad vs. 72. Ep. II. Virg. Aen. L. IV. vs. 4.

26. *Aenean* etc. Nox et dies, per prosopopoiiam, ferunt et referunt Aenean in animum, i. e., ut explicat Oud., sistunt Aeneae imaginem et repraesentant menti meae, illius memoriam ingerunt.

27 — 30. *Ille quidem* etc. Quis sanus neget illum Aeneam ingrato in me esse animo,

Parce Venus nurui, durumque amplectere fratrem,
Frater Amor: castris militet ille tuis;
Aut, ego quem coepi (neque enim dedignor) amare,
Materiam curae praebeat ille meae.

et mihi tot ac tanta beneficia obferenti aures non praebere; talem adeo, ut, si sana mente sim, quam longissime a me abesse velim: tamen, licet *perfidiam* odio habeam, *Aeneam* odisse nequeo; ita fit, ut de ejus perfidia quidem querar, ipsius personam vero dein vehementius etiam amem.

27. *Male gratus.* Ingratum expone. *Male* pro *non* ut saepius alibi. V. Ovid. Am. L. II. El. 18. vs. 23. « Male gratus Ilson."

Ad — munera surdus. Inmotus et lentus, licet ei tot munera praestiterim. Oud. Inexorabilis, qui nullis muneribus flecti potest. Ovid. Metam. L. XIII. vs. 804. Drakenb.

29. *Quamvis male cogitat.* Subjunctivo licet alias jungatur *quamvis*, cum Indicativo jungere amat Ovid. Ep. XVIII. vs. 63. Ep. XVIII. vs. 49, uti observavit Burm. Cf. Sanctii Minerv. L. III. c. 14. nº. 3. et Periz. in not.

Male cogitat. Prava consilia agitat. Tursell. Op. l. in v. *male.* Drakenb. interpretatur « mala cogitat, dolos meditatur, rationem quaerit me deserendi."

30. *Pejus amo.* Cf. Adn. ad vs. 26. Ep. IV.

31 — 34. *Parce* etc. Ad Venerem et Amorem sive Cupidinem conversa oratione, priorem, matrem, cujus in potestate Amor est, rogat Dido ne patiatur, se, cum Aeneae filii uxor sit, mariti perfidia ac duritia diutius premi; posteriorem a quo, fratre, quippe cum Aenea ex Cupidine nato, auxilium jure exspectat, petit, ut suo amplexu ac contactu amoris in fratris animo ardorem excitet, quo omne frigus ac durities inde pellatur, aut ut ille frater, Aeneas, cujus amoris ipsam profecto non pudet, *praebeat* tanquam *materiam curae* i. e. duritie posita, patiatur tantum se ab illa amari. Vid. D. J. van Lennep in Animadv. ad vs. 33. Cf. Adn. ad vs. 86. Ep. IV.

Parce — nurui. In substantivo latet ratio, quare Veneris benevolentiam et poscere et exspectare audeat Dido, uti vs. seq. in v. *Frater.* V. Argum. §. 5.

32. *Castris* etc. « Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido." Ovid. Am. L. I. El. 9. vs. 1. sq.

34. *Curae — meae.* Amori. Virg. Aen. L. IV. vs. 5. Indicat

Fallor: et ista mihi falso jactatur imago.
Matris ab ingenio dissidet ille suae.
Te lapis, et montes, innataque rupibus altis
Robora, te saevae progenuere ferae;
Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis:
Quod tamen adversis fluctibus ire paras.

ergo Dido se vs. 31, 32. nimium petiisse exigendo, ut ipse Aeneas amaret, quod hoc versu emendans addit « patiatur se tantum amari." Drakenb.

35, 36. *Fallor* etc. Frustra mihi vicissim me amantem aut ex duro lenem factum Aeneam ob oculos pono, et *imago*, sive falsa cogitatio de amaturo Aenea iterum iterumque animum subit; nam tantum abest, ut Matris Veneris similis sit, ut diversam omnino naturam habeat. Venus nempe mollis est et placabilis; Aeneas durus et inexorabilis.

35. *Jactatur*. Frequentativi verbi vim notes, velim.

Imago. Cogitatio, h. e., ut postea dixerunt, imaginatio. Justin. L. XVIII. c. 4. Drakenb. Imago, inquit Ruhnk., est nobilitas generis, quod Romani illustrium majorum imagines in nobilitatis signum collocare in atrio solebant; ac *falso — imago* explicat, « falso jactaris te Venere natum esse.

36. *Dissidere*. Distare, remotum esse, vehementer dissentire. Proprie *de corpore* dicitur. V. ad Sil. Ital. L. VII. vs. 736.

37, 38. *Te lapis* etc. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 365. Ovid. Ep. II. vs. 137. alii. Comparationis fons est Hom. Il. L. XVI. vs. 34. sq.

37. *Innata*. Ingenita, firmiora adeo, atque inmobiliora.

38. *Robora*. Durissimae quercus. Oud. Nunc Dido convertit sermonem ad ipsum Aeneam, arguens ipsum nimiae duritiae. Hubert.

39. *Aut mare* etc. Vel e mari natus es non tranquillo, nec placido, sed aspero et procelloso, quale ventorum vi *agitari*, i. e. huc illuc ferri, hoc ipso tempore vides.

40. *Quod tamen* etc. Et tamen, quamvis fluctus navis cursui sese obponant, resistant, eamque magno cum tuo periculo rejiciant, *mediis*, ut Virg. Aen. L. IV. vs. 310. canit, *properas aquilonibus ire per altum*.

Quod — ire paras. Per quod navigare studes. Nam *ire*, *currere*, *ambulare viam*, *iter*, *mare*, *fretum*, semper poëtis dicitur per ellipsin praepositionis *per* Oud. De Neutris ac-

Quo fugis? obstat hiems: hiemis mihi gratia prosit.
Adspice, ut eversas concitet Eurus aquas.
Quod tibi maluerim, sine me debere procellis.
Justior est animo ventus et unda tuo.

constativum regentibus vid. Vech. Hellenol. L. I. c. 22.

41, 42. *Quo fugis?* etc. Mene, quasi hostem fugis? quem in locum fugam paras? In Itala regna, quae ubi sint, neseis? Adeone infesto ac saevo in te fui animo, ut, procellosi temporis, quod cursum impedit, nulla ratione habita, omne maris periculum subire, quam hic morari malis? Quid? nonne, ut tibi gratificarer, omnia, quae habebam tibi dulcia, ita exhausi, ut praeter lacrimas nihil mihi miserae reliqui fecerim? Quodsi haec merita male perdiderim, hiemis saltem, tuam fugam impediendo, mihi faventis beneficium prosit. At vero meis verbis si forte fidem denegas, oculis tuis fidas necesse est; hos, age, in mare conjice, vide, quo modo ex imis vadis eruta caneat aqua ab Euro exasperata et vehementer conmota.

Hiemis. Hiems *tempus* notat *procellosum* non *brumale.* Aquilones autem, quorum supra ex Virg. Aen. L. IV. vs. 310. memineram, ex Heynii V. Cl. Sententia illi stati venti esse possunt, Etesiae dicti, quos medio Julio et Augusto flare dixit ad L. I. vs. 535. Anni septimi enim Aeneae errorum aestate Deorum monitu ex Africae litore solvit Aeneas, ingruente illo tempore, quo turbari mare ventis solere modo dixi. Heyn. de Aeneae Erroribus Exc. II. ad Aen. L. III.

42. *Eversas.* Concitas, erutas, ut ait alibi Ovid., sive ita conmotas, ut in altos fluctus surgentes aquae se evertant et procidant. Oud.

43. *Quod tibi maluerim* etc. Moram scil. et mansionem tuam, *sine* vel permitte, ut debeam gratias agere (procellosae) hiemi, quia coëgit te apud me manere, quas gratias tibi ipsi debere maluerim.

Debere aliquid alicui, inquit Drakenb., is dicitur, qui aliquid munere et beneficio alterius obtinet. Ovid. Ep. VIII. vs. 119 Petit ergo Dido, ut beneficio tempestatis obtineat dilationem itineris, quod maluerat obtinere beneficio ipsius Aenëae.

44. *Justior* etc. Beneficium tibi praestitum reddunt mihi et ventus, et unda, cum impediant, quo minus me relinquas. Beneficium beneficio rependendum esse norunt, atque adeo rependunt. Tu autem, quid jus sit ac deceat, nesciens, mihi de

Non ego sum tanti, (quamvis merearis, inique)
Ut pereas, dum me per freta longa fugis.
Exerces pretiosa odia, et constantia magno:
Si, dum me careas, est tibi vile mori.
Jam venti ponent: strataque aequaliter unda,
Caeruleis Triton per mare curret equis.

te optime meritae, et, ne periculoso mari te committas, amicae petenti indulgere non vis: tantum abest, ut gratus reperiaris.

45, 46. *Non ego sum tanti* etc. pretii, non digna sum, qui pereas propter me, ut, dum me aufugere coneris, tempestas te obruat. Oud.; quamvis propter iniquitatem atque injustitiam tuam mortem merearis. V. Adn. ad vs. 4. Ep. I

46. *Fretum*. Secundum Varronem, Servium, Isidorum a G. J. Vossio in Etym. L. L. citatos a *fervore marini aestus* nomen adcepit; hinc *locum in mari angustum* notat; atque adeo Ovid. freta recte dixit *longa*, in longum porrecta. Cf. Ep. XIV. vs. 103.

47, 48. *Exerces pretiosa* etc. Si habes me odio, et propterea parvi facis objicere te morti: haec tua odia sunt nimis magni pretii et nimis chara, quia constant tibi vita, quae est res magna. Hubert.

Constantia magno dicuntur, quae *care*, *insano* pretio emuntur. *Gratis* autem *constare*, quae gratis traduntur. Ovid. Am. El. L. I. El. 8. vs. 72.

48. *Dum* valet dummodo. V. Turtell. Op. l. in v. *dum*.

49, 50. *Jam venti ponent* etc. Exspecta, quaeso, parumper; mox venti quiescent et desinent, et Triton, Neptuni ex Amphitrite sive Salacia Nympha filius, et tubicen per mare ex aspero planum factum, celerem currum aget a Delphinibus maris colorem referentibus tractum.

Jam temporis adverbium, prout vel Praesenti vel Perfecto vel Futuro verborum tempori jungitur, tempus notat vel praesentissimum, vel praeteritum, vel instans. V. Turtell. Op. l. in v.

Ponent. Verbum activum Graeco more absolute ponitur. Vechn. Op. l. L. I. c. 6. intellige *se*.

Volunt autem poëtae, Deos maris non ire super undas, nisi fere quieto mari. Unde Virg. Aen. L. I. vs. 155. post mare placatum dixit de Neptuno

. . . . . Coeloque invectus aperto
Flectit eques, curruque vo-

Tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!
Et, nisi duritia robora vincis, eris.
Quid? si nescieris, insana quid aequora possint?
Expertae toties quam male credis aquae!
Ut pelago suadente etiam retinacula solvas,
Multa tamen latus tristia pontus habet.
Nec violasse fidem tentantibus aequora prodest.
Perfidiae poenas exigit ille locus:

lans dat lora secundo.
Hubert.

50. *Equi* tribuuntur Tritoni ad celeritatem indicandam, uti Soli, Lunae, aliis. *Caerulei* vero, ait Drakenb. ad h. vs., Tritoni tribuuntur equi propter colorem ipsius maris, quod modo purpureum, modo flavum, modo caeruleum esse videtur. V. Cic. Acad. Quaest. L. IV. c. 33. Ut Dii maritimi *caerulei* vocantur ab Ovid. Metam. L. II. vs. 8. et Nereus *caeruleus* Ovid. Ep. IX. vs. 14; ita et *caerulea via* Ep. XVI. vs. 104. de navigatione maritima.

51. *Tu quoque* etc. Velim equidem, te eatenus tantum ejusdem naturae esse, ac ventos, ut nunc semel mutareris, ex duro fieres mitis, dein tibi ipse constares.

52. *Et, nisi* etc. Cf. vs. 137. Ep. II.

53, 54. *Quid? si nescieris* etc. Parva, inquit Dido, loquor. Excusandus esses, si furentium undarum vim nescires. *Quam male*, quanto tuo periculo te his in rebus mari commettis, cujus furorem toties expertus es!

Quid? indignantis. V. Turnebi. Op. l. in v.

Nescieris. Notanda ultima syllaba in h. vs. producta, quod etiam fit in aliis, ut in *credideris*, *hauseris*, *fueris*. Ratio est, quod interdum quartam syllabam producebant in *nescieritis*, *dederitis*, aliis. Heins. ad h. vs. Ruhnk.

Insana. Cf. vs. 6. Ep. I.

54. *Expertae — quae.* Experientia cognitae, significatione passiva. De Deponentibus passive usurpatis V. Vech. Op. l. L. I. c. 9.

55, 56. *Ut pelago* etc. Quamvis vel ipsum mare sua tranquillitate tibi suadere videatur, ut vela ventis des; tamen priusquam funes, quibus navis tenetur, solvas, tuum ipse animum explorare debes, an mali alicujus facinoris sibi conscius sit; etenim vasto mari navigantem plura, quam quae dixi, pericula manent.

57, 58. V. g. Si perfidus (hoc, ut Aeneae metum injiciat, addit) aequoris periculum

Praecipue, cum laesus Amor; quia mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.
Perdita ne perdam timeo, noceamve nocenti:
Neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.
Vive, precor: sic te melius, quam funere, perdam.
Tu potius leti caussa ferare mei.

facit, is sibi persuadeat, tristia ipsi eventura, quoniam de perfidiae reis *ille locus*, mare, supplicium sumit.

55. *Pelago suadente*, sive malacia ejus te impellente, tibi adridente. Ovid. Metam. L. XIII. vs. 418.

Jamque viam suadet Boreas. Ovd.

Eleganter, inquit Drakenb., res inanimata dicitur *aliquid suadere*, quae opportunitate et commoditate quadam homines allicit ad aliquid faciendum. Plaut. Bacch. Act. I. Sc. 16. vs. 20. Virg. Aen. L. IV. vs. 81.

Etiam, i. e. etiamsi pelagus suadeat. V. Tursell. Op. l. in v. *etiam*.

56. *Latus*. Sublimitatis notione, quae adjectivo inest, legentis animum movet. Qua late patet, nullis praestitutis finibus, immensus pontus. Cf. D. J. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

57. *Tentantibus aequora*. Tangendo experientibus, quale sit aequor; navigationem itaque incipientibus. Cf. Adn. ad vs. 161. Ep. VI.

58. *Poenas exigere*. Ad dissolutionem poenarum, quae legibus debentur, cogere. Ratio loquendi, inquit Drakenb. ad h. vs., inde desumta est, quod is, qui scelus committit, simul sese obligat ad subeundam poenam, quae jure ab eo exigi ac postulari tanquam debitum aliquod potest.

59, 60. *Praecipue* etc. Inprimis eum poena adficit, a quo laesus est Amor; quod quo minus addubites, scias, Venerem, Cupidinis matrem, ut ajunt, ex spuma maris ortam, primum, ut erat, nudam ad insulam Cythera adpulisse.

60. *Cytheriacis* de insula, et inde orto Veneris cognomine vid Dorn Seiffen Op. l. Broukh. ad Tibull. L. I. El. 2. vs. 40.

Fertur. Addidit Poëta, ut, quod debebat, verisimilitudinem sectaretur.

61—64. *Perdita ne perdam* etc. Ego, quae tua perfidia perii, timeo, *ne perdam* te, sive ne meus amor, aut ne ego, quia me amasti, tui interitus causa sim; neve tu, quamvis hostis, naufragium passus, aquis mergaris: vive itaque potius; sic lenta te morte, quam conscientiae tibi morsus adfe-

Finge, age, te rapido (nullum sit in omine pondus) 65
Turbine deprendi: quid tibi mentis erit?
Protinus occurrent falsae perjuria linguae,
Et Phrygia Dido fraude coacta mori.

rent, *melius*, i. e. injuriae, quam a te adcepi, magis convenienter, quam subita morte te perire faciam, vel lentae mortis periculo justius quam repentinae exponam; te potius meae mortis sequatur invidia, quam me tuae.

62. *Bibat.* Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 383. Ovid. Am. L. II. El. 10. vs. 34. El. 11. vs. 6.

63. *Funere.* Consequens pro antecedente *morte.* Cf. infra vs. 136.

64. *Ferare.* Dicaris, te dicant. Cf. Ep. VI. vs. 114.

65, 66. *Finge, age* etc. Ponamus *turbinem*, vehementem et quaevis obvia in circuitum atque orbem agentem ventum, navem tuam conripere et circum agere, donec imum petat? (verba mea ne vim ominis habeant) quo tandem animo tum eris?

Age. Cf. Adn. ad vs. 141. Ep. VI.

(*Nullum sit in omine pondus.*) Veteres, inquit Oud. V. Cl., sollicite cavebant, ne ominosa male verba efferrent, aut si ea sibi elaberentur, ominis averruncandi gratia, hanc similemque sententiam inserebant. Cf. Ovid. Ep. XIII. vs. 49. Vel contra vocem quandam sibi elapsam in bonum omen accipiebant Ep. III. in fine.

Pondus. Cf. Adn. ad vs. 98. Ep. III.

66. *Deprendi.* Prendi ac deprendi dicuntur, qui subito et inexspectato opprimuntur. Praesertim autem verba haec usurpantur de nautis ac navigantibus, qui subita tempestate obruuntur. Horat. L. II. Od. 16. vs. 2. Stat. Theb. L. I. vs. 370. Virg. Georg. L. IV. vs. 471. Drakenb. V. Benthl. ad Horat. L. I. Od. 14. vs. 10.

67, 68. *Protinus* etc. Statim tibi adcidet, quod et aliis in mala incidentibus solet, (Cf. Ep. III. vs. 41. Ep. V. vs. 5, 6. et Adn. ad h. vs.) ut in te redeas et causam quaeras in vita et moribus, quibus Deorum in te iram excitaveris. Quod si feceris, animum tuum subibunt perjuria, quibus tua me laesit lingua, et imago Didonis, quam artibus, genti, unde originem ducis, propriis ad mortem coëgisti.

Protinus occurrent. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 382. sq.

Falsae. Cf. Adn. ad vs. 16. Ep. I.

68. *Phrygia — fraude.* Tua; nam Aeneas Phrygius erat. Hubert. Invidiose (Dido Aeneae)

Conjugis ante oculos deceptae stabit imago
Tristis, et effusis sanguinolenta comis.
Quidquid id est, totum merui, concedite, dicas:
Quaeque cadent, in te fulmina missa putes.

patriae contumeliam objectat. Anton.

69, 70. *Conjugis* etc. Videberis semper et ubique videre moestam umbram ac speciem Didonis, quam, proh pudor! conjux conjugem decepisti, cujus deceptae in pectore et manibus cruor, et sparsae in humeris comae suam desperationem et tuam tibi perfidiam oculis conspiciendam praebebunt.

Conjugis — deceptae. Feminam decipere malum facinus, *Conjugem* multo pejus.

Stabit. Persistet, statum suum servabit, continuo obversabitur, omnibus umbra locis aderit. Virg. Aen. L. IV. vs. 386.

70. *Effusis — comis.* Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 300. sq. coll. vs. 450. sq. vs. 595. sq.

Sanguinolenta. Vid. Virg. Aen. L. III. vs. 663. sq.

71, 72. *Quidquid id est, merui* etc. Dicas, quidquid est saevitiae maris, quidquid est fulminis, quidquid est irae Deorum, id omne merui. Tu, Dido, quam innocentem et simplicem perfidus decepi (hanc enim sibi praesentem fingeret ex vs. praec.) abi, sit mihi satis aquis mergi, desinas spirantem adhuc atris sequi ignibus. Et Vos comites abite, ne et Vos innocentes mecum nocente pereatis. Quae vero cadent fulmina in te solum tanquam perfidiae pretium missa putabis. Desperantem ac mentis impotem puta fingi Aeneam. Mecum aliquatenus facit F. Xav. Werfer in Lectionum in P. Ovidii Nasonis Heroïdas Specimine pag. 550. Act. Philol. Monacensium Tom. I. fasc. 4. In eo enim differt, quod *concedite* pro *concede* adcipiat, et ad Didonem solam referat, cujus sanguinolenta imago ante Aeneae oculos stare fingitur. Quemadmodum enim, inquit Werferus, dicas *concedimus* pro *concedo*, *concedamus* pro *concedam*, *noster* pro *meus*, *vestra* pro *tua* (Heroïd. Ep. IX. vs. 1. XVII. vs. 168. et XIX. vs. 62. Pariter apud Graecos ὑμέτερος) sic Poëtam, metri necessitate circumscriptum, *concedite* pro *concede* existimaverim usurpasse.

Quidquid id est. Formularis locutio de toto incerto. Cf. Ep. XIX. vs. 203. Ex Ponto L. I. El. 1. vs. 21. Ond.

Concedite. Serv. ad Virg. Ecl. L. X. vs. 63. explicat *abite*. Et concedere pro *abire* Terentio adeo frequens, ut exempla adferre haud necesse sit. Ut desperabundus, imo furens

Da breve saevitiae spatium pelagique tuaeque:
Grande morae pretium tuta futura via est.
Nec mihi parcatur: puero parcatur Iülo.
Te satis est titulum mortis habere meae.
Quid puer Ascanius, quid Di meruere Penates?
Ignibus ereptos obruet unda Deos.

omnes homines a se abire jubet velut homine scelerato iramque Deorum promerito. Cf. Virg. Aen. L. II. vs. 523. Ovid. Trist. L. I. El. 2. vs. 57. Horat. L. III. Od. 2. vs. 27. sq.

Concedite. Oudendorpius V. Cl., cui adsentit in Animadv. ad h. vs. D. J. van Lennep V. Cl., exponit, *ignoscite*, *condonate*; ut loci sit sensus: Dices tunc Diis, peccavi, fateor, et omnia commerui mala, sed, precor, crimen condonate et ignoscite falso.

Eadem significatione verbum occurrit apud Ovid. Am. L. II. El. 14. in fin. Cic. pro Roscio Amer. c. 1. Cic. ad Fam. L. IV. Ep. 6. Oud. Consentiunt Drakenb. et Ruhnk.

73. *Da breve* etc. Permitte aliquod tempus intercedere, quo sedetur tua saevitia et tempestas pelagi desaeviat. Oud. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 52. Attende animum Didonis adfectibus valde commotum, qui, ubi consistat, non invenit; nunc huc fertur, nunc illuc, variasque quasi formas induit.

74. *Grande* etc. Haec mora tibi erit utilissima, quia postea habebis navigationem tutam. Hubert.

75. *Nec mihi parcatur* etc. Nec mea causa maneas, rogo, sed Iüli, et filii et pueri, cujus quippe consanguinitas et aetas te, vel me non rogante, quam maxime movere deberet, ne vitam periculo exponeres.

Parcatur — parcatur. Verbi ejusdem repetitio venustissima est, de qua egit Heins. ad Ep. VI. vs. 29. Oud. *Gravissimam* equidem dixerim, ob ejusdem notionis repetitionem, unde venustas non potest non oriri. *Venusta* et *cum efficacia* verbum repetitum esse ad h. vs. notat Ruhnk.

Iülo. Vid. Argum. §. 5. et Onom. Poët. in v.

76. *Te satis* etc. Egregiam scilicet et tibi sufficientem laudem refers, si meae solius mortis causa dicceris.

Titulum — habere dicitur, qui rei causam praebuit, atque auctor est, quod in monumentorum titulis sive inscriptionibus causae, ob quas posita essent, adponi solebant. Cf. Adn. ad vs. 24. Ep. V. et vs. 68. Ep. II.

77., 78. *Quid puer Ascanius*

Sed neque fers tecum: nec, quae mihi, perfide, jactas,
Presserunt humeros sacra paterque tuos.
Omnia mentiris: nec enim tua fallere lingua
Incipit a nobis; primaque plector ego.
Si quaeras, ubi sit formosi mater Iüli;
Occidit, a duro sola relicta viro.
Haec mihi narraras; nec me movere: merentem
Ure; minor culpa poena futura mea est.

etc. Quodnam crimen commiserunt et juvenis admodum, Iülus, filius tuus, et Dii Penates, ut digni sint, qui incendium sive ignes eluctati certiore aquarum periculo pereant.

Meruere. Vid. Adn. ad vs. 6. Ep. V.

Di — Penates. Cf. Argum. §. 5. Trojae tutelares Dii, quos Romani dein Penates adpellaverunt. Varias de his Diis veterum sententias videre licet in commentario Meziriaci ad h. vs. et excursu IX. Heynii ad Virg. Aen. L. II.

Di meruere. Humana omnia ad Deos transtulisse rudem aetatem, res est notissima: *Merere* autem est verbum mediae significationis, quod in bonam ac malam partem adcipi potest.

78. *Ereptos.* In verbo celeritatis contineri notionem, supra me observare memini.

Obruere pp. terra ita tegere et operire, ut oculis omnino subtrahatur, nec usquam adpareat.

79, 80. *Sed* etc. Quae tu, qua es perfidia, mihi de tua in Penates et patrem pietate glorians narras, quasi cervici tuae inpositos per medias flammas ac tela Troja extulisses, id verum profecto non est.

Fers. Indicativi praesentis usu Poëta rem nobis quasi ob oculos ponit.

Jactas. Jactare frequentativi virtute significat, *saepe atque iterum jacere*, ut ita praesentium oculos advertamus, tanquam ad rem praecipuam, qua superbimus,

80. *Presserunt.* Pp.: humeris enim sustinentem onus gravat ac deprimit.

Sacra. Patrii Penates. Virg. Aen. L. II. vs. 77.

„Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates."

Declarative *solos Penates, sacra* intelligo, uti per sé licere ait Heyn. in Exc. IX. ad Virg. Aen. L. II. vs. 293.

81 — 85. *Omnia mentiris* etc. Quaecunque mihi, etiam de Crëusa, uxore, narrasti, falsa sunt omnia. Naturâ scilicet ad

Nec mihi mens dubia est, quin te tua numina damnent,
Per mare, per terras septima jactat hiems.

artes ac fraudes factus es, quas ego nunc non prima experior. Nam, si inquiras in Crëusae mortis causam, invenies illam, quamvis pulcra prole parentem fecisset maritum, ab impio marito in mediis flammis, atque hostium telis derelictam, adeoque morti traditam esse.

82. *Plector.* Ob credulitatem meam.

83. *Si quaeras.* Dictio est poëtis frequentissima et velut formularis. V. Ep. VI. vs. 123. Trist. L. I. El. 1. vs. 193. Metam. L. III. vs. 141. Plura exempla volenti dedit Bentlej. ad Horat. L. III. Od. 24. vs. 27.

Formosi. Si enim distortum et informem genuisset Crëusa, fuisset ex rudium hominum sententia, quare conjugem odisset, atque adeo periculis, et morti praedam reliquisset. Uti v. g. Jovis in Junonem amor languere incepisse dicitur, postquam Vulcanum, degenerem partum, ediderat.

84. *Occidit* etc. Non vero in fuga, casu quodam amissa, ut credi voluisti. V. Aen. L. II. extr. Oud.

Crëusae fatum, omnia in Aeneae opprobrium vertens, ipsi infido amanti inputat Dido. V. Virg. Aen. L. II. vs. 738. sq.

85—88. *Haec mihi narraras* etc. Narrasti tu quidem mihi Crëusam a te amissam esse; unde deprehendisse poteram tuam perfidiam et intellexisse eam a te perditam et desertam esse: sed tanto in te amore eram capta et mente coeca, ut me illa non commoverint. Oud. *Nec me movere*, inquit Drakenb., ut mihi a fraudibus ac perfidia tua caverem. *Movere* hic notat *terrere*, *deterrere*. Ita Justin. L. XI. c. 9. §. 2.

Merentem ure etc. Quare me quoque (nam stultitia mea id meruit) ure, ut Crëusam in igne et flammis prodidisti; illa enim poena minor adhuc culpa mea erit. Burm.; quod perfido tibi fidem habuerim, teque amare potuerim, ut ait Drakenb., qui *ure* interpretatur *crucia*, *doloribus et suppliciis affice*. Plaut. Bacch. Act. L. V. Sc. 1. vs. 5. Quam explicationem Ruhnk. Burmanniana simpliciorem praedicat ad h. vs.

87. *Nec mihi* etc. Nec dubito, quin tua illa Numina et Dii Penates, quos jactas a te flamma ereptos et tecum latos, damnent te ac tuam criminosam vitam; nam per septem annos (ex Virgiliana rursus fictione) jam tempestatibus terra marique jactaris. Oud.

88. *Jactat.* V. Adn. ad vs. 79. h. Ep.

Hiems. V. Adn. ad vs. 41. h. Ep. *Septima — hiems* itaque septimum annum indicat, quem

Fluctibus ejectum tuta statione recepi,
Vixque bene audito nomine, regna dedi.
His tamen officiis utinam contenta fuissem:
Et mihi concubitus fama sepulta foret!
Illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum
Caeruleus subitis compulit imber aquis.

septimam aestatem dixit Virg. Aen. L. I. vs. 755. sq.

89, 90. *Fluctibus ejectum* etc. Virg. Aen. L. IV. vs. 73.

. . . . . Ejectum litore, egentem
Excepi, et regni demens in parte locavi.

Statio unde sit, inquit Voss. in Etym. L. L., satis ostendit, quod proprie eo *stantis actio* signatur, hinc aptatum loco *ubi statur*. Respectu navium, inquit Drakenb., stationes vocantur, ubi naves tuto stare sive manere, in anchoris stare possunt; adeoque *statio* fere idem est quod *portus*. Virg. Georg. L. IV. vs. 21. Aen. L. II. vs. 23.

90. *Vix bene* etc. Cf. Argum. §. 6. *Regna*. Pluralem numerum ne temere positum putes.

91. *His tamen officiis*. Scil. quod te hospitio excepi et regna dedi. Hubert.

92. *Concubitus fama*. Virg. Aen. L. IV. vs. 189. sq.

Haec . . . . . .
Venisse Aenëan, Trojano a sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido:
Nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere
Regnorum inmemores, turpique cupidine captos."

Sepulta, humo tecta, abolita. Cf. Ovid. ex Ponto L. I. El. 5. vs. 85. quem l. in Dictatis citat Oud. Obscurata, obruta, ut nulla ejus memoria exstaret. Propert L. III. El. 13. vs. 9. Ruhnk.

93. *Illa dies nocuit*. Cf. Ep. V. vs. 33. Virg. Aen. L. IV. vs. 169.

Qua nos declive etc. Virg. Aen. L. IV. vs. 160. sq.

Interea magno misceri murmure coelum
Incipit, Insequitur commixta grandine nimbus.
Et Tyrii comites passim, et Trojana juventus,
Dardaniusque nepos Veneris, diversa per agros
Tecta metu petiere. Ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido, dux et Trojanus eandem
Deveniunt.

Declive. Pendens *sub antrum*, i. e. in speluncam. Hubert.

Audieram vocem; Nymphas ululasse putavi: 95
Eumenides fatis signa dedere meis.
Exige laese pudor poenas, violate Sichaeo:
Ad quem (me miseram!) plena pudoris eo.

94. *Caeruleus — imber*, quem Virg. *nigrantem nimbum* vocat Aen. L. IV. vs. 120, ubi Junonis arte hoc factum docet. *Caeruleum* ad vs. 123. L. V. Aen. Servius exponit *nigrum*.

Subitis compulit. In adjectivo ratio inest, quare in antrum devenire cogantur.

95, 96. *Audieram vocem* etc. Faustas Nympharum meas nuptias celebrantium adclamationes ac cantus audire mihi videbar: At Nymphae non ululârunt, sed clamor iste a Furiis sublatus est, ut fatis meis quasi signum darent ad me persequendum atque urgendum. Cf. D. J. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

Nymphas. Deae minores, quae ubique in aqua et terra vivere credebantur, et licet longissimam haberent vitam, nihilominus tandem moriebantur. Dorn Seiffen in Onom. Poët.

Ululasse. Virg. Aen. L. IV. vs. 168.

. . . . . Summoque ululârunt
vertice Nymphae.

Ad verbum *ulularunt* ita commentatur Servius.

« Bene medium elegit sermonem: nam ait Lucanus L. VI. vs. 261. « Non tu laetis ululare triumphis." In luctu autem *ululare* non dubium est. Et ideo medium elegit sermonem: quia post nuptias mors consecuta est. Nonnulli ita accipiunt, quod *ululare* veteres in sacris dicebant ex Graeca consuetudine. Ergo *ulularunt Nymphae* quasi nuptiarum sacra celebrarunt etc," Cf. Adn. ad vs. 117. Ep. II.

96. *Eumenides.* Graeca voce dictae sunt Furiae, tanquam benevolae, postquam cum Oreste, qui matrem occiderat, quemque ideo persequebantur Furiae, Deorum ope in gratiam redierant, cum et ara sub hoc nomine iis ab Oreste erecta est. Argumentum est Tragoediae Aeschyli, quae *Eumenides* inscribitur.

Signa dedere. Metaphora a bellicis deducta ducibus, qui, incipiente praelio, signa dare solent. Cf. Virg. Aen. L. V. vs. 137.

97. *Exige laese pudor poenas.* Parata sum ad poenam subeundam quam tibi, Pudicitia, debeo; te enim *ipsam* non obfendi solum, cum nudum Cupidinis telis pectus praeberem, sed et *Sichaei ratione* vim tibi intuli, tuas leges perrupi, quae me pro Aenëae conjuge gesserim.

Est mihi marmorea sacratus in aede Sichaeus:
Adpositae frondes velleraque alba tegunt.
Hinc ego me sensi noto quater ore citari.
Ipse sono tenui dixit: Elissa, veni.

Laese. Virg. Aen. L. IV. vs. 20. sq.

Violate. Cf. Virg. l. l. vs. 166. sq. Argum. §. 7.

Sichaeo. Dativus. Quo casu et Graeci et Latini nomen ejus ponere solent, in cujus utilitatem vel damnum, honorem vel dedecus aliquid fieri narratur. D. J. van Lennep de h. vs. judicium vid. in Animadv.

Oudendorpius V. Cl. *Sichaeo* jungendum esse docet cum *exige*, a me scil., ut solvam et dem poenas Sichaeo, atque in vindictam prioris illius mariti, quem hoc concubitu laesi, peream. Loers in d. specimine, quamvis Burmanno non adsentiatur, tamen non urgendam putat constructionem, *violate Sichaeo*, ac pro Graeco genetivo *Sichaeu*, *Sichaei* scribendum censet. In constructione non haerendum esse monet. Dicitur *pudor patris* (V. Ruhnk. Dict. in Terent. Andr. Act. I. sc. vs. 265. Ed. Schopen. Forcell. Lex. in v. *pudor*) dicitur igitur etiam *pudor Sichaei*, *laese*, *violate*. q. l. et reperiri dicit Loers in suo exemplo Ed. Venetae a. 1486.

98. *Plena pudoris* ob culpam, cui subcubuerat. Alterum enim amorem Aen. L. IV. vs. 19. ipsa Dido *culpam* dixerat. Ubi Servius « et hoc, propter antiquum ritum, quo repellebantur a Sacerdotio bis nuptae. Secundae quippe nuptiae antiquitus turpes habebantur.

Eo. De consilio mortis consciscendae haec capienda esse suadet Justin. L. XVIII. c. 6.

99. *Est mihi marmorea — Sichaeus.* Templum conjugis antiqui. Virg. Aen. L. IV. vs. 458. *Sacratus* autem *Sichaeus* est sacra imago Sichaei, Herculis sacerdotis. V. Argum. §. 1.

100. *Adpositae* etc. Virg. l. l. vs. 459.

« Velleribus niveis et festa fronde revinctum."

Ubi *vellera nivea* ex Heynii interpretatione vittae sunt laneae.

101. *Hinc.* Ex illo templo, *ego me* etc. Virg. l. l. vs. 460.

« Hinc exaudiri voces, et verba vocantis
Visa viri, nox quum terras obscura teneret."

Quater. De hoc numero legatur Macrob. ad Somnium Scipionis L. I. c. 5, 6.

Ore citari. Quod est prodigium vicinae mortis. V. Bulen-

Nulla mora est: venio; venio tibi debita conjux;
Sed tamen admissi tarda pudore mei.
Da veniam culpae: decepit idoneus auctor;
Invidiam noxae detrahit ille meae.

gerus de Prodigiis L. IV. c. 19. Oud. In Thes. Antiq. Rom. Graevii tom. V. pag. 479.

102. *Sono tenui.* Acuto quidem sed exili, nec sonoro, utpote tenuis umbrae. Oud.

103, 104. *Nulla mora est* etc. Hoc ipso temporis puncto facio, quod jubes. Jam in viam ad mortem me conjicio, venio, venio, inquam, tua solius legitima, propter fidem tuo cineri promissam, tibi debita conjux. Celerius tamen etiam venirem, nisi facinoris perpetrati conscientia gressus inhiberet.

Nulla mora est. Solenni formula, ut ex Nep. Conone c. 2. observavit Burm. Protinus tibi parebo, adsum, in me mora non erit ulla. Oud.

Venio; venio. Epizeuxin Rhetores vocant, cum vox aliqua repetitur cum vehementia. Paratissimam ad mortem Didonem esse haec verba indicant.

Tibi debita. Drakenb. et Oud. exponunt: fatis tibi destinata, cui soli obligari debeo, ut Ep. XX. vs. 8. D. J. van Lennep in Animadv. ad h. vs., propter fidem tuo cineri promissam.

104. *Admissi.* Peccati, adulterii ac furtivi amoris. Oud. Haec, uti pleraque, quantopere humanam indolem cognitam habuerit Ovidius, satis demonstrant. Cf. Sophocl. Antig. vs. 237, 238.

105, 106. *Da veniam culpae* etc. Quamvis, Sichaee! culpam meam cum pudore fatear; est tamen, quod mihi peccanti ignoscas: quem enim sese ore ferebat Aeneas, quam forti pectore erat et armis. Fortitudo vero atque virtus eum genus esse Deorum arguebat. (Virg. Aen. L. IV. vs. 11. sq.) Quid mirum ergo, si me feminam, augustissimae, humanis superiores, tam animi quam corporis ejus dotes caperent. Quae si cogitaveris, *invidiam*, sive odium, quod jure in facinus meum concepisti, diminui, ac languescere senties, et, mihi adsentiaris, necesse erit, Virum, qui me deceperit, ad sui amorem excitandum fuisse aptissimum.

Idoneus auctor. Aptus et speciosus, cujus auctoritati et fidei me credidi. Cf. Ep. XVII. vs. 43. Oud. Qui aptus est ad fallendum et veniam promerendam. Cort. ad Sallust. Cat. c. 51. §. 7.

106. *Detrahit.* Facit *Ille*, ut noxa seu culpa mea minus invidiosa sit, et cui invidere non possis prae divina nobilitate et pietate, ceterisque, quas ja-

Diva parens, seniorque pater, pia sarcina nati,
Spem mihi mansuri rite dedere viri.
Si fuit errandum, causas habet error honestas:
Adde fidem; nulla parte pigendus erit.
Durat in extremum, vitaeque novissima nostrae
Persequitur fati, qui fuit ante, tenor.
Occidit internas conjux mactatus ad aras:
Et sceleris tanti praemia frater habet.

tavit, virtutibus, quibus ego confidi. Oud.

107, 108. *Diva parens.* Omnis enim femina mecum non dubitaret, quin Vir, qui Venere Dea natus sit, et pietate motus mediis periculis patrem humeris sublatum eripuerit, fidem olim datam servaret semper.

Diva parens. V. Argum. §. 5.

Pia sarcina. Rei tribuitur, quod nato proprium, ut saepius. Cf. vs. 80. h. Ep.

108. *Mansuri* apud me, fidelis.

Rite. *Bene* et *recte* significat, inquit Festus de verb. signif. in v.

109, 110. *Si fuit errandum* etc. Si mihi fatale fuit, quod Sichaeo promiseram, non servare, habet profecto error, quo se probabiliter tueatur. Quod si enim fidem addas ac ponas Aeneam fidem non fefellisse; talis sane fuit, ut me illius non puderet.

Causas — honestas. Cf. quae notavi ad vs. 105, 107, 108.

110. *Pigendus erit* error. V. Sanctii Minerv. L. III. c. 3. n°. 110. et Periz. in not. *Nulla parte.* Ne ulla quidem parte sive a parte, i. e. omnino non.

111, 112. *Durat* etc. Enumeratis iis, quae Aeneae poterant facere fidem viri boni, ne culpam in ipsam Didonem transferendam diceret, dicit se esse infelicem usque ad ultimum vitae spiritum, et enumerat seriem suarum infelicitatum. Hubert.

In extremum. Tempus puta.

Novissima vitae. Graeco more. Ad ultimum vitae temporis punctum usque me eodem, quo antea, cursu atque impetu urget infelix fatum. *Tenor* enim aequabilis, constans, non interrupta fatorum series est.

113. *Occidit* etc. V. Argum. §. 1, 2.

Internas etc. Sive penetrales Deorum Penatium, in intimis aedium, ubi a Pygmalione, Didûs fratre, occisus, et instar victimae mactatus est Sichaeus. Oud. Cf. Adn. ad vs. 43. Ep. I.

Sichaeum ad *domesticas* aras et Deos *Penates* inmaniter cae-

Exsul agor, cineresque viri, patriamque relinquo: 115
Et feror in duras, hoste sequente, vias.
Adplicor ignotis: fratrique elapsa fretoque,
Quod tibi donavi, perfide, litus emo.

sum esse, auget ex V. V. D. D. observatione criminis horrorem. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 21. L. I. vs. 348. sq. ad q. v. haec notat Servius. « Probavit impium, quia ante aras." Ratio est, quod ara salutis esset asylum, unde neminem detrahere licebat.

114. *Sceleris tanti praemia.* Intellige divitias Sichaei, quibus inhians Pygmalion eum interfecerat, quas jam, tanquam sceleris praemia seu mercedem, possidebat. Justinus tamen Elissam migrationis ministros a Pygmalione missos una cum opibus navibus inpositos avexisse scribit L. XVIII. c. 4. V. Argum. §. 2, 3. Virg., quem potissimum Ovidius sequitur, Aen. L. I. vs. 353. et L. IV. vs. 656. Sichaei inhumati imaginem, aperto Pygmalionis scelere, thesauros viae auxilium tellure reclusisse canit et L. I. vs. 363.

. . . . Portantur avari
Pygmalionis opes pelago. Dux femina facti.

115. *Exsul agor.* Just. L. XVIII. c. 4. extr. exsilio sedes quaesiisse Didonem et socios scribit, et primum Cyprum adpulisse. *Hostem* vs. 116. intelligo fratrem Pygmalionem, qui fugientem sororem impio bello persequi constituit, et matris precibus et Deorum minis victus, quamvis aegerrime, quievit. Justin. L. l. c. 5.

Exsul agor. In exsilium abire cogor, ne similia in me audeat frater.

116. *Et feror in duras — vias,* et auferor in errores laboribus et periculis plenissimos. Certum enim, quo tenderem, locum, nec mare, ubi tuto navigarem, cum hostis me persequeretur, habebam.

Duras — vias. Recte exponit Burm. vias laboriosas, in quibus conficiendis multum laboris exhauriendum est. Drakenb.

117, 118. *Adplicor ignotis* etc. In littus ejicior naufraga, ad homines delata, quorum ne unum quidem noram, vel quorum ne unus quidem me norat; germanique minis et pelagi periculis erepta *gratis* tibi, perfide! dedi, quod *pecunia* mihi comparaveram.

Adplicor. Adplicat, inquit Donatus ad Terent. Andr. Act. V. sc. 4. vs. 21, proprie de naufrago in littus ejecto et egente.

Fratrique elapsa fretoque. V. Adn. supra ad vs. 115, 116.

Elabi, inquit Ruhnk. ad h.

Urbem constitui: lateque patentia fixi
Moenia, finitimis invidiosa locis. 120
Bella tument: bellis peregrina et femina tentor;
Vixque rudes portas urbis, et arma, paro.

vs., eleganter dicuntur, qui feliciter e periculis evadunt. V. infra vs. 131. Virg. Aen. L. I. vs. 242. Liv. L. I. c. 53. Hinc saepe apud Ciceronem, rei dicuntur *elabi*, cum, quamvis noxii, artibus suis vel quacunque alia de causa absolvuntur. Ut docet Ernesti in Clave Cic. in v.

118. *Litus emo.* Cf. Virg. Aen. L. I. vs. 365. sq. Ad vs. 367. haec adnotavit Servius. « Dido, adpulsa ad Libyam, cum ab Hiarba pelleretur, petiit callide, ut emeret tantum terrae, quantum posset corium bovis tenere. Quod cum illo permisisset, corium in tenuissimas corrigias sectum tetendit, occupavitque modum, stadia viginti et duo." Quae postrema sic intellige: occupavitque stadia 22, qui erat modus agri, sive, quae erat mensura. Per adpositionem, ut loquuntur Grammatici. Cf. Justin. L. XVIII. c. 5.

119, 120. *Urbem* etc. Urbem praeclaram, ut canit Virg. Aen. L. IV. vs. 655, statui, et amplissima quidem moenia, quamvis, qui in vicinis degebant locis, mihi inviderent, firmiter fundavi ac stabilivi.

Urbem constitui. Praeclarum quid ab antiquis habebatur, urbis alicujus moenia exstruere, reficere. Spanh. ad Callimachi Hymn. in Apoll. vs. 65.

Late patentia. V. Adn. s. ad vs. 118.

Fixi. Vid. D. J. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

120. *Finitimis.* Just. L. XVIII. c. 6. « Cum successu rerum florentes Carthaginis opes essent, rex Maxitanorum Hiarbas decem Poenorum principibus ad se arcessitis, Elissae nuptias sub belli denunciatione petit."

Maxitani iidem, qui Herodoto Maxyes dicuntur, ut ait Heeren V. Cl. pag. m. 44. tom. I. Operis quod inscribitur Ideën etc.

Invidiosa. Cf. Adn. ad vs. 145. Ep. II.

121, 122. *Bella tument* etc. Moenibus nondum perfectis, grave bellum in eo est ut erumpat, quod suo me pondere obprimere minatur. Quid ego peregrina eaque femina possim, experitur; Vix, sed tamen recens factas urbis portas et armatos contra belli impetum parare possum. Nam, inquit, Loers Spec. l., urgebat hostis, ut arte fabrili poliendi non superesset tempus.

Mille procis placui: qui me coïere, querentes,
Nescio quem thalamis praeposuisse suis.
Quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Iarbae? 125
Praebuerim sceleri brachia nostra tuo.

Tument. Metaphoram a mari concitato ductam esse docet Burm. Drakenborchio contra locutio videtur ab arboribus, quarum gemmae, cum folia eruptura sunt, dicuntur *tumere*. V. Ovid. Fast. L. I. vs. 152. L. III. vs. 238. Adsentitur Ruhnk.

Peregrina et femina. A fortuna et a sexu movet commiserationem. Hubert. Cf. Adn. ad vs. 65. Ep. II.

Et vim habere τοῦ *et quidem* saepius observavi.

123, 124. *Mille procis* etc. Neque ea sum, quae neminī placere potuerim. Permulti me petierunt, quos ego sum dedignata maritos (Virg. Aen. L. IV. vs. 536.) quo facta eorum iram in me concitavi, ut nunc conjuncta arma contra me moverent omnes, quod, ipsis spretis, virum mallem ignotum ac vilem.

Mille! Ex rudium hominum consuetudine, qui phantasia decepti certum modum rebus statuere ignorant. Poëtae vero hos in carminibus imitantur. Quo magis enim populi alicujus lingua verborum inops est, quoque propius ab inculta aetate abest ipse populus, eo magis hujus ratio et oratio ad poësin facit atque apta est. Hinc illi tropi et figurae in Rhetorica fere omnes v. g. Metaphora, et Hyperbole.

Qui me coïere etc. Hic, inquit D. J. van Lennep in Animadv., loci est nexus. „Qui coïerunt, querentes me praeposuisse thalamis suis, *nescio quem*.“

Coïere. Coetum sive coitionem ac conspirationem contra me fecerunt, quod peregrinum ipsis praetulerim. Oud.

124. *Nescio quem* duo notat. Ignotum vel vilem. Oud. Didûs proci ita per contemtum loquebantur de Aenea rivali suo. Cf. Tib. L. I. El. 7. vs. 6. Prop. L. I. El. 11. vs. 7. Oud. Am. L. III. El. 11. vs. 11. Drakenb.

Thalamis — suis. Connubio ipsorum. Hubert. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 36, 211, 320, 534.

125, 126. *Quid dubitas* etc. Quin Didonem, quae se tibi committere non dubitaverat de te optime merita, brachiis post terga revinctis, Gaetulo Iarbae abducendam trade. Non repugnam; ipsa tibi scelesto me praebebo vinciendam, ut scelus tuum exsequi, istique gratificari possis.

Quid dubitas. Cur metuis, moraris, abstines. Utuntur autem hoc, uti et *non dubitat* in

Est etiam frater, cujus manus impia possit
Respergi nostro, sparsa cruore viri.
Pone Deos, ut quae tangendo sacra profanas:
Non bene coelestes impia dextra colit.
Si tu cultor eras elapsis igne futurus:
Poenitet elapsos ignibus esse Deos.
Forsitan et gravidam Didon, scelerate, relinquas:
Parsque tui lateat corpore classa meo.

re audaci, ardua, nova, illegitima ac scelesta, Oud.

Gaetulo — Iarbae. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 326.

126. *Praebuerim.* Praebere possem. Oud. Per Heterosin temporum, quam vocant, perfectum ponitur pro praesenti, et praesens pro praeterito. Qua in re et Graecos imitati sunt Latini poëtae. V. Vechn. Hellenol. L. I. c. 14. De Temporum vera natura et divisione egit Heynius V. Cl. ad Hom. Il. L. XVII. Exc. II.

Sceleri — tuo. Abstractum pro concreto, ut saepius.

127. *Est etiam frater*, Pygmalion, cui me tradas, *ut ejus manus* etc. V. Argum. §. 1. et Adn. ad vs. 113, 114, h. Ep.

129, 130. *Pone Deos* etc. Sacra de manu ponas Deorum Penatium simulacra, quae etiam tangendo polluis. Impiorum enim cultus Coelestibus placere nequaquam potest.

Deos et — sacra. V. Adn. ad vs. 80. h. Ep.

Profanas. Violas, temeras, et fucis, ut tantum profanae et vulgares sint imagunculae, non autem sacra, quae tangi non licet, nisi manibus puris, Oud.

130. *Non bene — dextra colit.* Diis non litat, grata Diis non adfert sacrificia.

131, 132. *Si tu* etc. Dii noliunt se esse servatos ex incendio Trojano, si tu, qui es impius, eras culturus Deos elapsos ab incendio. Hubert.

Tu tam sceleratus et impius. Oud. Est enim in pronomine demonstrativo emphasis, quod non nisi distinctionis vel demonstrationis causa exprimi solet.

132. *Poenitet.* Molestum est Diis te liberatorem habuisse. Dii mutassent sententiam, maluissent flammis perire, quam tuis, sceleratis humeris ex incendio efferri. Cf. supra vs. 117.

133 — 137. *Forsitan* etc. Fieri praeterea potest, ut Didonem uterum gerentem relinquas, quo fieret, ut non me solam, sed, quod majus etiam, tui ipsius partem proderes, atque ita cum matre infantem,

Accedet fatis matris miserabilis infans;
Et nondum nato funeris auctor eris:
Cumque parente sua frater morietur Iüli,
Poenaque connexos auferet una duos.
Sed jubet ire Deus. vellem vetuisset adire.
Punica nec Teucris pressa fuisset humus.
Hoc duce (nempe Deo) ventis agitaris iniquis,
Et teris in rapido tempora longa freto.

cui tu pater vitam dederis, nihil tale merentem, occideres, antequam in lucem editus esset.

135. *Accedet fatis.* Addetur morti. Hubert.

Repunt, inquit Oud., hi modi nimis languide tracti, et ingratus est sonus toties repetitae literae *s*, quanquam hic illic simile occurrit exemplum.

Miserabilis: nullâ enim suâ culpâ morietur. Hubert.

136. *Funeris.* Consequens pro antecedente. Mortis causa eris.

137, 138. *Cumque parente* etc. Ut commiserationem magis etiam moveat Dido, addit, Infantem illum, quem utero gerat, nisi matris, Iüli fratris saltem ratione illi carissimum esse debere, adeoque non committendum esse, ut una morte duo pereant (mater et infans), qui tam arcto a natura vinculo copulati sint.

138. *Poenaque.* Invidiose mortem Dido vocat *poenam*, quam scilicet pater infanti infligit et matri, quamvis nihil, quod poenam meruisset, commisissent.

139, 140. *Sed jubet ire Deus.* Non sponte scilicet, inquies, sed jubente Deo Italiam sequor. Quod si verum sit, te auspice Deo navigasse; maluissem, Illum alio cursum tuum direxisse, neque Trojanos tecum huc adpulsos Carthaginis sive meam intrasse urbem.

Deus. Jupiter, cujus jussa Mercurius exsequitur. Virg. Aen. L. IV. vs. 238. sq. vel Apollo ibid. vs. 345. et sortes Lyciae. *Deus* simpliciter quoque dicitur Aen. L. IV. vs. 440.

Pressa pp. pondere Trojanorum incedentium, atque humum calcantium, adeoque in Punica regione versantium. Cf. Argum. §. 6.

141, 142. *Hoc duce* etc. Quasi dicat: Tu Jovis jussa jactas, verum contrarium potius Ille significat: non favet, sed est inimicus, ventos tibi diversos et longos per turbatum mare errores objiciens, quo fit, ut ventis nunc huc ablatus nunc illuc multum temporis in saevo mari perdas.

Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore
Hectore si vivo, quanta fuere, forent.
Non patrium Simoënta petis: sed Thybridas undas.
Nempe, ut pervenias quo cupis, hospes eris.
Utque latet, vitatque tuas abstrusa carinas,
Vix tibi continget terra petita seni.

Hoc duce (*nempe Deo*). Acerba inlusio, cui *nempe* eleganter *inservit*. V. Turnell. Op. l. in v: Hoc autem dicit, inquit Hubert., ut Aeneas minus sit cupidus parendi responsis Apollinis; dicit enim Eum esse causam malorum Aenëae etc.

142. *Teris*, consumendo perdis. Consulto praesenti tempore Dido vel Poëta utitur, ut res narrata in animum plus valeat.

143. *Pergama*. Arx Trojae a Priamo exstructa. Praecipua urbis parte nominata vix aliter fieri potest, quin totius urbis cogitatio animum subëat. Quae origo Synecdoches, partis pro toto.

Vix tanto etc. Commentarii loco sit versus Virg. L. IV. vs. 311. sq.

144. *Hectore si vivo, quanta fuere, forent*. In omnibus Edd. ante et post *quanta fuere* interpungitur, ut sensus sit: « Si vivus Hector esset, et tanta forent Pergama, quanta fuere." Sed quando? Quid sibi haec interrogatio velit, non capio. Tempus enim non quaeritur, quando haec futura sint; sed ponit tantum Dido, si forte, ut ante, staret Troja, etiam tum vix tanto labore Pergama repetenda esse. Vult autem Loers utramque interpunctionem tolli, atque interpretatur: « Si forent, tanta, quanta sub Hectore, i. e. cum Hector in vivis esset, fuerunt." Saepe enim, inquit Drakenb. ad Liv. L. II. c. 10. §. 12, eleganter vi *tantum*, sequente voce *quantum*, reticeri solet apud optimos scriptores. Exempla ibid. plura laudavit V. Cl.

145. *Simoënta*. Simois Phrygiae in Troïde flumen, ex Ida monte ortum. Non patriam, ubi Simois ex Ida defluit, classe petis. V. Lechevalier Beschreibung der Ebene von Troja.

Thybridas. Graeci per *h* efferunt: verum Latini frequentius dixerunt *Tyberim* et *Tiberim*; hinc Ovidius formavit adjectivum *Thybrides* in plurali. Oud.

146. *Nempe* etc. Nimirum, quamvis eo, quo cupis, deferaris, classem ad Italiae littus adpellas; tamen novus eris et advena, cum Ego te in regni Carthaginis parte locaverim. Virg. Aen. L. IV. vs. 374.

Hos potius populos in dotem, ambage remissa,
Accipe, et advectas Pygmalionis opes.
Ilion in Tyriam transfer felicius urbem:
Hancque, locum regni, sceptraque sacra tene.

147, 148. *Utque latet* etc. Terra, quam obnixe petis, ut nunc res se habet, tibi ignota est, et remotissima, ac te eo tendentem sponte fugit. Quid, quaeso, aliud eveniet, quam ut, si eam deprehenderis atque eo perveneris, per brevissimum tantum tempus laborum fructum capias; nam in quaetendo aetatis florem consumes, et senex vix tandem Italiam adfinges.

Ut expono, prout, ut nunc est, ut nunc habet. V. Turnell. in v.

Vitat. Discedendo sibi a te ipsa quasi cavet. V. Virg. Aen. L. V. vs. 629. Terra, inquit Drakenb., dicitur *vitare cursus*, quae tantopere abscondita et abstrusa est, ut quasi vitare videatur.

149, 150. *Hos potius* etc. Quin potius, diutius per maria errandi consilio omisso, regnum dotale, quod jam tibi tradidi, denuo oblatum adcipe, atque opes, quas, a Pygmalione speratas, huc transtuli.

Ambage. Ambago est longus viarum circuitus. Ovid. Metam. L. VIII. vs. 161, unde ad alia transfertur. Oud.

Remissa. Remittere spisse dicitur pro *desinere*, ut *remittere iter, laborem* etc. Oud.

150. *Advectas Pygmalionis opes.* Quas Pygmalion habere cupiebat et sperabat. Hubert. Virg. Aen. L. I. vs. 363. sq.

Quomodo, inquit Serv., Pygmalionis, si Sichaei erant? Solvitur: sed eas jam suas fecerat scelere, qui Sichaeum occiderat: aut ad animum retulit *avari*, qui opes alienas jam fecerat suas.

151. *Ilion* etc. Penates Trojanos Carthaginem transfer, ubi feliciorem quam Trojae sedem habeant.

Ilion. Penates Deos, imperii sedem, quae Trojae fuerat: Drakenb. veteres Ilii incolas intelligit, ut apud Virg. Aen. L. I. vs. 68. et Sil. Ital. L. I. vs. 43.

Tyriam — urbem. Serv. ad Aen. L. I. vs. 388. „Carthaginem, a Colonis."

152. *Hancque* etc. Hanc urbem, non illam, quam in Italia quaeris, tene locum regni tui, et ibi sceptra sacra habe. Burm. D. J. van Lennep de h. vs. judicium vid. in Animadv.

Sceptra sacra. Reges sub tutela Jovis sunt. Sceptra quoque non nisi auspicato daban-

Si tibi mens avida est belli, si quaerit Iulus
Unde suo partus Marte triumphus eat:
Quem superet, ne quid desit, praebebimus hostem.
Hic pacis leges, hic locus arma capit.
Tu modo, per matrem, fraternaque tela, sagittas,
Perque fugae comites, Dardana sacra, Deos:
(Sic superent, quoscumque tua de gente reportas,
Mars ferus et damnis sit modus ille tuis,

tur, ut auctor est Dionysius. Anton.

153 — 157. *Si tibi* etc. Si vero ea est tui abitus causa, quod hic tuae, quam in Troiani belli expositione mihi significasti, virtuti exercendae, ac bellandi cupiditati satisfaciendo locus non sit, nec habeat Iulus hostem, quem vincere possit; cumulate et hac re animum tuum explebimus: locus enim, quem incolimus, et pacem colendo, et bella gerendo aptus est atque idoneus.

Avida, valde cupida, in bonis et malis ponitur; *avarus* in malis tantum. V. Gesn. in v. *avarus*.

154. *Unde — triumphus eat.* E quo populo per se victo possit triumphare et in ea pompa circum vehi.

Loquitur scilicet more Romano *triumphum* adhibens pro *quavis magna victoria*, et ideo *ire* dicit, quia pompa ista ibat lente per praecipuas urbis plateas ad Capitolium. Sic Aen. L. II. El 9. vs. 16. Oud.

Suo partus Marte. Propriis viribus et consilio, nemine in laudis societatem veniente. Mars enim belli Deus illorum esse videtur, quibus favet, qui victoriam reportant.

155. *Ne quid desit*, ut omnia habeas cumulata, regnum et opes non tantum, sed et belli et victoriarum opportunitatem.

156. *Locus arma capit.* Aptus et idoneus est hic locus sive pacem colendo, sive bella gerendo et ad utrumque paratus. Metaphora sumta a mensura et spatio loci, qui dicitur proprie *capere* illud, quod suo spatio continere potest etc. Oud.

Elegans est usus verbi *capere*, ut innuat (Dido) eam esse indolem ac conditionem Africae, ut quis in ea invenire possit materiam belli, possit etiam pacem ponere. Drakenb. *Capere* vel *capax esse alicujus* dicitur, qui quid *sustinere*, *perficere*, *intelligere* potest. V. ad Lucan. L. I. vs. 461. Oudend. Ruhnk.

157 — 159. *Tu modo* etc. Huc retrahendum est, sive conjungendum in constructione

Ascaniusque suos feliciter impleat annos,
Et senis Anchisae molliter ossa cubent.)
Parce precor domui, quae se tibi tradit habendam:
Quod crimen dicis, praeter amasse, meum?
Non ego sum Phthias, magnisve oriunda Mycenis:
Nec steterunt in te virque paterque meus.

verbum *precor* ex vs. 163. Oud.

Parce tantum, precor per Venerem matrem et Cupidinis fratris sagittas, et Sacros Deos Penates, qui te in fuga comitati sunt, misereare illius domus, quae se tuae tutelae commisit. Nihil profecto in te peccavi, nisi meum in te amorem culpam putes. Cf. vs. 31. et Adn. ad h. vs. et vs. 27. Ep. II. Cf. Adn. ad vs. 80. h. Ep.

159. *Sic superent.* etc. (Ita ex animo opto, ut) supersint incolumes tui Trojani, quos tecum ex eversa patria servasti et huc appulisti. Oud.

Sic. V. Adn. ad vs. 135. Ep. III. Ep. IV. vs. 169. sq. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 314. *Superent.* Neutrum est. Oud.

160. *Mars ferus* etc. Et illud bellum sacrum ac ferale et efferum, quo Troja eversa est, sit ultimum tibi et finis tuorum damnorum. V. Adn. ad vs. 90. Ep. III. Oud. *Mars.* V. Adn. ad vs. 154. h. Ep.

161, 162. *Ascaniusque* etc. Atque Ascanius et felici quidem cursu ad vitae fines suis fatis positos perveniat, sive, ut interpretatur Drakenb., morte violenta ne pereat, sed temporis illud spatium, quod secundum generis humani conditionem ipsi ad vivendum datur, nulla interposita calamitate, feliciter transigat; et senis Anchisae ossibus terra sit levis.

Suos — annos. Sibi a natura praestitutos. *Suum* dicitur illius cui debetur. V. Carm. ad Liviam vs. 168. et ibi. not.

162. *Molliter ossa cubent.* Formularis est locutio, qua precabantur Manibus, ut placide quiescerent, iisque levis terra foret. Exempla plena manu congessere Brissonius de Form. L. I. pag. 87, 88. Kirchman de Funeribus L. III. c. 9. Oud. Filio et patri Aeneae optima quaevis adprecando suum in ipsum Aeneam amorem testatum facit.

165, 166. *Non ego sum* etc. Non ego sum mulier e Phthia seu filia Achillis; inde enim erat acerbissimus Trojanorum hostis, Achilles *Phthius* passim dictus. Nec ego sum Helena, quae tot mala vobis peperit. Ideo sequitur *Vir paterque*,

Si pudet uxoris: non nupta, sed hospita dicar.
Dum tua sit Dido, quodlibet esse feret.
Nota mihi freta sunt Afrum frangentia litus:
Temporibus certis dantque negantque viam.
Cum dabit aura viam, praebebis carbasa ventis.
Nunc levis ejectam continet alga ratem.

Menelai scil. et Achillis respectu. Oud.

166. *Nec steterunt in te.* Pugnarunt adversus te. Militare enim est verbum. Oud. Ovid. Trist. L. I. El. 2. v. 5. « Pro Troja stabat Apollo. » Cf. Ep. V. vs. 89, 90. De brevi verbi penultima consule Prosodiam Lat.

167, 168. *Si pudet uxoris* etc. Si pudet te habere me nomine uxoris, dicar amica et peregrina, sub quavis conditione, sive serva sive amica appeller, dummodo (te amare tecumque esse mihi liceat). Hubert.

Si pudet uxoris. Cf. Ep. III. vs. 69. sq.

168. *Tua.* V. Adn. ad Ep. I. vs. 1.

Quodlibet. Pro quaelibet. Eleganter enim et creberrime *hoc*, *illud*, *quod* dicitur *esse homo*, pro hujus, illius, cujus conditionis. V. Ep. IX. vs. 106. Ep. XI. vs. 24. Ep. XV. vs. 25. Oud.

169, 170. *Nota mihi — sunt.* etc. Mihi, quae Libyci maris ac Syrtium in varia vada per fluctus abruptarum naturam probe cognitam habeam, credas rogo, cum tibi persuadeam, ut abitum differas: tempora enim fixa sunt, quibus eundi opportunitatem vel dant, vel negant.

Frangentia. Vid. D. J. van Lennep Animadv. ad h. vs. Mihi, inquit Oud., Ovidius videtur describere naturam Syrtium in varia vada per fluctus abruptarum. *Fracta* ergo *litora* sunt, ubi nunc vada arenosa et brevia, nunc mare est altius, quomodo dicuntur *campi fracti fossis.*

171. *Cum dabit aura viam* etc. Cum nihil ab hieme tempestatibusque tibi timendum erit, per me abire tibi licebit, tempus adesse tibi dicam, quo vela ventis dare debeas.

172. *Nunc levis* etc. Hoc temporis puncto, quo mare rapidis ventis turbatur, alga, levis naturâ, cursum sistit, prohibet navem, *si portu ejicitur.*

Alga. Herba maris, quae in tempestate tollitur super undas et interdum moratur naves. Hubert.

Ejectam. Auctoritatem Heusingeri in explicando participio secutus sum.

Tempus ut observem, mandata mihi; certius ibis:
Nec te, si cupies ipse, manere sinam.
Et socii requiem poscunt, laniataque classis
Postulat exiguas semirefecta moras.
Pro meritis, et si qua tibi praebebimus ultra,
Pro spe conjugii tempora parva peto.
Dum freta mitescunt, et amor: dum tempore et usu
Fortiter edisco tristia posse pati.

173, 174. *Tempus ut observem* etc. Vides, me eundi opportunitates probe noscere; mihi igitur committe negotium videndi, utrum mare et venti tibi ad navigandum conducant, nec ne, unde fiet, ut tutius eas. Nec timeas, ne eo animo eam in me suscipiam temporis observandi curam, ut diutius te morer; meus enim in te amor, salutisque tuae studium in causa sunt, quare ita agam, cum, etiamsi ipse cuperes, tempore ipso ad navigandum opportuno te manere non sinerem.

175, 176. *Et socii.* Est profecto et alia ratio, quare discessum differre debeas. Socii enim tui laboribus et periculis ita exhausti et adflicti sunt, ut, si salvos velis, requiem illis ac recreationem concedere cogaris. Exiguum praeterea morandi tempus requiritur, ut classis, ventis lacerata ac quassata, necdum refecta, in pristinum statum restauretur, ac redintegretur.

Socii. Comites maritimi, nautae seu socii navales. Oud.

Poscunt, *postulat.* His in verbis necessitatis inesse notionem, quisque videt. *Laniata* a laniandis sive membratim discerpendis pecoribus desumta Metaphora. *Laniare* mundum venti dicuntur ab Ovid. Metam. L. I. vs. 60. Oud.

176. *Exiguas* non sine consilio scripsit Dido, ne temporis longitudine omnem Aeneas rejiceret moram.

177, 178. *Pro meritis* etc. Pro tot in te a me profectis beneficiis, et pro illis quae praeterea, ut ait Burm., libens praebitura sum, pro spe conjugii, quam mihi fecisti, nihil nisi temporis particulam, vel, ut canit Virg. Aen. L. IV. vs. 433, *tempus inane* peto, qui Virgilianus locus cum Ovidiano omnino conferendus est, inde a vs. 430.

179. *Dum freta mitescunt et amor.* Discessum, quaeso, differas, *dum* sive donec ad tranquillitatem redierit et mare et amor. Utrumque enim et mare et amor cum non satis voto

Sin minus; est animus nobis effundere vitam.
In me crudelis non potes esse diu.
Adspicias utinam, quae sit scribentis imago!
Scribimus; et gremio Troïcus ensis adest:
Perque genas lacrimae strictum labuntur in ensem;
Qui jam pro lacrimis sanguine tinctus erit.

nostro respondent, et alterum tempestuosum, alter vehemens est nec secundus, dicuntur esse *aspera*, *acerba*, *dura*, *irata* etc. Iis vero contrarium est *mitescere* sive placidum et tractabile fieri; amor enim inmitis est dominus, si non prosper. V. Tibull. L. III. El. 4. vs. 73. sq.

180. *Dum tempore et usu*, quibus, inquit Oud., omnia discuntur, plane et penitus (hanc enim vim praep. *e* habet) disco, adversa forti animo pati posse.

« Dum mea me victam doceat fortuna dolere."
Virg. Aen. L. IV. vs. 434.

181, 182. *Sin minus* etc. Si vero parvum illud, quod, ut tristia fortiter pati ediscam, pro tot meritis peto, mihi negaveris, consilium cepi sanguinem meum, vitam adeo, perfosso pectore, effundendi. Quo fiat, ut tuam in me crudelitatem diu exercere nequeas.

Sin minus. Formularis est locutio, pro: si negas ea, quae peto. Cf. Am. L. I. El. 4. vs. 68. Oud.

Est animus — effundere. Hunc Graecismum saepius notavi. Cf. Ep. II. vs. 43, 44. Ep. III. vs. 146. Ratio loquendi *Effundere vitam*, inquit Drakenb., desumta est ab opinione illorum Philosophorum, qui vitam humanam atque animam consistere credebant *in sanguine*; quemadmodum contra *extingui* pro *mori* desumitur ab opinione illorum, qui credebant, animam humanam *ignem* esse.

183, 184. *Adspicias utinam* etc. Quam vellem, ut mihi adesses et videres, qualis mei scribentis species sive adspectus esset, quo facto non dubitabam, quin commovereris. Etenim ita scribo, ut Troïcus gladius in gremio jaceat vagina vacuus.

Quae pro *qualis* poni, et, me non monente, intelligis.

186. *Troïcus*. A te, Trojano, mihi relictus, quem tu Aeneas mihi Didoni donaveras. V. Virg. Aen. L. IV. vs. 507.

185. *Perque genas* etc. Cf. Ep. VIII. vs. 62. Ep. XXI. vs. 194. Ep. VI. vs. 63. Ep. XIX. vs. 25.

186. *Jam*. V. Adn. ad vs. 49. h. Ep.

Quam bene conveniunt fato tua munera nostro!
Instruis impensa nostra sepulcra brevi.
Nec mea nunc primo feriuntur pectora telo:
Ille locus saevi vulnus Amoris habet.
Anna soror, soror Anna, meae male conscia culpae,
Jam dabis in cineres ultima dona meos.

Tinctus. Infectus, commaculatus.

187. *Quam bene conveniunt* etc. Ironice loquentem Didonem puta. Gladius, tuum munus, egregie aptus est ad fatum meum, quod me mea manu perire jubet! *Quam* particula *positivo* addita, observante Drakenb., conciliat ei significationem *superlativi*, ut h. l. *quam bene* sit *optime*. Ovid. Am. L. II. El. 4. vs. 6. Fast. L. VI. vs. 187.

Conveniunt. In eundem locum veniunt, congruunt, consentiunt, se mutuo juvant.

188. *Instruis* etc. Exiguis sumtibus exsequias meas ornas.

Impensa brevis quae sit, vix intelligo. Explicui, tanquam legeretur, *levi impensa*. Cf. Ovid. A. A. L. II. vs. 255. Exiguos enim sumtus in gladio donando insumserat Aenëas. Nisi *brevi* cum Heinsio exponere malis *intra breve tempus* et *impensam* intelligere „quidquid ad ornandum sepulcrum confertur." Quocum consentit Oud. Et Drakenb. et Ruhnk. *brevi* exponunt *parva impensa*, quorum Ille laudat Ovid. Ep. VIII. vs. 93. Metam. L. IX. vs. 226. et Ep. XVIII. vs. 174. ubi aqua *brevis* est aqua *angusta*.

189. *Nec mea* etc. Quid haec sibi velint, si judicii lance ponderantur, equidem non capio. Sensus, ni fallor, hic est: Hic gladius a te mihi donatus, et mox sanguine meo tingendus, meo pectori non primum infliget vulnus.

190. *Ille locus* seu pectus illud saevi amoris jam vulnus habet, h. e. jam antea vulneratum erat a crudeli Amore, quem in te conceperam.

191. *Anna soror, soror Anna* etc. Mei in Aeneam amoris in meam perniciem conscia mox mihi in cineres versae justa persolves.

Anna soror, soror Anna. Habent et amoris et commiserationis significationem. Ad absentem sororem est apostrophe, quam, cum se vellet trucidare, sub commento res magicas deferendi a se dimiserat. Anton. V. Aen. L. IV. vs. 492 et 634.

Meae — culpae. Cf. supra vs. 97. et Adn. ad h. vs.

Male. In exitium meum; A-

Nec, consumta rogis, inscribar Elissa Sichaei;
Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit:
Praebuit Aeneas et caussam mortis et ensem.
Ipsa sua Dido concidit usa manu.

moris enim conscia malum Amori frena laxandi ac furori concepto indulgendi consilium sorori dederat. Virg. Aen. L. IV. vs. 31.

192. *Ultima dona.* Mortuae praestandae exsequiae, quaeque pietas jubet, justa funebria. V. S. Pitisci Lexic. Antiq. Rom. Editionis, qua ego utor, tom. II. in v. *Justa.* Kirchm. de Fun. L. III. c. 5.

193. *Nec, consumta rogis* etc. Et quamvis cremata hac inscriptione sepulcrali non orner, adeoque non *inscribar*, *Elissa Sichaei* conjux; tamen hoc carmen erit in tumuli marmore. Cf. Adn. ad vs. 146. Ep. II.

Inscribar. Intelligo *quamvis*, quia, meo quidem sensu, hanc inscriptionem *Elissa Sichaei* in tumulo non futuram praevidebat.

194. *Carmen.* Cf. Ep. II. vs. 146. et Adn. Kirchm. l. l. c. 19.

195, 196. *Praebuit Aeneas* etc. Pro commentario sit vs. 147, 148. Ep. II. Fast. L. III. vs. 549. sq. totidem verbis hoc distichon repetitur et A. A. L. VII. vs. 39, 40. Ceterum, inquit Oud., responsio quasi Aeneae ad hanc epistolam ficta est egregie a summo Poëta N. Heinsio El. I. Juvenilium carminum.

EPISTOLA VIII.

HERMIONE ORESTAE.

ARGUMENTUM.

§. 1. Quamvis certo definiri tempus nequeat, quo Hermione has ad Orestem literas dederit, vero tamen simillimum mihi quidem cum Meziriaco in commentario ad hanc epistolam vi-

detur, non nisi post criminis expiationem ab Oreste factam huic, Mycenis jam regnanti, quae sentiebat, perscripsisse Hermionem.

§. 2. Quodnam vero crimen commisisset Orestes paucis exponere non alienum videtur. Graeci nempe Heroes post decem annorum in Trojae obsidione consumtorum absentiam cum longis erroribus in mari jactati tandem in sua quisque regna rediissent, ita omnia inveniebant inmutata, civium et cognatorum animos adeo a se alienatos ut bona vel direpta vel ab alio possessa obsiderent, vel urbe ac regno a suis et alienis arcerentur, vel uxores maritorum absentiam pertaesas aliis nuptas viderent, aut in adulterio viventes.

§. 3. In his et fuit Agamemnon, cujus uxor Clytemnestra, Tyndarei regis e Leda filia, cum Aegistho, Thyestae e filia Pelopea nato, in adulterio, absente marito, vixerat. Vixdum ergo in patriam reversum Agamemnonem, ut domum novis nuptiis vacuam redderent uxor et adulter, dolo interfecerunt, eademque ratione Orestem de medio tollere conati sunt.

§. 4. Electra autem Aegisthi et matris consilium suspicans fratrem periculo exemit, et per fidelem ministrum in Phocidem ad Strophium deduci jussit, qui Astyocheam, Agamemnonis sororem, duxerat uxorem, cujus cum filio Pylade eam tum Orestes junxit amicitiam, quam praedicare sequens aetas numquam desiit.

§. 5. Postquam vero Aegisthus per septem annos patris regnum et uxorem habuisset, consilium cum Pylade init Orestes, matrem ejusque conjugem interimendi, ac regnum suum recuperandi. Consilio respondit eventus. Fieri tamen per rei naturam non poterat, ut quiescere filius, qui matrem occidisset, ullo unquam posset tempore. Furiis itaque agitatus quo se verteret Orestes, nesciebat, donec ex oraculi responso Athenas, ubi Mnestheus regnabat, adiit, ut, Furiis accusantibus, ejus causam cognoscerent, qui in Areopago sedebant judices, a quibus crimine ita absolutus est reus, ut quaedam tamen ex Furiis eum persequi non desisterent. Cf. Goguet de l'origine des Lois etc. Vol. II. p. 37. sq. Edit. Paris. 1820. et Meziriac in Ep. Ovid. tom. II. pag. 271.

§. 6. Quam ob rem oraculum Delphicum iterum adiisse narratur, unde hoc responsum tulit, fore, ut, si e Taurica Chersoneso Dianae statuam abstulisset, ab insania omnino liberetur. Nec mandatum exsequi dubitavit Orestes, et, comitante amico Pylade, in Peninsulam abiit, ex qua, adjuvante sorore Iphigenia, quam a Diana ex Aulide eo, ut certae

morti eriperet, translatam, hujus Deae Sacerdotem rex Thöas fecerat, Deae simulacrum Ariciam in Latium transtulit, quo facto salutem recuperavit, et Mycenas, ut paternum regnum occuparet, reversus est.

§. 7. Quo postquam rediisset, audivit, Hermionem, Menelai et Helenae, sororis Clytemnestrae, filiam, quam, Menelao sub Troja pugnante, Tyndareus avus maternus ipsi desponderat, Pyrrho Achillis filio nubsisse, cui quidem Pyrrho ob res in Trojano bello strenue gestas Menelaus pater, eorum, quae Tyndareus fecerat, inscius, Hermionem filiam promiserat uxorem. Hermione, Orestis, quem pluris quam Pyrrhum aestimabat, reditu intellecto, hanc, quam interpretaturi sumus, epistolam scripsit, qua, quam grave et durum sibi sit cum Pyrrho matrimonium, significat, si matrimonium, ac non potius servitus dicenda sit in quam se, repugnantem licet, contra justitiam ac pietatem abduxerat Aeacides. 'Age, inquit Oreste, tuam tibi sponsam vindica; majoris certe ego a te fieri debeo, quam haves, quos tibi raptos quocumque modo, armis etiam, repetas. Quod si exemplum requiras, quo doceare, quid pro conjuge audendum sit, Menelaum patrem vide. Nec tamen, quamvis pro uxore bella movisse viro honori ducam, tot ac tanti labores ac pericula, ut me recipias, subeunda sunt, ipse venias et tua in me jura tueare, ad quae tuenda et consanguinitas monet et injuria, qua te adfecit Pyrrhus me tibi ab avo desponsam abducens. Nec est, quod Menelao patri meo displiceat, qui suo ipse exemplo demonstravit, quanto odio conjugum raptores persequendi sint. Origine vero et virtute non es inferior Pyrrho, quamvis a fortuna aliam tibi oblatam fuisse occasionem malim, in qua tuam fortitudinem exercuisses. Fato autem suo quis resistat? Et ipsa generis fatum deploro, quo plurimae ex gente mea feminae raptoribus praeda fuerunt, uti ego sum etiamnum. Nec tamen mihi conscia sum, quo tandem crimine fortunam adversam, qua a teneris inde annis conflictata sum, meruerim. In tot tamen malis tu solus mihi solatio eras et gaudio; quae tuis in longinquas terras itineribus mihi perierunt omnia. Quod si, te reduce, in Pyrrhi raptoris potestate permaneam, quid aliud futurum credas, quam ut aegritudine et lacrymis consumta ante tempus moriar.

ADLOQUOR Hermione nuper fratremque virumque;
Nunc fratrem: nomen conjugis alter habet.
Pyrrhus Achillides, animosus imagine patris,
Inclusam contra jusque piumque tenet.

Vs. 1—5. *Adloquor* etc. Cum te conveniendi potestas mihi denegetur, per hanc epistolam tecum jam Mycenarum rege ego Hermione, (quod solum nomen in memoriam tibi revocabit, quam vehementer te amaverim) conloquor, qui ante profectionem tuam et frater patruelis et conjux mihi eras, nunc frater tantum es, cum Pyrrhus Achillis filius *nomen* conjugis habeat; conjux tamen, qualem amore mihi mutuo junctum dico, recte adpellari nequeat: etenim eadem, qua pater, superbia elatus, divinis humanisque legibus spretis, me, uxorem scilicet, in carcerem quasi non modo conjecit ad tempus, sed etiamnum vinculis retinet.

Hermione. Cf. Adn. ad vs. 84. Ep. I. et Argum. §. 7.

Nuper. V. §. 7. Argum.

Fratrem. Patruelem nempe. V. Argum. §. 3, 4, 7. Apud Romanos, inquit J. Perizonius Animadv. Hist. c. 3. p. 105, quia olim fratres et eorum liberi in unius avi, si superesset, manebant simul domo et potestate; inde factum, ut et ex fratribus orti et ita pariter educati, *fratres* inter se dicerentur, sed addito vel intellecto *patrueles*, h. e. ex patruis alter alterius geniti et ad unum avum tanquam totius familiae patrem pertinentes.

Omnium omnino veterum populorum eam consuetudinem fuisse probat Meziriac in not. ad h. vs. ut, qui linea collaterali, quam dicunt Jurisconsulti, consanguinei essent, *fratres* adpellarentur.

Sunt qui dubitent, an hi duo priores versus Ovidiani habendi sint. Quare ita judicent vid. in Animadv. Lennepianis ad h. vs., qui suam ibidem sententiam exposuit, cui meum calculum adjicio.

3. *Pyrrhus.* Achillis ex Deidamia, Lycomedis Scyri insulae regis filia, quo tempore Achilles ibi sub puellari habitu latebat, prognatus, Peleï et Thetidis nepos, Aeïci pronepos. Cf. §. 7. Argum.

Animosus. Superbus, magnos spiritus gerens. Oud. Violentus, ut explicat Burm. ad Ovid. Am. L. I. El. 15. vs 19. Eodem sensu Pyrrhi pater *animosus* vocatur ab Hor. Serm. L. I. Sat. 7. vs. 12, q. l. in Animadv. laudat van Lennep. Alibi, inquit Drakenb. *animosus*

Quod potui, renui; ne non invita tenerer: —5
Cetera femineae non valuere manus.
Quid facis, Aeacide? non sum sine vindice, dixi:
Haec tibi sub domino, Pyrrhe, puella suo est.

bono sensu usurpari solet pro *forti*, *strenuo*. V. Ovid. Ep. XIII. vs. 91.

Imagine patris. Ad exemplum patris. Van Lennep ad h. vs. Imaginem pp. sic. dictam intelligunt Drakenb. ad h. vs. Ond. ad vs. 35. Ep. VII.

4. *Inclusam — tenet.* Participium *antecedens*, tempus *praeteritum*, verbum praesentissimum temporis punctum indicat. Inclusit adeo quasi feram et adhuc captivam tenet. Cf. Ovid. Am. L. I. El. 4. vs. 61. Burm. ad h. vs.

Jusque piumque. Alias *jus fasque*, i. e. humana et divina jura. Serv. ad Georg. L. I. vs. 269. *Pium* quid dicatur vid. in Adn. ad vs. 85. Ep. I.

5—9. *Quod potui* etc. Ne vero credas, me, quantum vires paterentur, Pyrrho non significasse; ejus mecum agendi rationem mihi prorsus displicere. Intra minas autem mea substitit indignatio atque ira. Vim enim vi repellere qui imbecillis femina possit? Quid tu agis, inquiebam, qui ave Aeaco gloriaris? nostine, me recens nuptam esse in dominio mariti, qui suo me jure sibi vindicet.

5. *Quod potui*, i. e. quantum potui. De hac locutione V. Burm. ad Lotich. L. IV. El. 3. vs. 159. Loers in spec. l. horum verborum hunc esse sensum putat. « Quod unum potui sc. *renuere*, *non consentire*, feci — cui aptissime respondit, *Cetera femineae non valuere manus*. Eadem, inquit Idem, sententia recurrit Ep. XVII. vs. 24. Cf. P. van Schelle Michal aan David pag. 9, 10.

Renui. Renuere est nutu aliove signo palam facere, aliquid nobis non placere.

6. *Cetera*, praeter *renuere*. Hubert. Cf. van Schelle Thamar aan Amnon pag. 36.

7. *Quid facis.* Reprehendentis est, quo sensu Terentius in Andr. Act. I. sc. 1. vs. 107. dixit, *quid agis?*

Aeacide. V. Adn. ad vs. 3. Ep.

7, 8. *Non sum sine vindice* etc. Hoc ex jure Graeco et Romano desumtum est. Uxor enim non est sui juris sed in dominio mariti, quam ideo raptam summo jure vindicare potest et sibi adserere. Oud.

8. *Haec.* Demonstrative *sub domino*. Vel, quia uxor maritum *dominum* vocare solebat. Tibull. L. I. El. 1. vs. 7. vel quia ab Oreste emta erat per

Surdior ille freto clamantem nomen Orestae
Traxit inornatis in sua tecta comis.
Quid gravius, capta Lacedaemone, serva tulissem,
Si raperet Grajas barbara turba aurus?

dotem, quemadmodum tempore heroïco fiebat. Burm. ad Ovid. Ep. IV. vs. 163. Drakenb.

Tibi. Ferme in oratione vacat, inquit Drakenb. ad h. vs. et ad Sil. Ital. L. I. vs. 46, et ornatus gratia additum. Mihi a Viro Cl., multis aliis ad Sil. Ital. vs. laud. citatis, dissentire liceat, qui, quod vacat, omni ornatu carere contendam. Equidem interpretor *Tibi*, respectu, ratione tui.

Puella. Cf. Adn. ad vs. 29. Ep. I.

9—15. *Surdior* etc. Uti mare saevum naufragorum vota ac preces non exaudit, ita ferreus ille hisce meis dictis non tantum non motus est, sed me, te tanquam Deum tutelarem invocantem, incomtis crinibus in suas traxit aedes. Quo quid gravius mihi adcidere potuisset, si, Lacedaemone expugnata, ab exteris in servitutem fuissem abducta? Equidem mihi persuasum est, Andromachen, *Hectoris* quamvis uxorem, mitius tractatam esse ab Argivis, opulentam Trojam incendio delentibus, licet victoriae jure uti potuissent.

9. *Surdior freto.* Cf. Ovid. Ep. XVIII. vs. 211. Rem. Am. vs. 597. A. A. L. I. vs. 531.

Ille pronomen demonstrativum in bonam et malam partem adhibetur. Cf. Adn. ad vs. 20. Ep. II.

Orestae. Genitivus a nom. *Oresta*, de qua Graecorum nominum apud Latinos terminatione haec scripsit Voss. de Analogia L. II. c. 2. „Sane Latini quidem et inprimis vetustiores abhorruisse videntur a positionibus Graecis, cum ea quae apud hos in *as*, *es* vel *e* desinunt, per *a* efferre consueverint.“

10. *Traxit.* Nolentem scil. trahimus, ducimus volentem.

Inornatis. Burm. ad v. *traxit*, „ est, inquit, elegans obpositio violenti raptus, et placidae deductionis sponsae. Quam *ducere* debebat *ornatam* et *comptam*, eam vi *traxit* inornatis capillis.“ V. Ep. IX. vs. 125. et Ep. XII. vs. 156.“ Cf. L. Bosii Antiq. Gr. etc. descriptio br. Pars IV. c. 2. et auct. ibi cit. P. van Schelle Michal aan David pag. 12.

11. *Serva.* Eo autem tempore urbis expugnatae cives in servitutem abducere moris fuisse res est notissima. Indicat vero haec in servitutem abductio tum temporis Graecos jam humaniores esse factos, cum

Parcius Andromachen vexavit Achaïa victrix,
Dum Danaus Phrygias ureret ignis opes.
At tu, cura mei si te pia tangit, Oreste,
Injice non timidas in tua jura manus.

antea captos occidere solerent.

12. *Raperet.* V. Adn. ad Ep. V. vs. 121.

Barbara. Observandum est Graecos adpellasse *barbaros*, qui diversa religione et lingua utebantur. V. Fest. de Verb. signif. in v.

Turba. V. Adn. ad vs. 88. Ep. I.

Nurus. Poëtae in genere intelligunt *quascunque* puellas sive feminas. V. Ovid. Ep. XVI. vs. 184. Ep. XVII. vs. 218. Drakenb.

13. *Andromachen.* Eëtionis Thebarum regis filiam, Hectoris uxorem, Troja a Graecis deleta, a Pyrrho captivam in Epirum abductam esse quis nescit?

Parcius — vexavit. Vexare grave verbum est et majoris emphasis, quam vulgo existimatur; uti patet ex Gell. N. Att. L. II. c. 6. et Cic. Act. II. in Verrem c. 55. Drakenb. *Vexatam*, inquit Gell., Italiam dixit Cato ab Hannibale, quando nullum calamitatis aut saevitiae aut immanitatis genus reperiri queat, quod in eo tempore Italia non perpessa sit.

Parcius valet *levius*. Cf. Horat. L. I. Od. 35. vs. 1. Sil. Ital. L. XV. vs. 759. Drakenb.

Achaïa. Per Synecdochen, quam Grammatici dicunt, continens pro contento. *Achaei* praecipua Trojani belli tempore in Peloponneso gens, cujus uti et Danaorum nomen Homerus ad Graecos, qui generali, quo a ceteris populis distinguerentur, adpellatione carebant, significandos usurpare solet. Cf. Adn. ad vs. 3. Ep. I.

Victrix. Quod nomen ei Achaïa subjunxit Ovidius, ut, quo jure saevior esse potuisset, indicaret.

14. *Danaus.* V. Adn. ad vs. 3. Ep. I.

Phrygias — opes. Erat enim Troja ditissima regio. Hubert. Cf. Adn. ad vs. 3. Ep. I.

Uranet ignis. Cf. vs. 3, 4. Ep. I. et not. ad h. vs.

15 — 21. *At tu* etc. Nullone contra tu, Oreste, cui meam pietatem satis superque probatam puto, mutuo in me exardescere amore? Quis te metus prohibet, quo minus statim tuo jure me tibi vindices? si boves, quos effractis stabulis eduxerat raptor, ferro repetendos censes; quidni conjugem, eamque tui amantissimam repetas?

At. Contra. V. Turnell. de Part. L. I. in v.

An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis,
Arma feras? rapta conjuge lentus eris?
Sit socer exemplo, nuptae repetitor ademtae:
Cui pia militiae caussa puella fuit.
Si socer ignavus vidua sedisset in aula:
Nupta foret Paridi mater, ut ante fuit.
Nec tu mille rates sinuosaque vela pararis,
Nec numeros Danaï militis: ipse veni.

Cura pro *amore* obcurrit et apud Virg. Aen. L. IV. vs. 1. *Pia.* V. Adn. ad vs. 4. h. Ep. *cura* dicitur, ut in vs. seq. *manus timidae.* Cf. Adn. ad vs. 10. Ep. I.

16. *Injice.* Verbum est juris. Dicitur enim injicere manus, qui nulla judicis auctoritate exspectata, rem sibi debitam vindicat. Hubert. Brissonius de verb. signif. in v. *manus.*

In tua jura. Cf. Adn. ad vs. 7, 8. h. Ep.

17. *An, si* etc. Argumentum a minori ad majus. Clos. *Reclusis.* V. van Lennep ad h. vs. *Probabilem* Burm. conjecturam, cujus meminit van Lennep d. l., dixit Ruhnk. ad h. vs.

18. *Lentus.* V. Adn. ad vs. 22. Ep. III.

19 — 23. *Sit socer exemplo* etc. Quod si exemplum, quod imiteris, desideras. In manibus est. Pater enim meus, Menelaus, socer tuus tanta, ob raptam sibi a Paride uxorem, ingravit ira atque indignatione, ut exercitum et classem, qua adamatam conjugem repeteret, pararit. Quod si in aedibus, unde Helenam secum duxerat adulter, mere ac desidiosus hacsisset et tuus socer, in Paridis potestate maximo ejus dedecori mater permansisset.

20. *Puella.* Cf. supra vs. 8.

Pia caussa. Ex pietate orta, profecta. Cf. Adn. vs. 4 et 15. h. Ep.

Militiae. Expeditionis militaris. Ovid.

21. *Ignavus — sedisset.* Adjectivum caussam aperit, *propter ignaviam. Sedere* est verbum usitatum de otiosis, qui nihil agendo tempus inutiliter terunt. V. Burm. ad h. l. et ad Sil. Ital. L. XII. vs. 64. Drakenb. Cf. not. ad vs. 76. Ep. II.

Vidua — in aula. Rapta Helena. Cf. Adn. ad vs. 20. Ep. I.

22. *Paridis.* Cf. Argum. Ep. I.

23 — 27. *Nec tu* etc. Non tamen ad me recuperandam tibi ingenti classe et magno armatorum Danaorum numero opus est, id tantum postulo, ut incomitatus venias. Ne vero haec a me ita scribi putes;

Sic quoque eram repetenda tamen: nec turpe marito
  Aspera pro caro bella tulisse toro.
Quid? quod avus nobis idem Pelopeïus Atreus?
  Et si non esses vir mihi, frater eras?
Vir, precor, uxori, frater succurre sorori:
  Instant officio nomina bina tuo.

quasi marito dedecori esse credam, ipsum, si aliter fieri non possit, armata manu suam sibi repetere conjugem.

23. *Mille.* Numerus definitus. V. not. ad Sil. Ital. L. III. vs. 229.

Sinuosaque vela. Quae, cum vento inplentur, sinus faciunt; unde *sinus* passim pro ipsis *velis*. Oud.

Pararis. Secunda persona sing. perf. subj. per ellipsin explicanda, *non est negotium, propter quod paraveris.* De qua ellipsi, et perfecti illius significatione l. not. Periz. ad Sanct. Minerv. L. I. c. 12. pag. m. 99. nº. 6.

Ceterum observes, Hermionem hic a rei facilitate argumentum petere.

24. *Numeros.* Multitudinem. Burm.

Ipse, non alius.

25. *Sic quoque. Vel sic*, i. e. mille ratibus etc.

26. *Aspera.* Periculosa, et quae, sicuti sentes aculeis asperi pungunt, et quasvis molestias et pericula inferunt.

Caro — toro. V. ad vs. 78. Ep. V.

27 — 31. *Quid? quod* etc. Quod si sola matrimonii jura ad animum tuum permovendum non satis valeant, consanguinitatem nostram cogita. Neque enim te talem mihi fingere possum, qui neges eodem nos stirpe prognatos esse, ita ut, quamvis meus maritus non esses, tamen fraterno mihi jungereris animo. Cum vero et conjugis et fratris titulo mihi devinctus sis, quid, quaeso, dubites, cum utrumque nomen te ad tuum officium propellat, mihi quantocius auxilium ferre atque opitulari?

27. *Quid? quod.* Interdum, inquit Tursell. in v. *quid*, adsciscit *quod*, vehementius instandi gratia. Elliptica locutio ita subplenda: « *quid illud est, quod.*"

Pelopeïus Atreus. Pelopis ex Hippodamia, filia Oenomai, filius erat Atreus, Tantali nepos.

28. *Et si* etc. Cf. Argum. §. 7. et Adn. ad vs. 1. h. Ep.

29. *Vir* etc. Quod notatum est a V. V. D. D., inquit Hugo Grotius in Adnot. ad Matthaei c. 1, *maritum* atque *uxo-*

Me tibi Tyndareos, vita gravis auctor et annis,
Tradidit: arbitrium neptis habebat avus.

rem etiam ex sponsalibus dici, non Hebraeorum tantum sed et aliarum gentium institutis convenit. Nam et servius Juris Consultus (citante Pomponio) recte dicebat *soceri* et *socrus*, et *generi* et *nurus* appellationem etiam ex sponsalibus acquiri."

30. *Instant*. Propellunt, urgent, ut officio satisfacias. V. Sil. Ital. L. VII. vs. 349.

Nomina. Nescias, inquit Bentlej. ad Horat. Carm. L. III. Od. 27. vs. 34, utra ea sint nomina, *virne* et *frater*, an *uxor* et *soror*. Priora tamen magis placent, quia continuo praecesserat illud. « Et si non esses *vir* mihi, *frater* eras." Cf. Valcken. ad Euripidis Phoeniss. vs. 415. pag. 154.

31—35. *Me tibi Tyndareos* etc. Legitimas esse, quas tecum inii, nuptias, in dubium certe non vocabis; etenim Tyndarus, matris meae (Helenae) pater, matrimonii nostri auctor cum moribus, tum senectute venerabilis, me tibi uxorem dedit, quod, quia neptis in avi potestate erat, *suo jure* potuit. At, forte repones, jus illud ad patrem Menelaum pertinet, qui, quid avus maternus fecisset nescius, me Pyrrho ad Ilium despondit. Sit ita sane, sed de jure patriae potestatis lege concesso non quaero. Jus avi dico curam, cui pater peregre proficiscens me demandaverat; cujus consequens esse debet, promissionem avi, cum prior me tibi in matrimonium tradiderit, etiam plus valere, quam Patris, qui suam potestatem in Tyndarum avum transtulisse videatur.

31. *Tyndareos*. V. Argum. §. 7. De terminationibus Graecis in ος, ου, ως et ωυ vid. G. J. Vossius de Anal. L. II. c. 7.

Vita. Bonis moribus, vita bene acta. Cf. Ruhnkenius in scholis ad Terent. Andr. Act. I, sc. 3. vs. 5. cura Ludovici Schopeni.

Annis. Aetate, senectute. Mens enim, ut ait Cic. de Senectute c. 19, et ratio et consilium in senibus est. Qui ergo *graves*, venerabiles jure habentur.

32. *Arbitrium*. Ex legibus Romanis, Leg. 9, 10. Pand. de Ritu Nupt. et Leg. 25. Eod. dilucide cum adpareat, arbitrium neptis, quod habere Avum dicit Hermione, non esse jus patriae potestatis, vocem *arbitrium* mihi ita interpretor, ut sit cura a proficiscente patre Avo commissa, cujus vi pro arbitrio statuere de Nepte posset. « Id utrum juri communi, vel Romano conveniat, inquit van Lennep ad h. vs., certe non quaerendum est hoc loco" Neque ego hoc, in femi-

At pater Aeacidae promiserit inscius acti:
Plus quoque, qui prior est ordine, possit avus.
Cum tibi nubebam, nulli mea taeda nocebat:
Si jungar Pyrrho, tu mihi laesus eris.
Et pater ignoscet nostro Menelaus amori:
Succubuit telis praepetis ipse Dei.
Quem sibi permisit, genero permittet amorem:
Proderit exemplo mater amata suo.

na praesertim, ad vivum resecandum esse autumo. Ceterum cf. meam interpretationem cum Lennepiana.

33. *At* in objectionibus et responsionibus saepius adhiberi, quis est, qui nesciat?

34. *Prior — ordine.* Prius, quam pater desponderat. Ruhnk. h. vs. ita interpretatus est. « Demus patrem meum, qui prior est ordine, plus posse quam avum; at aequius, avum vincere; ille enim me tibi despondit eo tempore, quo neminem ea re laedebat. Van Lennep: *prior ordine nascendi.* Eodem sensu vocem *ordine* adcepit J. van den Vondel, qui vertit.

Maer Grootvader heeft meer regt om zijn jaren en maght.

Meziriacus de vocis significatione forte dubius vertere neglexit.

Qui plura de his legere velit, adeat Burmanni Adn. ad h. vs.

35—41. *Cum tibi nubebam* etc. Et habent nostrae nuptiae, quo se ab honesto commendent, etenim cum in tuam viri potestatem tradebar, nemini fiebat injuria. Si vero in Pyrrhi conjugio permaneam, tibi a me injuriam factam neges? Nec est, quod iniquo animo Patrem nostrum amorem laturum credas. Cupidinis enim, alitis illius Dei, telis vulnera sibi facta ipse persensit. Adeone injustum tibi fingis patrem meum, ut, sibi quod indulserit, tibi sit denegaturus. Tantum vero abest, ut tibi me adamanti veniam non sit daturus Menelaus, ut ipse matrem, cujus amore deperibat, vi armata repetendo exemplum dederit, quod imiteris.

35. *Nubebam — taeda.* Cf. Adn. vs. 120. Ep. II.

36. *Si jungar Pyrrho.* Scil. matrimonio.

Mihi laesus eris. Graeca constructione pro *a me.*

38. *Succubuit.* Victus jacuit.

Praepetis. Volucris, alatae. Cf. Ep. XVI. vs. 201. V. Onom. Poët. Dorn Seiffeni in v. *Cupido.*

39. *Permisit.* Concessit. Si-

Tu mihi, quod matri pater es, quas egerat olim
Dardanius partus advena, Pyrrhus agit.
Ille licet patriis sine fine superbiat actis:
Et tu, quae referas, acta parentis habes.
Tantalides omnes, ipsumque regebat Achillen:
Hic pars militiae, dux erat ille ducum.

bi permittere amorem est sub arbitrio amare.

40. *Mater amata* a patre.

Exemplo — suo. Quia, quod propter eam fecit pater, licebit tibi propter me facere. Hubert.

41 — 45. *Tu mihi* etc. Tu mihi legitimus conjux es, ut pater matri, eamdemque personam, quam quondam tuitus est hospes Trojanus, nunc sustinet Pyrrhus. Nec patris gloria, quam ille jactare semper solet, vinceris, cum egregia tui patris facta et tu praedicare queas.

41. *Tu mihi — es*, i. e. sicut pater meus est legitimus maritus matri meae Helenae, ita tu mihi. Hubert.

Egerat — partes. Locutio est a scena desumta, ubi histriones suas partes agere dicuntur. V. Burm. ad Lotich. L. I. El. 2. vs. 12.

Olim. Praeteritum et futurum tempus notat. V. Tursell. Op. l. in v.

42. *Dardanius.* Cf. Adn. ad vs. 5, 6. Ep. II.

Pyrrhus. Cf. Argum. §. 7. et Adn. ad vs. 10. h. Ep.

45. *Sine fine.* Cf. vs. 50. Ep. I.

Superbiat actis patriis. Cf. vs. 3. h. Ep.

44. *Quae referas.* Memorare possis.

45 — 49. *Tantalides omnes* etc. Etenim Agamemnon omnibus, etiam Achilli, quo Pyrrhus adeo superbit, imperavit, hic in expeditione militari inferiores, ille summas imperii partes tenebat. Nec solo patre gloriari tibi licet, sed et proavo Pelope, hujusque patre Tantalo. Quid? quod, si rationem ineas, ab ipso Jove nascendi ordine quintus inveniaris.

45. *Tantalides.* Unus ex Tantali posteris.

Ipsumque. In pronomine magna est emphasis. *Ipsum etiam.*

46. *Pars militiae.* Unus ex ducibus, qui sub Agamemnone militibus imperabat. Cf. vs. 20. h. Ep. et Adn.

Dux — ducum. Totius exercitus sub Troja imperator. Leg. Adn. 6. Meziriaci ad h. vs., ubi docet quare Agamemnoni, non Menelao, licet Helenae marito, primas partes, sive summum imperium detulerint Achivi.

Tu quoque habes proavum Pelopem, Pelopisque parentem.
Si medios numeres, a Jove quintus eris. (tem:
Nec virtute cares: arma invidiosa tulisti.
Sed tu quid faceres? induit illa pater.
Materia vellem fortis meliore fuisses:
(Non lecta est, operi sed data causa tuo).

47. *Tu quoque.* Conjunctio ei vocabulo, cui vis addenda est, *postponi* semper debet. Turselli in v. *quoque.*

Proavum Pelopem. V. Dorn Seiffen. Op. I. in v. *Tantalides.*

48. *Medios*, inter Jovem et Te. V Animadv. Lennep. ad h. vs. Vulgatum *melius* Graeco more dicitur pro positivo *bene.* V. Vechn. Hellen. L. I. c. 5 pag 31.

A Jove. Praepositio distantiam indicat, *post.*

Quintus. Jupiter enim ex Plutone, Himantis filia, Tantalum suscepit. Hyginus fab. 155.

49 — 53. *Nec virtute cares* etc. Nec tu, tot ac tantis Majoribus ortus fortitudinis laude cares. Causa quidem, in qua eam consecutus es, aliorum invidiam tibi contraxit. Sed nihil aliud, quam quod fecisti, facere potuisti; patris enim gratia arma sumsisti, quibus illius necem ulciscereris. Et ego malim tuam te fortitudinem in honestiore causa exserere potuisse. At vero eligendi facultas tibi est denegata qua re fortis esse velles, in ea certe fuisti, quam tibi nolenti matris injunxit scelus.

49. *Invidiosa.* Invidiae plena. Adjectiva enim in *osus* designantia *copiam* denotant. Arma itaque, unde aliorum odium in te redundat. Cf. Adn. ad vs. 145. Ep. II. Respicitur hic ad caedem Aegisthi et Clytemnestrae.

50. *Tu.* Pronomen emphasin habet. Tu, filius.

Quid faceres? Formula haec solennis est excusandi, cum aliquid nobis invitis aut sine culpa nostra accidere indicare volumus. V. Ep. XI. vs. 51. Virg. Ecl. I. vs. 41, Ecl. VII. vs. 14. Drakenb.

Induit pater. Poëtice. Patris caedes arma sumendi necessitatem tibi imposuit.

51. *Materia.* Omne illud, ex quo fingi aliquid potest; hinc *argumentum*, *negotium*, *causa.*

Meliore, quam matris caede.

52. *Lecta*, pro composito *electa.* Scholiastes Cod. Trev. ad h. vs.: Causa, quare matrem interfecisti, non est *lecta*, i. e. non electa tuo operi sed data a matre, q. d. non interfecisti sine causa; ille enim eli-

Hanc tamen implesti; jugulóque Aegisthus aperto
Tecta cruentavit, quae pater ante tuus.
Increpat Aeacides, laudemque in crimina vertit:
Et tamen adspectus sustinet ille meos.
Rumpor, et ora mihi pariter cum mente tumescunt:
Pectoraque inclusis ignibus usta dolent.

git sibi mortem alicujus, qui eum interficit sine causa. Loers in d. Spec.

Data est. Inpietate matris.

53 — 61. *Hanc tamen implesti* etc. Quamvis autem ad hanc causam perficiendam coactus esses, tamen eam ita peregisti, ac si sponte tua adgredereris. Aegisthus enim, eadem aedes, quas pater, suo sanguine foedavit. Quod factum tuum, quamvis laudabile, saepius carpit Aeacides, non pietatem, non patris ultionem vocat, at homicidium; adeo perfrictae frontis ille est, ut, licet male de te, quem a me adamare noverit, loquatur, meos tamen indignatione atque ira ardentes oculos ferre queat. Quibus adfectibus incensus atque concitatus, sanguis tanta vi in vultum atque animum fertur, ut jamjam erupturus mihi videatur, dum suo ardore in pectore maximos mihi excitet dolores. An coram me, quae Orestem tam amo, quam Pyrrhum odi, Pyrrhus Orestae aliquid exprobrare et praeclara ejus facinora in crimina vertere ausit? Utinam mihi vires sint et gladius, ut audaciae poenam mihi luat Pyrrhus!

53. *Implesti*, hanc causam, quasi vas, cui nihil aquae infundi amplius possit, quin effluat. Inproprie, cumulatissime huic causae satisfecisti, perfectissime illam egisti.

Aegisthus. V. Argum. §. 3.

Jugulo — aperto. Per gladium tuum.

54. *Quae pater* etc. V. Argum. §. 3.

55. *Increpare.* Praefixae praepositionis virtute pp. significat, *valde sonare*; hinc *exclamare*, objurgationis ac reprehensionis notione adjuncta, *incusare*, *exprobrare*.

Laudem in crimina vertit. Quod necem paternam pie et fortiter ultus es, vitio tibi vertit. Drakenb.

56. *Sustinere.* Sursum tenere, subire, ferre ac pati. *Conspectus sustinere* adeo, audere in conspectum venire.

57. *Ora — tumescunt.* Quae sanguinis aucto calore extenduntur.

Cum mente. Partem pro parte posuit Poëta: dividi enim eam

Hermione coram quidquamne objectet Orestae?
Nec mihi sunt vires: nec ferus ensis adest?
Flere licet certe: flendo diffundimus iram:
Perque sinum lacrimae, fluminis instar, eunt.
Has solas habeo semper, semperque profundo:
Hument inoultae fonte perenne genae.

naturam, qua animalibus praecellimus homines, solere in mentem et animum res est notissima, ita ut prior rationem contineat, posterior adfectus. Qui quidem animus inproprie hic *tumescere* dicitur.

58. *Inclusis ignibus usta.* Participium causam reddit, quare pectus doleret, quod inclusam adfectuum igne quasi excitatam flammam contineret, qua carperetur.

59. *Hermione.* Nomen proprium hic, ut alibi, adfectum significat. Cf. not. ad vs. 84. Ep. I.

Quidquamne objectet Orestae? Loers legere mavult *quisquamne* et verb. *objectet* (quod indignantis est. Heins.) absolute positum intelligere, ut sensus sit: *Quisquamne culpet Orestem?* Quod et Heinsio placuisse, ejusdem Viri ad h. vs. declarat nota.

60. *Adest?* Interrogatio indignantis est.

61—65. *Flere licet certe* etc. Hanc injuriam cum ulcisci nequeam, flere saltem possum, lacrimis vanam iram sedamus, quae fluminis modo pectus meum praeterfluunt. Has unicum habeo levamen semper, quo nullo non tempore utor, unde fit, ut liquore ex hoc oculorum fonte manante genae humidae sint ac turpes.

61. *Diffundimus.* In diversas partes fundendo exhaurimus. Verbum *fundere* in sese habere *copiae* notionem, supra me notare memini. Cf. Ovid. Metam. L. IX. vs. 142.

62. *Perque sinum.* Sinus, explicante Valla, pars illa, quae est intra pectoris brachiorumque complexum.

Fluminis instar. Quo larga lacrymarum copia metaphorice indicatur, ita ut, tanquam in flumine, gutta indesinenter guttam trudat.

Eunt. Poëtice actio rei inanimatae tribuitur. V. Adn. ad vs. 52. Ep. II.

63. *Has solas habeo semper* etc. Quia nunquam cesso flere. Hubert.

64. *Fonte perenne.* Contra Grammatices regulas, ex quibus scribendum esset *perenni.*

Vix equidem memini; memini tamen: omnia luctus; 75
Omnia solliciti plena timoris erant.
Flebat avus, Phoebeque soror, fratresque gemelli:
Orabat superos Leda, suumque Jovem.

quod auribus ingrati in illo *a*, *ab* inesse videatur, veterum aures, ut quibus ejusmodi elisiones non insolitae erant, minus offendit; ad sensum etiam aptius videtur *aequora*. Loers d. spec. Quod ad prius: «Equidem, inquit P. Hofman Peerlkamp V. Cl. Bibl. Crit. Nov. Vol. I. pag. 104, ita statuo, optimos scriptores ingratam, ut putant, ad fraudem compositionem summis viribus evitasse, *et eam, quae nobis saepe videtur, non esse.*" Quod ad posterius: ipse contextus docet plurali hic aptiorem locum esse quam singulari numero, cui inesse nil gravitatis hic certe potest.

74. *Argolicas — manus.* Argivorum manus. Praecipuam Peloponnesi gentem Ovidius sumsit, qua Graecam universam significaret. V. Adn. ad vs. 25. Ep. I.

Pro se. In suum commodum.

Vertit in arma. Commovit, ut arma indicerent. Oud.

Schefferus ad Phaedri verba *vertit ad fallaciam* in fab. 31. L. I. obvia haec notat. «*Vertit* non est *mutat*; sic enim scribendum fuisset *in fallaciam*, sed *eo convertit*, *intendit*, *dirigit*. *Vertere in*, inquit Oud., *mutationem* includit: *vertere ad*, *intentionem* significat *directionem consiliumque* ad aliquam rem conversum.

75 — 81. *Vix equidem memini* etc. Aegre quidem, quae tum acciderunt, animum nunc subeunt; quia parva admodum puella eo tempore eram, tamen mihi non plane excideverant. Omnia enim moerore, atque anxio timore abundabant. Lacrimas et aevus, Tyndareus, fundebat et Phoebe soror, et gemini fratres; precabatur Leda, avia, Coelestes Deos atque adeo Jovem sui amantissimum. Et ego crines, eo adhuc tempore quamvis breves, prae dolore capiti evellebam, atque alta voce dicebam, me ne relinquere, mater, ac solam proficisci? Conjux scilicet Menelaus Cretam petierat.

76. *Luctus — timoris plena.* Metaphorice haec dicta esse nemo non sentit. V. Adn. ad Ep. I. vs. 12.

77. *Phoebeque soror.* Ledae nimirum tres fuere filiae, Phoebe, Clytemnestra et Helena, ut ex Euripidis Iphigenia patet, unde hunc locum elegan-

Ipsa ego, non longos etiam nunc scissa capillos,
Clamabam: Sine me, me sine, mater, abis?
Nam conjux aberat, ne non Pelopeïa credar,
Ecce Neoptolemi praeda parata fui.
Pelides utinam vitasset Apollinis arcus!
Damnaret nati facta proterva pater.

ter restituit Heins., qui Meziriacum idem subodoratum scripsit.

Fratribus gemellis. Significari Castorem et Pollucem non est, quod pluribus demonstrem.

78. *Summus Jovem. Summus* recte dicitur Jupiter ob rationem in vs. 67. h. Ep. memoratam.

79. *Non longos etiam nunc.* Haec conjungenda sunt.

Scissa capillos. Ex Graecorum imitatione, subauditis *quod ad*, scripta sunt. V. Vechner. Hellenol. L. I. c. 20. De ellipsi praepositionis κατὰ V. Sancti Minerva L. IV. c. 13.

81. *Nam conjux aberat.* Matrem hinc culpat Hermione, quod se solam reliquisset. De vario τοῦ *quam* usu et significatione V. Turnell. de Partic. L. I.

81—87. *Ne non Pelopeïa credar* etc. Ne vero, si res aliter cecidisset, me quisquam alia e gente, quam Pelopeïa ortam autumaret, cum illud minime timerem, me, facilem praedam abripuit Pyrrhus. Quam vellem, ne in Apollinis templo vulneratus periisset Achilles! dubium enim non est, quin filii petulantiam pater culpasset. Uti olim, ita et nunc ostendisset, quam aegre ferret conjugem ob ereptam sibi uxorem lacrymari.

Ne non etc. Cf. not. ad vs. 61. Ep. IV.

Pelopeïa. Cf. not. ad vs. 66. h. Ep.

82. *Ecce.* Repentinum quid et novum indicat. Turnell. Op. l. in v.

Neoptolemo. Neoptolemus Pyrrhi est titulus honoris. Novus, juvenis, fortis pugnator, ex Graeco νέος *novus* et πτόλεμος sive πόλεμος *bellum*. Quod substantivum Graecum, abstracto sumto pro concreto, et *bellatorem*, πολεμιστὴν denotat.

Praeda parata. Facilis, quae quasi in manibus ac praesto est. Drakenb. ad Liv. L. V. c. 6. init. Broukh. ad Tibull. L. II. El. 4. vs. 1. Burm. ad Petron. Satyr. c. 15.

83. *Pelides.* V. Argum. Ep. III. §. 2.

Vitasset Apollinis arcus, i. e. interpretante Hubert: utinam nunquam fuisset interfectus,

Nec quondam placuit, nec jam placuisset Achilli, 85
Abducta viduum conjuge flere virum.
Quae mea coelestes injuria fecit iniquos?
Quod mihi (vae miserae) sidus obesse querar?

quia si viveret, culparet factum filii, qui alienam uxorem vult rapere. *Apollinis* autem *arcus* dixit, non quod revera Apollo eum sagittis interemerit, sed quod in ejus templo sit interfectus. Nam, cum Thetis Achillem infantulum in aquam Stygis infernae tinxisset, toto corpore praeter partem pedis, quam tenebat, eum immersit in aquam. Fuit igitur invulnerabilis omni parte corporis qua aqua tinctus erat. Sed cum captus amore Polyxenae, filiae Priami, constituisset, ut eam caperet in templo Apollinis, Paris post (Dei) simulachrum latens, in partem pedis vulnerabilem directa sagitta eum occidit. Inde fictum est, quod, tenente Apolline arcum, Paris direxit tela.

85. *Nec quondam placuit.* Nisi fallor, haec Achillem respiciunt ob abductam a se Briseïda iratum. Nisi factum Paridis et viduum Menelaum improbasse Achillem malis. Indicat, inquit Drakenb. ad h. vs., Achillem, qui olim improbavit factum Paridis Helenam rapientis, etiam nunc non probaturum fuisse factum filii Pyrrhi, qui nuptam Oresti eripuit.

86. *Viduum.* Cf. not. ad vs. 10. Ep. I.

87 — 101. *Quae mea* etc. Nescio equidem, qua culpa Superorum in me iram excitaverim, nec, quodnam sidus me miseram premat, queo dicere; attamen me in Deorum odium incarrisse et malo sub sidere me natam esse fata demonstrant. Vixdum enim in lucem prodieram, cum ecce! a matre relinquerer, dum pater bella gereret, et, ambobus parentibus superstitibus, sola viverem, quasi pater et mater mortui essent. Neque adeo felici esse mihi contigit, ut prima infantia tuum, mater carissima! animum balbutiente lingua demulcerem, nec brevibus meae infantulae brachiis iterum ac saepius te amplecti, et tibi adridere licuit, dum in gremio tuo haererem, ac gratum tibi onus essem. Nunquam ornatus mei, quo tantopere delectantur infantes, ullam gerere curam potuisti, nec lectum stravisti, in quo recens nupta cum viro quiescerem. Per tantum temporis spatium a me abfuisti, ut (quidni fatear) cum tibi Troja redeunti obvia venirem, te, parentem meam,

Parva mea sine matre fui; pater arma ferebat:
Et, duo cum vivant, orba duobus eram.
Non tibi blanditias primis, mea mater, in annis
Incerto dictas ore puella tuli.
Non ego captavi brevibus tua colla lacertis:
Nec gremio sedi sarcina grata tuo.
Non cultus tibi cura mei: nec pacta marito
Intravi thalamos, matre parante, novos.

non adnovissem, nisi ex eximia, qua te esse noveram, pulcritudine, Helenam me videre intellexissem. Quid? quod et ipsa me ignorans rogabas, utrum ego, quae tibi obviam processissem, tua filia essem.

87. *Quae mea* etc. Quodcunque nempe malum sibi adcidisset, veteres poenam credebant quam impietate alioque malo facinore meruerant. Cf. not. ad vs. 41. Ep. III.

88. *Quod — sidus* etc. Stellae credebantur vulgo vim habere in animum humanum eorumque fata regere, unde Mathematici praedicebant alicujus fata ex ejus genesi. Oudend. Credebant veteres, inquit Ruhnk. ad h. vs., sidera vim quamdam in res humanas habere, et, quidquid homini eveniat, pendere a positione stellarum, quae sub ejus nativitatem fuisset. Haec futilis doctrina a Chaldaeis ad ceteras gentes manavit. Censorinus de die natali c. 8. Propert. L. I. El. 6. vs. 36. Ovid. in Ibide vs. 212. Cuperus Observ. L. II. c. 17.

89. *Parva mea sine matre fui* etc. Sua jam mala enumerat Hermione et ea quidem ratione, ut nativa simplicitate, atque elegantia narrationis Orestis animum commovere certe debuerit. Quis enim sibi relictae pueritiae non misereatur? Quae misericordia maxime augetur, cum, vivis ac volentibus parentibus, id fieri videamus.

92. *Incerto — ore*, balbo et ambiguis verbis, qualia pueris excidunt. Anton. V. ad Quinct. J. O. L. I. c. 1. pag. 20.

93. *Captavi*. Frequentativi vim observes quaeso. *Omni* modo operam dedi, ut amplecterer. Studiose et cum cura capere conata sum. Cf. Ovid. Ep. XVII. vs. 262. Burm. ad Ovid. Metam L. III. vs. 389. Drakenb.

95. *Pacta marito*, proprie dicitur puella, cum conditiones de nuptiis convenerunt. Cf. Ep. X. vs. 92. Raro scriptores

Obvia prodieram reduci tibi (vera fatebor)
Nec facies nobis nota parentis erat.
Te tamen esse Helenen, quod eras pulcherrima, sensi.
Ipsa requirebas, quae tibi nata foret.
Pars haec: una mihi conjux bene cessit Orestes:
Is quoque, ni pro se pugnet, ademptus erit.
Pyrrhus habet raptam, reduce et victore parente:
Munus et haec nobis diruta Troja dedit.

Latini *virum* puellae *pactum* quibus conflictata sum, sola haec mihi obtigit felicitas, ut Orestem conjugem nanciscerer, quae tamen felicitas tantum abest, ut firma ac propria mihi sit, ut, nisi sibi caveat Orestes, et hac privari periculose. Quamvis enim pater victor e bello redierit, tamen filiam vi abductam Pyrrhus tenet; hos ego fructus ex Trojae excidio capio!

dicunt uti observat Dukerus ad Liv. L. XLIV. c. 30. nó. 4. Ruhnk.

96. *Matre parante.* Sternente. Conlocatio enim ad pronubas magis pertinebat, uti recte Donatus aliique Viri Docti ad Terent. Eunuch. Sc. III. Act. 5. vs. 45. Huc facit locus ex Cic. Orat. pro Cluentio c. 5. extr. ubi de Sassia Cluentiae matre sermo est. „Lectum illum genialem, quem biennio ante filiae suae nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari et sterni, expulsa atque exturbata filia, jubet." De hac Ciceronis oratione legatur H. Blair, lessen over de Redekunst en fraaije Wetenschappen D. II. bl. 206. sq. Edit: anni 1789. et Corn. Jac. van Assen in Disput. Juridico-Literaria de oratione l.

101. *Pars.* Locutio desumta est a coena, ubi sua cuique distribuebatur portio, quae ei cedebat. Cf. Phaedr. L. I. fab. 5.

100. *Ipsa* (tu) *requirebas.* Vicissim quaerebas, tuam ignorans filiam, ut ego matrem. Quod spectaculum ad adfectus permovendos est efficacissimum.

102. *Ni pro se pugnet.* Ni vi adhibita prohibeat, quo minus mihi auferatur, pereat.

101 — 105. *Pars haec una* etc. Inter tot res adversas,

103. *Pyrrhus* etc. Antithesin observa inter parentem Menelaum Troja diruta victorem et filiam vi abductam. Argumentum praeterea ab absurdo petitum est, patrem ab hoste victorem reversum esse, et filiam raptam teneri.

104. *Munus* etc. Haec ex Trojae vastatione et patris victoria in me redundavit utilitas ac commodum, ut Pyrrhus

Cum tamen altus equis Titan radiantibus instat,
Perfruor infelix liberiore malo.
Nox ubi me thalamis, ululantem et acerba gementem,
Condidit, in moesto procubuique toro;
Pro somno lacrimis oculi funguntur obortis:
Quaque licet, fugio, sicut ab hoste, virum.

contra jus atque aequum me indusam teneret, uti dixit vs. 4. h. Ep. *Munus*, inquit Rubnk. ad h. vs., vocat novum maritum Pyrrhum, quem pater a Troja diruta secum duxerat.

105 — 111. *Cum tamen* etc. In magno equidem semper sum moerore, laxatur tamen iste moeror, ubi primum sole omnia circum me exhilarata video. Cum vero, nocte oborta, me tristem in thalamum atque in lectum recepi, ita exaestuat dolor, ut ululatus atque acerbos edam gemitus, atque oculi id officium, quod Orestae debeant, praestent, non dormiant sed lacrimas fundant, cum, quantum possim, viri tanquam hostis amplexibus me subtraham.

105. *Titan* Hyperionis filius, Titanis Nepos, ante Apollinem solis rexisse currum dicitur; stans autem in curru depingitur; hinc Ovidius canit. » Titanem stare in equis, h. e. curru ab equis tracto lucem undequaque spargente.

106. *Perfruor.* Quam maxime sentio gaudium ex mitiore malo ortum. Cf. not. ad vs. 128. Ep. XI. *Frui* enim de gaudio, *uti* de commodis dici notissimum est; nec est, quod addam praepositionem *per* notionem verbo, quocum conjungatur, insitam augere, ac reddere vehementiorem.

Liberiore malo. Liberiorem a malo intellige Hermionem, quod solis splendor, res solis luce illustratae, et locorum diversitas minuunt ac diffundunt: augent enim dolorem noctis tenebrae et lectus, in quo una cum Pyrrho, quem effugere optabat, decumbebat.

107. *Acerba.* Adjectivum singulare ac plurale neutrum accusativo casu positum ex Graecorum imitatione adjective sumi exemplis adlatis probat Vechn. Op. l. I. I. c. 3. pag. 129.

108. *Moestum*, dici torum in in quo jacet, qui moerore consumitur, alibi observavimus. V. ad vs. 10. Ep. I.

109. *Lacrimis — funguntur.* Lacrimandi officio satisfaciunt, quod Orestae praestare oculi tenebantur.

110. *Qua* scil. parte.

Fugio. Fugere aliquem itaque dicitur et *ab aliquo.* Cf.

Saepe malis stupeo: rerumque oblita locique
Ignara tetigi Scyria membra manu.
Utque nefas sensi; male corpora tacta relinquo:
Et mihi pollutas credor habere manus.
Saepe Neoptolemi pro nomine nomen Orestae
Exit: et errorem vocis, ut omen, amo.
Per genus infelix juro, generisque parentem,
Qui freta, qui terras, qui sua regna quatit;

Ovid. Trist. L. I. El. 5. vs. 66. Cic. pro Cluentio c. 66. extr. Oud. Cf. van Schelle Michal aan David pag. 12.

111 — 117. *Saepe malis stupeo* etc. Mali autem magnitudo saepe facit, ut omni sensu priver, ita ut, quid agam aut ubi sim, nescia, Scyrii illius membra inprudenter tangam; quo facinore intellecto, a corpore, quod in meam perniciem contrectaveram, statim abstineo; in meam, inquam, perniciem, nam foedatas jam mihi videor habere manus. Tuum vero Oreste! nomen ita mihi in prima animi parte positum est, ut, cum Neoptolemum adpellare velim, Orestis nomen mihi excidat, qui linguae lapsus ideo mihi perplacet, quod in eo felix augurium inesse credam.

112. *Ignara — Scyria membra.* Contumeliose dictum est in Pyrrhum, qui in Scyro insula natus est ex furtivo amore. Anton. Cf. not. ad vs. 3. h. Ep. *Ignarus*, inquit Ruhnk. ad h. vs., ad rem vitae carentem transfertur, ut saepe cognata vocabula *conscius*, *nescius*, *inscius*. Val. Flacc. L. I. vs. 69. Ovid. Ep. XII. vs. 49. Swarts ad Plinii Paneg. c. 54.

113. *Nefas.* Malum facinus vocat Hermione Neoptolemi corporis contactum.

Male — tacta. Cum pernicie. V. Tursell. Op. I. in v. *male.*

114. *Mihi credor.* Videor mihi. Puto me habere. Cf. Ovid. Ep. IX. vs. 150.

116. *Ut omen.* Quia puto, id mihi contingere, ut aliquando sim futura tua. Hubert.

117 — 122. *Per genus* etc. Per familiam itaque nostram tot malis conflictatam, per generis auctorem, Jovem, cujus potestati maria, terra et coelum subsunt, per patruum meum Agamemnonem, tuum patrem, cujus ossa tibi sunt obligata, quod, postquam se ipsa fortiter vindicavissent, nunc placida in morte quiescant, juro atque obtestor, me, Tantali neptem, quidquid tibi animi sit, aut ante tempus, in primo aetatis flore, perituram,

Per patris ossa tui, patrui mihi; quae tibi debent,
Quod se sub tumulo fortiter ulta jacent:
Aut ego praemoriar, primoque extinguar in aevo;
Aut ego Tantalidae Tantalis uxor ero.

aut Oresti, Tantali nepoti, priori legitimo marito, uxorem futuram.

117. *Per genus infelix*. Partim ob Tantalum, qui saxi imminentis timore torqueri, mediis in aquis perpetua siti vexari et poma fugacia captare a poëtis fingitur; partim ob fata, quae Hermione supra vs. 63. sq. enarravit.

118. *Sua regna*. In sortitione enim regni Saturni patris coelum obtigit Jovi, qui in eo praecipue habitare et regiam habere dicitur. Oud.

Quatit. Cum vehementia movet. *Quatere*, inquit Dacierius ad Fest. de verb. signif. in v., de repetito saepius motu dicitur, *ferire* de solo ictu.

120. *Se — ulta*. Passive accipiendum. Burm. ad Ovid. A. A. L. I. vs. 179. V. D. J. van Lennep ad h. vs.

122. *Tantalidae Tantalis*. Cf. vs. 66. et not. ad h. vs. et Dorn Seiffen Op. l. in v. v. *Tantalides*, *Tantalis* et *Tantalus*.

EPISTOLA IX.

DEIANIRA HERCULI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Quot Hercules fuerint, et an ad duos, Libycum et Thebanum, omnia, quae in Libya, Africa et Hispania, quaeque per Arcadiam, Peloponnesum et Phrygiam gesta sunt, referri queant, disquirere ab hoc loco alienum puto: nec dijudicare lubet, a quoto Jove (plures etiam fuisse dicuntur) hic, ad quem epistola haec missa sit, originem ceperit. Nobis subficiat significare, Herculem hunc ex Alcmena et Jove tertio, sub Am-

phitryonis mariti forma genitum esse. De cujus stirpe V. auct. cit. a Goguet l'origine etc. Vol. II. p. 44.

§. 2. Quantus vero vir, ille puer, qui ex hoc concubitu nascerètur, aliquando futurus esset, Mythologia demonstrat, cum docet, Jovem, tribus noctibus in unam junctis, Herculem genuisse. Junonem vero zelotypia motam novercale in infantem recens natum concepisse odium quis, qui humanam indolem noverit, miretur? Ante ipsum etiam nascendi tempus, quantum potuit, nascituro Herculi nocuit Juno. Cum enim sensisset, Sthenelo, Mycenarum Graeciae urbis ea aetate rege, mortuo, lata hoc regnum Herculi destinare, suis artibus ac fraude Deorum illa Regina ab uxorio marito impetravit, ut, si Stheneli filius, Eurystheus, prior Hercule nasceretur, patri in regnum subcederet. Illius itaque nativitatem maturavit atque Herculem regno fraudavit non tantum, sed et effecit, ut Eurystheus dein in Herculem saeviret. Cf. Goguet et auct. ab Ille cit. Op. l. Vol. II. pag. 36. sq.

§. 3. Vixdum autem natus Hercules erat, cum, ecce! Junó duos in ejus cunas inmisit angues, quos tamen, jam vincere doctus, tenellis manibus elisit. Quamvis autem postea, Palladis ope, in gratiam redisset cum Hercule, tamen ita in eum adfecta semper fuit, ut nullam, qua perderé eum posset, occasionem praetermitteret. Tandem optatum illud advenit tempus, quo Eurystheus regni in se subcipiebat administrationem, cujus regis ope, ut variis laboribus exponeretur, effecit, non dubitans, quin in illis, qui duodecim numerantur, periret. Quos cum fere omnes in epistola memoret Deianira, supervacanea hic loci mihi horum enumeratio visa est, quam continuam legere potes in Fabulosa Deorum et Heroum historia Part II. cap. 14, quae in Scholarum usum prodiit Amstelodami apud Petrum den Hengst et Filium.

§. 4. Exitu tamen caruit Junonis consilium, nihil enim erat, quod Herculis virtute majus esset, quam dein in mortalium commodum et securitatem vertit. Cacum, Vulcani filium, Italiam latrociniis infestantem sustulit. Vincula, quibus Prometheus Caucaso adfixus erat, fregit. Antaeum, Terrae filium, singulari certamine vicit. Lycum morte adfecit, quod, cum ipse ad Cerberum rapiendum in Inferos descendisset, Thebis, ubi Creon, Herculis socer, imperabat, expugnatis, Regem interfecisset. Diductis montibus Calpe et Abila in medias Oceanum inmisit terras. Pro Deianira denique, contra Achelóum, Thetidis filium, pugnavit et Nessum, qui Evenum flumen transvectam uxorem violare conaretur, ab obposita ripa sagitta trans-

egit, quae victoriae ipsi victori, ut mox videbimus, fuit funestissima; Nessus enim moriens vestem suo sanguine, efficacissimo veneno, inbutam Deianirae tradidit, adfirmans, si eam Hercules induisset, futurum, ut aliam amaret numquam.

§. 5. Deianira, Oenei, Calydonis in Aetolia regis, ex Althaea, filia, Herculis uxor, sola fere semper, a marito in expeditionibus versante relicta cum audisset, capta Oechalia, Euboeae insulae prope Eretriam urbe, interfectis, quoniam Iolen sororem ante Herculi promissam uxorem negavissent, Eurvti Oechaliae Regis filiis, formosissimam illam puellam, cujus amore flagraret, secum abduxisse in Cenaeum, Euboeae promontorium, ut ibi Cenaeo Jovi pro victoria reportata sacrificaretur, Lichae famulo, quem Hercules Trachynem, ubi uxorem reliquerat, ad vestem, qua in sacris uti solebat, petendam miserat, Deianira, verita, ne Iole conjugem a se alienaret, vestem illam §. praecedente memoratam dedit. Quam cum induisset Hercules, veneni vi paulatim invalescente, summis torqueri doloribus coepit. Quam ob rem, Licha, qui vestem adtulerat, in mare praecipitato, Lycimnium et Iolaum, qui de morbi remediis Apollinem consulerent, Delphos misit.

§. 6. His consulentibus responsum est, ut Hercules cum adparatu bellico in Oetam, Thessaliae montem, deferretur, ibique ingens strueretur rogus; de reliquis Jovi curam relinqueret. Hercules vero, desperata salute, in pyram, quam Philoctes Paeantis filius et struxerat et incenderat, sese conjecit; pro quo praestito officio comiti suo arcum et sagittas Lernaei serpentis sanguine tinctas, sine quibus Troja capi non poterat, moriens dono dedit, quo facto, fulminibus subito inmissis, pyra cum Herculis corpore exusta est. Quibus intellectis, Deianira, cum res praeter opinionem cecidisset, et virum, cujus animum sibi devinctissimum retinere studuisset, invita tam crudeli morte exstinxisset, sibi ipsa violentas manus intulit, postquam hac epistola suum facinus purgare annisa esset.

GRATULOR Oechaliam titulis accedere nostris:
Victorem victae succubuisse queror.

Vs. 1—7. Laetor equidem Oechaliae expugnationem gloriam nostram augere: at victorem a victa victum esse id est, quod doleam. Turpis enim ac factis tuis non respondens nu-

Fama Pelasgiadas subito pervenit in urbes
Decolor, et factis inficianda tuis;
Quem numquam Juno, seriesque immensa laborum
Fregerit: huic Iölen imposuisse jugum.

mor omnem cito percurrit Graeciam, te, tantum Virum, quem nullo unquam tempore vel Juno vel infiniti labores domuerint, ab Iöle in servitutem esse redactum.

1. *Oechaliam.* Vid. Argum. §. 5.

Accedere. Rei inanimatae actionem tributam vides.

Titulis. Cf. not. ad vs. 67, 68. Ep. II.

Nostris. Invadit Deïanira ac sibi vindicat titulos mariti quasi suos quoque, quia irata et maritum objurgatura statim ei in mentem revocare vult suam conjugii communionem, et hinc omnium rerum, titulorum ac praedae participationem. Oud.

2. *Victorem* etc. Cf. Argum. § 5. V. Peerlkamp V. Cl. ad Xenoph. Ephes. pag. 18. vs. 3.

3. *Pelasgiadas.* Pelasgas, Graecas. Pelasgi ante Hellenes Graeciam incoluerunt, unde anno A. N. C. 1550. circiter a Deucalione expulsi feruntur. Cf. vs. 29. Ep. XII.

4. *Decolor* dicitur, quod colorem amisit seu foedatum ac turpe est. Hinc ad *famam* transfertur. Sic, inquit Ruhnk. ad h. vs., *decolorare aliquem* dixit Quinct. Decl. 360. pro infamem reddere, ex interpretatione Burm. ad h. l.

Inficianda. Neganda, non conveniens. Cf. Ovid. Am. L. II. El. 17. vs. 26.

5. *Quem* etc. V. Argum. §. 2, 3, 4.

6. *Fregerit.* Cf. not. ad vs. 86. Ep. I. Oud. explicat, fatigaverit, debilitaverit, subegerit. Heinsius: Domuerit, ad Sil. Ital. L. I. vs. 262.

Iölen. V. Argum. §. 5.

Imposuisse jugum. Servitutem, quia illum vicit sua forma. Metaphora petita ab hostibus, quum turpiter victi in ignominiam sub jugum mittebantur, vel a tauris sub jugo arare coactis. Oud. Hinc, ut ait Drakenb. ad h. vs., per consequens *jugum alicui imponere* notat aliquem vincere, subigere, quia injuria haec transeundi per jugum victis inferebatur. V. Liv. L. III. cap. 28, quo extremo jugum describitur.

7—13. *Hoc velit* etc. Hoc est, quod Eurystheo unice placeat, gaudeatque Juno eodem, quo Jupiter, partu edita; hac tuae vitae turpitudine exsultat Noverca. Contra Ille dolet, cui (si famae habenda fides est) una nox non fuit satis, ut te, qui

Hoc velit Eurystheus, velit hoc germana Tonantis:
Laetaque sit vitae labe noverca tuae.
At non ille velit, cui nox (si creditur) una
Non tanta, ut tantus conciperere, fuit.
Plus tibi, quam Juno, nocuit Venus. illa premendo
Sustulit: haec humili sub pede colla tenet.

tam fortis futurus esses, generaret. Majus tibi damnum intulit Venus quam Juno. Haec ira sua tibi animum addidit; Illa tuae dejecti cervici victrix semper innititur, ac spiritus tuos frangit.

7. *Hoc velit*, q. d. facis, quod placet inimicis tuis, quia, cum cupiant tuum dedecus, gaudent, quod a muliere sis subjugatus. Hubert. Hoc summe cupiat. Virg. Aen. L. II. vs. 104. Rubnk.

Eurystheus — germana Tonantis. V. Argum. §. 2. *Tonantem* Jovis esse epitheton quis nescit?

8. *Vitae labe.* Macula, qua vita tua, labe carens, inficitur. *Labes*, inquit Drakenb., notat proprie sordes, quae aliquid corrumpunt et deformant; hinc metaphorice ponitur pro quovis vitio, quo res deterior redditur. V. Ovid. Trist. L. II. vs. 110. Propert. L. IV. El. 8. vs. 20. Liv. L. XL. c. 8. L. XLV. c. 5.

Noverca. Quo sensu? vid. Argum. §. 2.

9. *At.* Contra. V. Tursell. in v. *at.* Increpat ipsum, quod non respondeat spei, quae de eo fuit habenda, quia non una nocte generari potuit, sed conjunctis tribus noctibus simul, ut fabulae tradunt, ex quo debuit esse vitae magis admirandae. Hubert.

Ille — cui etc. *Ille* demonstrativum est. Hac periphrasi Jovem indicari patet ex Argum. §. 2.

10. *Non tanta* etc. Cf. Argum. §. 2. V. van Lennep in Animadv. ad h. l. Vulgata lectio est, *non tanti* etc. Quae verba ita interpretatur Periz. ad Sanct. Minerv. L. III. c. 15. n°. 5. pag. m. 419. «Non fuit tanti momenti negotium, ut ea una Tu tantus conciperis.»

11. *Nocuit Venus.* Cf Argum. §. 5.

Premendo. V. Argum. §. 2, 3.

12. *Humili.* Indigno, turpi. Ut sit oppositio ad verbum proxime praecedens *sustulit*.

Sub pede colla tenere. Cervici insistere semper. *Continuitatis* notio inest verbo *tenere*. Pulchre, inquit Broukh. ad Prop. L. I. El. 1. vs. 4, contumeliam militarem transtulit Propertius ad Amorem, Deum su-

Respice vindicibus pacatum viribus orbem,
Qua latam Nereus caerulus ambit humum.
Se tibi pax terrae, tibi se tota aequora debent:
Implesti meritis Solis utramque domum.
Quod te laturum est, coelum prior ipse tulisti:
Hercule supposito sidera fulcit Atlas.

perbum et insolentem, ubi plena potitur victoria. Victoris enim est hostium corpora pedibus calcare, praecipue caput, cervicem.

13 — 18. *Respice* etc. In animum, quaeso, revoca, omni, qua late patet, terrarum orbi, ultrici tua manu paratam esse pacem; etenim, quod in terris pax vigeat, et mare navibus transiri tuto queat, tibi uni deberi quis est, qui nesciat? quae meritorum tuorum fama tanta est, ut terra eam comprehendere vix possit. Coelum etiam, quo mox adscensurus est, tuis tu prius humeris subiisti, cum Atlas, perpetuo coeli onere fatigatus, ad tempus te subponeret, quo quasi vicario sidera, quae aliter fuissent ruitura, fulsit.

13. *Respice.* Oculos retro verte, redi in memoriam rerum ante actarum. Cf. not. ad vs. 113. Ep. I.

Vindicibus — viribus. Quae terram vindicarent, liberarent monstris. V. Argum. §. 4.

14. *Qua*, parte scil.

Ambit. Circumit Nereus, Oceani et Tethyos filius, qui hic Patris munere fungi dicitur, atque a natura, cui praeest, colorem est mutuatus. V. not. ad vs. 50. Ep. VII.

15. *Se tibi* etc. V. D. J. van Lennep. V. Cl. in Animadv. ad h. vs. Quocum *tuta* in paraphrasi expressa, praefero τῷ *tota*. Et Ruhnk. pro *tota*, *tuta* legi jubet. Nam Hercules et terram et mare *tutum* praestitit variis monstris domandis. V. Ovid. Metam. L. IX. vs. 33. De verbo *debere* V. ad Ep. VII. vs. 43.

16. *Implesti.* Cf. not. ad vs. 53. Ep. VIII.

Solis utramque domum. Orientem, unde quasi e domo et cubiculo oritur sol, et occidentem, quo se, ut domum, recipit. Oud. et Burm. Seneca in Herculi Oetaeo vs. 3. Runhk.

17. *Prior* etc. V. Libellus §. 3. Argum. laud.

18. *Hercule supposito* etc. In interpretatione h. vs. Burm. verbis usus sum.

Supponere. Substituere seu vicarium dare. Burm.

Fulsit, fulcit Secundum notissimam regulam, quod quis per alterum facit, ipse fecisse censetur." Prius probat Voss.

Quid nisi notitia est misero quaesita pudori,
Si macula stupri facta priora notas? 20
Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,
Cum tener in cunis jam Jove dignus eras:
Coepisti melius, quam desinis. ultima primis
Cedunt: dissimiles hic vir et ille puer.

de Anal. L. III. c. 33. Si *fulcit*, ut ait Burm., pro *fulciit* et *fulcivit* ponitur; at *cit* ex Vossii sententia de Anal. L. II. c. 32. ob crasin rectius produceretur, quia, ubi in praeteritis duo *i.* in unum contrahuntur, litera *i* produci solet. *Fulcit* in praeterito, inquit Loers d. spec., cadentis Latinitatis est.

Atlas. Iapeti filius, Mauritaniae rex, de quo consulatur Dorn Seiffen in Onomast. Poët.

19 — 27. *Quid nisi notitia* etc. Quid tandem celeberrimis facinoribus tibi quaesiviste aliud, quam ut dedecus tuum, quod tibi miseriam pariat, eo fiat notius, eo magis cognoscatur? Quod quidem aliter fieri non potest, si res praeclare a te gestas nunc stupri turpitudine dehonestas. Tune, qui nunc tam turpis es, jam in cunis, geminis in te immissis anguibus fauces forti manu elisisse et Jove dignum facinus perpetrasse diceris? Initium profecto melius fuit, quam finis; posteriora prioribus inferiora sunt. Quantum virilis tua aetas a puerili differt! Invictus fuisti puer; Vir vero factus tibi non constas, nam mille etiam feras interficere, Eurysthei infestum animum eludere, Junonis dolis superesse quondam potuisti; nunc vero victas Amori manus dare non erubescis.

19. *Quid nisi notitia* etc. Nodos hic in scirpo quaesivisse V. V. D. D. mihi cum Lennepio videntur, quem vid. in Animadv. ad h. vs. Cf. Sallust. Jug. c. 85. nº 22. Quinct. J. O. L. III. c. 7. pag. m. 269.

Miserum dico pudorem, ut *mors pallida* describitur, ob effectum.

20. *Notas.* V. not. ad vs. 86. Ep. II.

21. *Tene.* Pronomini magnam inesse emphasin, ipse intelligis.

Geminos etc. Cf. Argum. §. 3. V. Hygin. fab. 30. Apoll. L. II. c. 4, 8.

22. *Tener — Jove dignus.* Antithesis quanta sit vides.

24. *Hic vir*, subcumbens Amori: *Ille puer*, jam vincere edoctus, qui vix vivere coeperat.

Quem non mille ferae, quem non Stheneleïus hostis,
Non potuit Juno vincere: vincit Amor.
At bene nupta feror, quia nominer Herculis uxor,
Sitque socer, rapidis qui tonat altus equis.
Quam male inaequales veniant ad aratra juvenci,
Tam premitur magno conjuge nupta minor.

25. *Mille ferae* etc. V. Argum. §. 3. Cf. ad vs. 123. Ep. VII.

26. *Non potuit* etc. V. Argum. §. 2 et 5.

27—33. *At bene nupta* etc. Dixerit forte quispiam, mihi magnam contigisse felicitatem, quod Hercule conjuge ac socero gloriari liceat illo, qui admissis per coelum vectus equis tonitrua excitat. At fallitur; nam, ut viribus inaequalium juvencorum imbecillior majorem in arando laborem exantlat, ita, ubi genere aut fortuna inferior puella viro nupserit praestantiori, matrimonii jugum illam vehementius premit. Onus est, non honor, at quaedam honoris species, splendor quidam externus, qui laedit eam, quae illud in se suscepit. Quaecunque felix tibi speres matrimonium, ne conjugi jungaris, caveas, conditione ac fortuna te superanti.

27. *At* objectionis hîc est indicium.

Nominer. *Nominari* hîc opponitur τῷ *esse*, inquit Drakenb., quo significare vult Deïanira se *nomine* magis, quam *re ipsa* uxorem Herculis esse, qui plerumque alias mulieres ac puellas amare solebat. Hoc sensu *nominor* saepe ponitur pro re vana. V. Burm. ad Ovid. A. A. vs. 739. Hinc occurrit *nomen inane* Ep. X. vs. 116. *Nomen* etiam opponitur *rei*. V. N. Heins. ad Vellej. Paterc. L. II. c. 80. *Quia* cum subjunctivo saepe construi docet Drakenb. ad Liv. L. II. c. 8.

Herculis. Nobilis ac magni viri. V. not. ad vs. 84. Ep. I.

28. *Socer, qui* etc. Jupiter enim, cum tonat, fingitur a poëtis curru aerato per coelum vehi. Horat. L. I. Od. 12, vs. 58, Od. 34, vs. 7. Ovid.

Altus. Sublimis in curru.

29. *Male.* In alterius utrius incommodum. Pro *veniant* malo *veniunt*. Dubio enim non subest res, de qua quaeritur. Mecum facit Loers d. spec. Revoco *veniunt*, quod, uno Puteaneo excepto in omnibus Codd. legitur, ut de re, quae nullo modo in dubium vocari possit et in vulgus nota sit ac fieri soleat.

Non honor est, sed onus, species laesura ferentem.
Si qua voles apte nubere, nube pari.
Vir mihi semper abest: et conjuge notior hospes
Monstraque, terribiles persequiturque feras.
Ipsa domo vidua, votis operata pudicis,
Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.

31. *Species* indicat externam rei faciem, quae homines primo adlicit, sed penitus inspecta res inanis est, qua significatione obcurrit apud Suet. in Caes. c. 77. ubi Graev.

33—43. *Vir mihi semper* etc. Qui enim mea sors cuipiam uxori fortunata videatur, cum conjugem meum fere nunquam videam atque hospitem melius noverim quam maritum, monstris ac saevis beluis indagandis semper intentum. Ego domi sola relicta, vota pro mariti salute, ut pudicam decet, faciens quam maxime angor, metuens, ne ab inruente hoste interficiatur. Quasi inter serpentes atque apros ac praedae inhiantes leones media huc illuc agor, et cane terreor, qui tribus faucibus me jamjam devoraturus videtur. Mihi metum injiciunt, vehementissimum inspecta pecudum exta, me vexant per somnum visae corpore carentes imagines, turbant nocturna e templis petita somniorum visa. Dubios etiam de te rumores, ut infelices solent, diligenter percunctando investigo; atque incerta de futuro cogitatio mihi timorem modo aufert, modo ingerit.

33. *Mihi — abest*, pro *a me*. Vel abest *in meum damnum*, uti in Ep. I. vs. 50. Ep. XVII. vs. 179.

34. *Monstra*. Lernam hydram, Cerberum et Cacum, Hubert.

Persequitur feras. Aprum Erymanteum, leonem Nemeaeum. V. Argum. §. 3, 4. Proprie *feras persequi* dicitur venator, qui *vestigia ferarum sequitur*. Justin. L. XXXVII. c. 2. no. 8. Hic tamen alio sensu Hercules dicitur *feras persequi*, de quo V. ad vs. 112. Ep. VII. Drakenb.

35. *Vidua*. V. not. ad vs. 10, Ep. I.

Votis pudicis. Cf. not. ad vs. 8. Ep. I. Tribuitur votis, quod est vota facientis, ut saepius a poëtis.

Operata. *Operari* solenne in sacris verbum est. Burm. Notatque in aliqua re *operam ponere*, *aliquid perficere*. V. Tibull. L. II. El. 1. vs. 65. et El. 5. vs. 95. Broukh. ad h. vs. *Operata* ergo *votis* hic est sus-

Inter serpentes, aprosque, avidosque leones
Jactor, et esuros terna per ora canes:
Me pecudum fibrae, simulacraque inania somni,
Omniaque arcana nocte petita movent.
Aucupor infelix incertae murmura famae:
Spesque timor dubia, spesque timore cadit.
Mater abest; queriturque Deo placuisse potenti:
Nec pater Amphitryon, nec puer Hyllus adest.

cipiens vota pro marito. Drakenb.

36. *Infesto* ita differt ab *inimico*, ut *infestus*, is semper dicatur, qui inpetum in nos faciat; *inimicus* esse nobis quisquam solo etiam animo possit.

Ab hoste cadat. Neutrum cum praep. *ab* junctum ex Graecorum ratione, de qua V. not. Godofredi Stallbaum ad Platonis Apologiam Socratis c. 1.

38. *Esuros* etc. V. van Lennep V. Cl. in Animadv. ad h. vs.

39. *Pecudum fibrae.* Haruspices ut, quid futurum esset, intelligerent, jecinorum sive jecorum et pulmonum fibras inspiciebant V. Serv. ad Virg. Georg. L. I. vs. 120.

Simulacraque inania somni. Somnia. Ep. XIII. vs. 111. Ruhnk.

40. *Omnia* etc. In templis enim ad somnia captanda aliquando pernoctare solebant veteres, vel si mavis *omina petita* etc. ita explices, eventuum futurorum adnunciationes ex somni simulacris deductae ac desumtae.

Arcana nocte. Intelligit Ovidius omina per sacra Magica petita, quae fiebant nocte, quae sacra passim *arcana*, *secreta*, et *arcana nocte* fieri dicuntur, quippe illicita. Ovid. *Arcanis fidissimam noctem* dixit Ovid. Metam. L. VII. vs. 192. Drakenb.

Movent. Terrent, perturbant, anxium reddunt. Stat. Sylv. L. III. carm. 2. vs. 2. Marcland. ad h. vs. Ruhnk.

41. *Aucupor.* Studiose capto et quosvis excipio incertos rumores; quod ab avium captura translatum est ad vitam communem et captationes aliarum quoque rerum. Ovid. V. Ep. XIII. vs. 107. Cic. pro Cluentio c. 38. in Pison. c. 24. Drakenb.

42. *Speque* etc., i. e. interdum spes vincit timorem, quem habeo de te; interdum timor vincit spem. Hubert. Modo salutem tuam spero, modo vitae tuae timeo. *Spes cadit* cum non amplius speramus et contra. Drakenb.

43—47. *Mater abest* etc. Nemo

Arbiter Eurystheus irae Junonis iniquae
Sentitur nobis, iraque longa Deae.
Haec mihi ferre parum est: peregrinos addis amores;
Et mater de te quaelibet esse potest.

mihi est; unde solatium vel auxilium petam; Trachynem relinquere coacta est mater tua Alcmena, queriturque, quod ita quondam Jovi Maximo placuerit, ut in ipsius amplexus ruoret: Amphitryonis, patris tui, ac nostri filii Hylli absentia in causa est, quod nullum, qui dolorem meum levet, habeam, cum Eurystheum injustae Junonis irae vindicem damno meo experior, cujus quidem irae nullus nec modus nec finis futurus videtur.

43. *Mater abest.* Alcmenam enim et Amphitryonem et Hyllum, Herculis ex Deianira filium (Hygin. fab. 162.) exsilio multaverat Eurystheus. Anton. ad h. l. Trachyne, ubi regnavit Ceyx, cum haec epistolam scriberet, fuisse Deianiram atque hinc abfuisse Alcmenam notat Hubert. Trachyn autem est Thessaliae civitas, dein Heraclea ab Hercule dicta.

Queriturque placuisse. Intelligo *se*, quod pronomen omitti saepe solet, imprimis apud Liv. V. Sigon. ad Liv. L. XXIII. c. 1. init. Gronov. ad Liv. L. X. c. 4. §. 9. et Jac. Gron. ad L. VII. c. 14. §. 8. Drakenb. Cf. Argum. §. 2.

44. *Amphitryon.* V. vita Lennep ad h. vs.

45. *Arbiter* est Eurystheus, inquit Hubert, qui Junonis iram exsequitur. *Arbiter* enim est, cui vel alicujus potestas traditur, vel res moderanda committitur; unde *arbitrium* pro *voluntate* vel sententia ponitur, uti et *arbitratus*.

46. *Sentitur.* Efficax verbum. Burm. Cum emphasi accipi verbum debet. Significat enim *damno suo experiri. Aliquem hostem habere.* Ovid. Ep. XII. vs. 17. Flor. L. III. c. 2. §. 31 Dukker. ad h. l. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XII. vs. 27. Drakenb.

47 — 53. *Haec mihi ferre* etc. Haec ab alienis mihi inlata mala, quamvis gravissima, leviora etiam videntur; Tu vero, meus conjux scilicet, adulteriis haec adgravas tuis; ita ut nullam fere virginem intactam relinquas. Plurima, quibus scripti veritatem confirmem, tibi perscribere possim exempla. Non tamen Augen memorabo, quam in Arcadiae vallibus matrem fecisti, neque Astydamiam, quae ex te peperit. Non adulterium crimini tibi vertam, quod cum Theutrantis neptibus commisisti, cujus de numero, quamvis magno, nullam inviolatam reliquisti.

47. *Parum est.* De usu hujus locutionis V. Gron. ad Plin.

Non ego Partheniis temeratam vallibus Augen,
Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos:
Non tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores,
Quarum de populo nulla relicta tibi;
Una, recens crimen, referetur adultera nobis;
Unde ego sum Lydo facta noverca Lamo.

H. N. L. XXI. c. 18. laud. a Burm. ad Ovid. Ep. III. vs. 28.

48. *De te* pro *ex te* V. Turpell. in v.

49. *Non — referam.* Occupatio est, inquit Hubert, dicit enim, se non esse dicturam, cum maxime dicat.

Partheniis — vallibus. Sive virgineis. Erat in Arcadia mons et nemus nomine Parthenio a venatu *Virginum* Dianae comitum. Oud. Serv. ad Virg. Ecl. X. vs. 57.

Augen. Aleï, regis Arcadiae, filiam, quae in monte Parthenio, secundum Hygin. fab. 99, Telephum peperit. Cf. Dorn Seiffen Op. I. in v. *Telephus.*

50. *Ormeni nympha.* Astydamiam dicit Ormeni regis filiam, qui Herculi petenti filiam renuit, quare Hercules ei bellum intulit, eumque, urbe capta, interfecit, Astydamiam rapuit, atque ex ea filium tulit Chrysippum uti ex Diod. L. V. ad h. l. notarunt V. V. D. D.

51. *Non tibi crimen* etc. Nec crimini a me tibi dabitur, quod etc. Cf. Ep. XX. vs. 38.

52. *Populo.* Turba. Teuthras enim Thespii pater *quinquaginta* filias habuisse legitur. V. Dorn Seiffen Op. I. in v. *Teuthranteus.* Cf. Ovid. Ep. XIV. vs. [illegible]

53—60. *Una etc.* Solam, ceteris omissis, Omphalen tibi adultero exprobrabo, cujus *crimine* ego legitima tua uxor Lydi Lami noverca *facta* sum. Maeander scilicet, qui eandem Lydiam toties permeat, et flexuosis cursibus defatigatus quasi aquas ad se redire cogit, Maeander, inquam, monilibus, muliebribus ornamentis insigne vidit, illud Herculis collum, cui coelum ipsum quondam leve onus fuit. Quid, quod adeo tuae virtutis oblitus es, ut brachia, quorum vi omnia prosternere, armillis circumdatis, et validos adscitis gemmis onerares lacertos.

53. *Una — adultera.* Omphale, Lydiae et Asiae minoris Regina, Iardani filia. Ovid.

Recens crimen. Omphale, in qua nuper peccasti.

Referetur. V. van Lennep ad h. vs. *Nobis.* Dativum Graeco more poni pro *a nobis* in confesso est. Deïanira nem-

Maeandros, toties qui terris errat in isdem,
Quí flexas in se saepe retorquet aquas,
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo:
Collo, cui coelum sarcina parva fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et solidis gemmas adposuisse toris.

pe, inquit ad h. vs. Ruhnk., hanc historiam plenius vult referre (fusius enarrare. T.) ceteras strictim (recensuerat. T.)

54. *Unde.* Ex qua.

Noverca. Quia, inquit Hubert., cum sim uxor tua, ille est factus privignus meus.

Lampe Lydo, pro Lydio, ex Lydia.

55. *Maeandros*, sive Maeander, cujus naturam describit Poëta, Asiae minoris flumen, in Phrygia prope Celaenas urbem oritur, de quo V. Dorv. Sellen. Op. I. in v.

Errat. Hoc verbo instabilem, ac nunc huc nunc illuc delatum fluminis, tanquam personae, cursum, eleganter notari quis non videt? V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. VII. vs. 140. Heins. ad h. vs.

56. *Lassas.* Et aquis hic tribuitur, quod animantibus est proprium.

Retorquet. Vim ponit. Hoc verbum, inquit Gud., ab equitando sive in gyrum sive in spatium, translatum, de fluviis dictum cit. Lucan. L. VI. vs. 77. Horat. L. I. Od. 2. vs. 13.

57. *Vidit.* Stuporis significationem habet.

In Herculeo. Nominibus propriis singularem aliquando inesse gravitatem ac pondus observare in posterum supersedebo.

57, 58. *Collo.* V. van Lennep ad h. vs.

Cui coelum. Cf. vs. 18. h. Ep.

Parva. Parvi ponderis. Cf. Ep. III. vs. 68.

59. *Cohibere.* Coercere. Nobis ob oculos simul ponit circulorem armillarum formam. Cf. Horat. L. III. Od. 14. vs. 22.

60. *Solidis.* *Solidum* est plenum, integrum, nihil cavi aut vacui in se habens, quod, quo tetigeris, resistit, validum, forte.

Toris. Toros, inquit Gesner. in Thes. L. L., adpellant pulpam carnis musculosam et praesertim, ubi adstringuntur et contenduntur nervi, pulvillorum instar eminentem, qua robur animalium quorundam hominumque censetur.

Gemmas adposuisse. *Adpositas* gemmas intelligerem *adscriptas*, *non naturales*, viro

Nempe sub his animam pestis Nemeaea lacertis
Edidit: unde humerus tegmina laevus habet.
Ausus es hirsutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeae populus alba comae.
Nec te Maeonia, lascivae more puellae,
Incingi zona dedecuisse putas?
Non tibi succurrit crudi Diomedis imago,
Efferus humana qui dape pavit equas?

non convenientes. Adposuisse Herculem gemmas, naturae vel sexui suo non proprias, aliunde mutuatas.

61 — 67. *Nempe sub his* etc. His nempe lacertis (quis credat?) Nemaeus ille leo, qui circumquaque omnia vastabat, cujus est, cujus exuviae sinistrum tuum humerum tegunt. Tantum scilicet facinus adgressus es, ut setosas horridasque comas incurvato pileo, quali molles et Lydii et Phryges utuntur, circumdares, quas tanti viri comas alba corona populea decentius ornasset. Quid? viri naturam ita exuisti, ut, peplo lantis puellae instar, ipsius Omphales, Lydiae reginae, zona corpus coërceres.

61. *Nempe.* Indignantis est. V. Tursell. Op. l. in v.

Pestis. Quidquid est noxium, sive animatum sive inanimatum, *pestis* dicitur. Oud.

Animam — edidit, efflavit ab Hercule pressus leo. Cf. Argum. § 3. et van Lennep ad h. vs. *Edere* sive *efflare animam* unde dicatur vid. in Cic. Tusc. Quaest. L. I. c. 9.

62. *Unde.* A qua peste. In victoriae enim monumentum hanc leonis pellem ita ferebat, ut dextram exsertam, non impeditam haberet.

63. *Ausus es.* Ironice. De verbi significatione consule not. ad vs. 41. Ep. I.

Mitra. Mulierbre hoc erat capitis et capillorum ornamentum petitum a Lydis, Phrygiis ac Tyriis; unde et meretricum et mollium virorum erat gestamen. V. Serv. ad Virg. Aen. L. IV. vs. 216. Oud.

64. *Populus, alba*, sive foliis ab interiore parte albis; unde frequens est arbori bicolori epitheton. Fuit arbor Herculi sacra, quia primus eam in Graeciam adtulisse, vel tali corona redimitus ab Inferis rediisse dicitur. V. Serv. ad Ecl. VII. vs. 61. Aen. L. V. vs. 134. L. VIII. vs. 276. Oud.

66. *Zona.* V. not. ad vs. 116. Ep. II. *Incingi.* V. Ep. IV. vs. 87.

67 — 81. *Non tibi succurrit* etc. Animone tuo excidit trucis species Diomedis, qui,

Si te vidisset caltu Busiris in isto,
Huic victor victo nempe pudendus eras.
Detrahat Antaeus duro redimicula collo,
Ne pigeat molli succubuisse viro.
Inter Iüniaeas calathum tenuisse puellas
Diceris: et dominae pertimuisse minas.

qua erat inhumanitate, aquos bat. Hobart. Vid. Dorv. Seiffen in v., quem et de reliquis consulas velim.

Vidisset. Cf. not. ad vs. 37. h. Ep.

Isto. Demonstrativum esse, ac praecedentia respicere patet.

70. *Nempe.* Cf. not. ad vs. 61. h. Ep.

Pudendus eras. De verbis neutris vel falso ita dictis V. Sanct. Minerv. L. III. c. 3. pag. 37. conl. L. III. c. 1. pag. 263.

71. *Detrahat.* Praesens subjunctivi futuri notione. V. Periz. ad Sanct. Minerv. L. I. c. 13. pag. m. 97.

Duro. *Durum* dixit Poëta collum, ut adpareret ex subjuncta voce *redimicula*, quae sunt res feminarum, quam virum fortem haec ornamenta gestare dedeceat.

Molli obpos. ad praecedens *duro*. *Collum* enim *durum* ex antea observatis pro *collum duri*, rudis viri.

72. *Succubuisse.* Antaeus ab Hercule superatus et elisus est intra brachia, ne tangeret terram ipsi sufficientem novas vires. Quod

Non fugis, Alcide, victricem mille laborum
Rasilibus calathis imposuisse manum?
Crassaque robusto deducis pollice fila,
Aequaque famosae pensa rependis herae?
Ah quoties, digitis dum torques stamina duris,
Praevalidae fusos comminuere manus?
Crederis, infelix, scuticae tremefactus habenis,
Ante pedes dominae procubuisse tuae.

93. *Inter Ionicas* etc. Reminas, etiam honestissimas, in mediis ancillis pensa distribuentes, ac lanificio operam dantes a veteris aevi poëtis describi res est notissima. In ancillas servas saepissime et saeviisse dominas demonstravit Böttiger in Sabina.

Calathum. Calathus vas erat vimineum ac virgatum, quibus viminibus scil. cortex erat derasus. Vasa itaque erant laevigata; unde infra vs. 76. *Calathi rasiles* ab Ovidio dicuntur. Oud.

75, 76. *Fugis — imposuisse*. Renuis. Recusas. Drakenb. Abhorres. V. Horat. L. I. Od. 1. vs. 34. *Calathis imposuisse manum*, i. e. calathum in manus sumsisse. Drakenb. De verbis Graeco more infinitivum regentibus V. Vechn. Op. l. L. I. c. 28.

77. *Deducis*. Nendi actum repraesentat. Cf. Tibull. L. I. El. 3. vs. 86.

Crassa — fila deducebat Hercules, quia nimium ad hoc opus manuum erat robur. Eodem modo adjectivum *crassa* interpretatur Loers d. spec. scribens: Crassa ejus fila Poëta inquit, sed propter robustos ejus pollices, ad clavam vibrandam ac regendam, quam ad lanificium aptiores.

78. *Aequaque* etc. Cf. not. ad vs. 75. Ep. III. Certo autem pondere ancillis adpendebatur lana, quam in fila redactam debebant adpendere dominae aeque atque eodem pondere. Oud.

80. *Fusos comminuere*. Adtritione scil. manus ac pollicis; nam una manu colum deducebant et lanam, altera involvebant fila fuso, quem idcirco continuo per pollicem versabant. V. Ovid. Metam. L. IV. vs. 34, 121. L. VI. vs. 24.

81 — 100. *Crederis* etc. Neque hoc tibi fuit dedecoris satis. Sunt enim, qui sibi persuadeant, te, quem, cum virtute tua excideris, infelicem dico, verberibus scilicet adactum, ad dominae pedes jacuisse, atque solennem praestanti adparatu comitatum, summos triumphi honores am-

Eximias pompas, praeconia summa triumphi,
Factaque narrabas dissimulanda tibi.
Scilicet immanes elisis faucibus hydros
Infantem cunis involuisse manum?

plissimis verbis ornasse, tuaque facta laudavisse, quae tacuisse nunc satius fuisset. Qui scilicet Hydri, in cunis a te suffocati, terrellam manum suis cinxerint spiris? Ut Arcadius aper in Erymantho cupressorum ferace per te jaceat confossus? atque ingenti corporis pondere humus pressa gemat!

Nonne te referre pudet, quomodo Thraciae regem, Diomedem, qui ora hospitum, quos equis devorandos projiciebat, postibus adfigere solebat, virtute tua de medio sustuleris, ac tricorporem Hispaniae regem Geryonem, opibus valentem, viceris, quae quidem tria corpora una forma continebat? Virtutem vero celebrabas tuam, qua tria Cerberi in uno collo capita absideris, serpentum, sese implicantium, qui illi pro crinibus erant, minis inperterritus? Addebas, ut ferunt, in tuam quasi laudem Lernaeum a te interfectum esse serpentem ex cujus centum capitum singulis caesis duo repullulabant, ita ut damnum illi in lucrum verteretur. Neque esse tibi videtur, quod taceas, quomodo in Libya Antaeus, sublimis, ne stanti Terra mater novas subinde vires adderet, inter laevum latus ac brachium, ut levo pondus pependerit atque ita elisus exspiraverit; vel, ut Centauri, superiore corporis parte homines, inferiore equi, hac duplici forma nequicquam freti a Te in fugam versi Thessaliae montes, quos incolebant, reliquerint.

83. *Eximias pompas.* Ironice omnia capienda. Tu, ita instructus lanificae ancillae habitu narrabas eximias pompas (per quas *triumphos* intelligit). — Burm. Loers in d. oper. ad vs. 85—100. a Neacio, unde octo illa signa interrogationis ortum traxerint, quae neque in Codd. neque in vetustis Edd. reperiuntur. Vs. 85—100. expositionem continent vs. 83 et 84, qui cum sine signo interrogandi scripti sint, et illi omnino sine tali nota scribendi videntur. Ac, sine interrogatione majore etiam cum fiducia, quae h. l. Deianiram decet; denique vide, quanta vi atque affectus veritate post sedatam illam interrogationem inde a vs. 85—100. tandem vs. 101 et 102 interroget.

Praeconia summa triumphi. Praestantissimae triumphantis, victoris adeo, laudes.

84. *Tibi.* Nenti scil.

Ut Tegeaeus aper cupressifero Erymantho
Incubet, et vasto ponderé laedat humum?
Non tibi Threïcius adfixa penatibus ora,
Non hominum pingues caede tacentur equae? 90
Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi,
Geryones, quamvis in tribus unus erat?
Inque canes totidem truncо digestus ab uno
Cerberos, implicitis angue minante comis?
Quaeque redundabat fecundo vulnere serpens 95
Fertilis, et damnis dives ab ipsa suis?

85. *Intimus.* Quamvis idem significare, quod *ingentes*, saepe dicatur; habet tamen semper conjunctum *horroris* notionem.

86. *Canis.* V. Lennepii Animadv.

88. *Incubet.* Jacentis situm denotat.

Vasto — laedat humum. Adjecto verbo *laedere* etc. adjectivi *vasto* significationem cogitatione quam maxime augeri non est, quod plurimis probem.

91. *Armenti dives.* Graeca constructio, de qua vid. Vechner. Op. d. L. L. c. 18.

92. *Geryones.* Primae est declinationis. Declinatur enim sicut Anchises. Hubert.

Quamvis in tribus etc. Quia unus erat, licet tria corpora haberet secundum fabulas. Hubert.

93. *Canes totidem.* Tres, ut Geryones, i. e. totidem canina capita. Hubert.

Truncо corpus notari liquet.

Digestus. Apte distinctus, et ordine tria habens capita. Ovid.

94. *Angue minante.* Quia micantibus oculis et lingua tibi, si accesseris, mortem minitari videntur. Passim apud poëtas serpentium minas et scorpiones lingua et cauda minaces memorari adn. ve. et ad vs. 668. L. I. Lucani Phars. animadverte Ovid.

95, 96. *Redundabat — secundo, fertilis, dives.* Mirum, quantum laboraverit Ovidius, ut nobis significaret centum in Lernaeo monstro capita, quorum, singulis caesis, duo renascebantur.

Redundare de flumine proprie dici nemo nescit. *Fecundum* vero et *fertile* id. qd. *ferax* de animanti, agris, imbribus, aliisque similibus adhibentur.

96. *Damnis — ab* etc. Praepositio causam indicat per quam. V. Turselk. Op. I. in v. *a, ab.*

Quique inter laevumque latus, laevumque lacertum,
Praegrave compressa fauce pependit onus?
Et male confisum pedibus formaque bimembri
Pulsum Thessalicis agmen equestre jugis?
Haec tu Sidonio potes insignitus amictu
Dicere? non cultu lingua retenta silet?

Ovidianae elegantiae esse hoc, inquit Oud., ut praepositio substantivo postponatur. Quaenam vero in hac positione elegantia sit, equidem lubens me nescire fateor.

97, 98. *Quique* etc. Hos versus ego elegantes dico, quia Ovidius aptis verbis Antaeum nobis ita repraesentavit, ut, *elisis faucibus*, ex brachio, pondere presso, pendentem nostris ipsi oculis videre videamur.

99. *Male confisum.* Confidentiam innuit Ovidius in malam partem adceptam. *Male notare in suam perniciem* antea, nisi fallor, alicubi notavimus. Velocitate enim pedum freti effugere tamen non potuerunt. De Centauris et ceteris adeas Dorn Seiffenum in Onom. I.

101 — 110. *Haec tu Sidonio* etc. Fieri autem qui potuit, ut tu, postquam victoriis totum fere terrarum orbem perlustraveris, veste purpurea atque acu picta, qui feminarum inbellium ornatus est, indutus haec fortia facta referre auderes! Crediderim, linguam tuam (te) femineo isto cultu compressum ne verbum quidem edere sustinuisse. Omphale praeterea, *femina* induit arma tua, tanquam suum, se decentem, ornatum et omnibus notissima victoriae praemia, clavam, leonis pellem gestavit, *viro*, quem ceperat; erepta. Habes sane jam, quo spiritus sumas, ubi res a te fortiter gestas enumeres singulas! Virum profecto se praestitit illa Nympha, quo viri nomine tu privari jure merito debebas, quia melius femina quam vir esses. Qua quidem Hardani filia tanto inferior esse mihi videris, quanto tibi difficilius fuit te ipsum, qui omnes virtute superares, vincere, quam quos domuisti. Rerum ergo a te gestarum amplitudine Omphale augetur.

Tuas laudes celebrare omitte. Tuae esse desierunt, quae, quasi per hereditatem ad amicam tuam devolutae sunt.

101. *Potes?* An ita plane tibi ipsi excidisti, ut posses.

Insignitus. Valde signatus, conspicuus.

102. *Cultu linguae retenta silet.* Poeticam vides rationem, qua hic duabus rebus inanimatis actio tribuitur.

Se quoque nympha tuis ornavit Iardanis armis;
Et tulit e capto nota tropaea viro.
I nunc, tolle animos, et fortia facta recense:
Quod tu non esses jure, vir illa fuit.
Qua tanto minor es, quanto te, maxime rerum,
Quam quos vicisti, vincere majus erat.
Illi procedit rerum mensura tuarum.
Cede bonis: heres laudis amica tuae.

103. *Se quoque.* Quod magis etiam ad dedecus tuum facit.

Nympha — Iardanis. Opponitur τῷ *viro*, quod vs. seq. legitur.

Ornavit. Oud. explicat *instruxit, armavit.* Quae quidem explicatio mihi displicet. Malim proprie adcipere, uti supra ex paraphrasi patet.

104. *Tropaea.* V. not. ad vs. 66. Ep. IV.

105. *I nunc.* V. not. ad vs. 26. Ep. III.

Animos. Animis, inquit Oud., in plurali vel virtus et generositas, vel superbia et ferocia, altique spiritus designantur.

106. *Quod tu non esses.* Imperfectum subjunctivi, ut ait Periz. ad sanct. Minerv. L. I. c. 13. nº. 5, notat officium, seu id, quod fieri debet. *Quod* nempe *femina.* Cf. not. ad vs. 168. Ep. VII.

107. *Maxime rerum. Res*, inquit Gesn. in Thes. L. L., est, quidquid potest vel subjectum vel praedicatum esse enunciationis. *Maximus rerum* est *maximus*, *fortissimus* omnium, qui sunt in rerum natura. Cf. Ep. IV. vs. 125.

Quo tanto minor etc. Quod, quanto difficilius fuit Herculi vincere, se ipsum, quam eos, quos vicit: tanto Omphale eo major, quia vicit eum. Hubert.

109. *Procedit.* Cedit in ejus utilitatem, commoda ac laudem. Metaphora a re militari ducta, ubi militi stipendia et aere *procedere* dicuntur, cui ea suo tempore solvuntur. Uti et anni, quibus militavit, prosunt ad honestam missionem accipiendam. Oud. et ab illo laud. Burm. ad Val. Flaeci Argon. L. VIII. vs 458.

Mensura. Aestimatio. Amplitudo. *Mensura* enim et *instrumentum* denotat, quo rei magnitudinem definimus; et *modum*, qui instrumento illo statuitur: et *rem ipsam* certa mensura sumtam.

110. *Cede bonis.* Tuas laudes non jactites. Est ab his translatio, quorum majus est aes alienum, quam summa: qui

Pro pudor! hirsuti costas exsuta leonis
Aspera texerant vellera molle latus.
Falleris, et nescis: non sunt spolia ista leonis,
Sed tua, tuque feri victor es; illa tui.
Femina tela tulit Lernaeis atra venenis;
Ferre gravem lana vix satis apta colum:
Instruxitque manum clava domitrice ferarum;
Vidit et in speculo conjugis arma sui.

eum solvere nequeant, *bonis cedunt.* Anton. V. Brissonius de verb. signif. in v. *Cedo.*

Heres laudis. Quia tu ex ea decidis, et ipsa tibi succedit. Hubert.

111—119. *Proh pudor* etc. Quantum, proh dolor! dedecus! Horridi leonis membris quondam a fortissimo Heroë detracta pellis lascivae puellae adtrivit latera. Ipse te nescius decipis, ac ludis. Haec spolia non leoni sunt erepta, at tibi. Tua quidem manu feram vicisti, at tu Illi subcubuisti. Femina, quae colum lana plenam vix sustinebat, tela gessit atro hydrae Lernaeae cruore venenata, manuque clavam tenuit qua ad domandas feras olim utebaris: atque in speculo, re femínarum, se armis instructam conspexit, quae ferre virum decebat.

111. *Proh pudor!* Inter hasce mariti infamiae cogitationes Deïanirae adfectus pedetentim ita exarserant, ut sibi temperare non posset, quin exclamaret.

Hirsuti costas exsuta. V. van Lennep ad h. vs.

112. *Aspera* et *molle*, sibi invicem obponuntur. V. Goguet l'Origine des Lois etc. Vol. I. pag. 140. Edit. Parisiens. 1820.

113. *Non sunt spolia ista* etc. *Spolia* dicuntur, quae hosti eripiuntur in victoria. Illa, inquit Deïanira, pellis, qua Omphale induta est, non significat, quod tu viceris leonem, sed quod illa te vicerit et ex te spolia abstulerit. Hubert.

115. *Femina* etc. Ut Herculi demonstret Deïnira, quam inbelli et inbecillae victrici sua tradiderit arma, Omphalen describit colo lana gravatae sustinendae fere inparem.

Atra. Valde noxia. V. van Lennep V. Cl. ad h. vs. Drakenb. *atra* interpretatur mortifera, luctuosa, quia tincta erant veneno. *Omnia* enim, inquit V. Cl., *luctuosa*, *letifera* et *funesta* apud poëtas vocantur *atra.*

116. *Ferre — apta.* V. Verhn. Op. I. L. I. c. 21.

118. *In speculo.* Qua clava

Haec tamen audieram; licuit non credere famae.
En! venit ad sensus mollis ab aure dolor.
Ante meos oculos adducitur advena pellex:
Nec mihi, quae patior, dissimulare licet.
Non sinis averti mediam captiva per urbem
Invitis oculis adspicienda venit.

tot feras domuerat Hercules, eam huic ademerat femina. Quo consilio? Ut itidem illa in communem utilitatem uteretur? minime vero. Ut illa sese exornaret, exornatamque se in speculo videret.

119 — 135. *Haec tamen* etc. Haec vero de Omphale ad te perscripta, quae fando tantum adceperam, in dubium vocare potui. De Iole contra qui dissimulem? en, quae audita minore me dolore adfecerant, adspicere meis ipsa oculis cogor. Peregre in conspectum meum adducitur pellex, neque indigna, quae patior, vultu ac voce tegere amplius licet. Aliquo deducere eam potuisses, ut ne ipsa cernerem; nec tamen tibi placuit. Captiva scilicet (belli jure serva) per mediam incedit urbem, ut, etiamsi nolim, in oculos incurrat meos; Et, quo cultu urbem transit? Sordidata et incomta, dimissoque vultu, ut captam decet? Immo vero. Veste latissimis virgis aureis distincta fastum prodente procedit undique conspicua, quali et tu, Maxime rerum! in Phrygia ornari solebas. Tantum autem abest, ut oculis demissis sese captivam ac servam esse fateatur, ut prae victoria ab Hercule reportata insolens quaquaversus oculos circumferat. Quisquamne hanc patre et patria orbam crederet? Nec male forte conjicio diem brevi adfuturum, quo, Aetolia Deïanira domo ejecta, legitimae conjugis sedem pellex obcupet, atque Euryti filia Iole et furiosus Hercules sua adulterio foedata corpora infami copulentur conjugio.

119. *Haec tamen audieram.* Cogita Horatii illud A. P. vs. 180.

« Segnius inritant animos demissa per aurem
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus."

120. *En.* Demonstrantis est, et repentini quid admirantis. Tursell. Op. l. in v.

Ab aure dolor. Auris, i. e. per aurem, auditum, adceptis. Ut Terent. in Andr. *Ancilla ab Andria*, i. e. Andriae.

Venit ad sensus. Oculorum nempe.

121. *Ante meos* etc. His verbis inpudentia turpitudinis, et

Nec venit incultis, capterum more, capillis,
Fortunam vultu fassa decente suam.
Ingreditur late lato spectabilis auro;
Qualiter in Phrygia tu quoque cultus eras.
Dat vultum populo sublimis ab Hercule victo;
Oechalian vivo stare parente putes.
Forsitan et, pulsa Aetolide Deïanira,
Nomina deposito pellicis, uxor erit:
Eurytidosque Iöles, atque insani Alcidae
Turpia famosus corpora jungat Hymen.

dedecus invidiose describitur. Oud.

123. *Averti.* Arceri ab oculis. Via secreta et aversa domum duci. Oud. non per *mediam* urbem, ut in seq. dicitur.

125. *Incultis* etc. Cf. not. ad vs. 10. Ep. VIII.

126. *Vultu — decente*, conveniente, apto ad fortunam. V. van Lennep. ad h. vs.

127. *Late* refero cum Bentlejo ad *spectabilis*, quem vid. ad Horat. Serm. L. II. Ecl. 2. vs. 183.

Lato — auro. Vestibus, inquit Ovid., quae insignes sunt virgis aureis latissimis cit. Ovid. Metam. L. VI. vs. 567. Juvenal. Sat. L. VI. vs. 582. Ita semper *lata purpura* de lato clavo tunicae purpureo.

128. *Qualiter* etc. Sarcastice dicitur.

129. *Dat vultum populo.* Conspiciendum scil.

Sublimis ab. Cervicem adtollens, superba *ob* vel *propter* Herculem devictum. V. Turnell. in v. *a*, *ab*.

130. *Oechaliam*, ubi Eurytus pater regnabat, Euboëae insulae urbem.

Stare. V. not. ad vs. 3. Ep. I.

131. *Pulsa*, tanquam femina vilissima.

132. *Nomine deposito* etc., i. e. Iöle, quae erat pellex, erit uxor tua, deposito pellicis nomine. Hubert.

134. *Turpia — corpora.* V. not. ad vs. 36. Ep. III. *Corpora* per contemtum dicit non *animos*, quod non legitimus amor erat, sed adulterium. Ruhnk.

Hymen, Bacchi ex Uranía Musa filius, Nuptiarum Deus.

135—143. *Mens fugit* etc. Quod cum cogito, gelidus per ossa mea currit tremor, et manus suum mihi scribendi denegant officium. Multas quidem praeter me amasti, sed tuus in me solam amor crimine ac culpa vacuus fuit: nec, si feminas tan-

Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus,
Et jacet in gremio languida facta manus.
Me quoque cum multis, sed me sine crimine, amasti:
Ne pigeat, pugnae bis tibi caussa fui.
Cornua flens legit ripis Achelous in udis,
Truncaque limosa tempora mersit aqua.
Semivir occubuit letifero Eveno
Nessus: et infecit sanguis equinus aquas.

tum virtute aestimas, qua illas tuas feceris, nec est, inquam, quare et me magni facias. Non itaque tibi pudori esse possum. Achelōus enim sua a te fracta et decussa cornua in fluminis ripa moerens ac dolens conlegit, nec caput cornibus privatum e limo tollere ausus est. Et Nessus, ex posteriore parte equus, ex priore vir, in Eveno mortifero a te victus animam exspiravit, aquasque suo sanguine venenatas reddidit.

135. *Mens fugit admonitu.* Hujus facti recordatio animum loco movet; Amens fio.

Frigusque perambulat artus. Qui est horrentis sensus. Cf. Ovid. Am. L. III. El. 14. vs. 37, 38.

136. *Jacet — manus* tanquam persona. V. not. ad vs. 3. Ep. I.

Languida. Pigra, frigore nempe, de quo in praec. vs. Cf. Ovid. Am. L. III. El. 6. vs. 94. A. A. L. III. vs. 186.

137. *Sine crimine.* Quoniam me gessi pro conjuge, non pellice, ut Omphale et Īole. Anton.

139. *Cornua.* Graevius ad Hesiodum in Addendis ad vs. 104. in v. ταύρεος ἐννοσίγαιος. « Non alia ratione Neptunus dicitur ταύρεος, quam ejus filii, fluvii, nimirum propter violentiam." etc. Festus « Taurorum specie simulacra fluminum, i. e. cum cornibus, quod sunt atrocia ut tauri." Strabonis l. ibid. cit. latine ita sonat *Lib.* X. de Achelōo. Qui autem ex fabulis verum colligunt, tauro similem forma Acheloum ajunt, ut et alios fluvios, ob strepitus et flexus alveorum, qui cornua dicuntur. Cf. la Fiteau Zeden der Wilden van Amerika D. II. B. 1. pag. 310.

140. *Truncа.* Detruncata, abscissa, fracta. V. Ovid. Am. L. III. El. 6. vs. 36. Quaeque dedit Burm. Sec. ad Lotichium L. I. El. 11. vs. 18.

Limosa tempora. Diis naturae, cui praesint, adcidentia tribui, non est, quod denuo moneam.

141. *Letifero.* Unde letum inferat, patet ex seq.

142. *Infecit.* Tinxit, corru-

Sed quid ego haec refero? scribenti nuntia venit
Fama, virum tunicae tabe perire meae.
Hei mihi! quid feci? quo me furor egit amantem?
Impia quid dubitas Deïanira mori?

pit veneno suo. Oud.

143—53. *Sed quid* etc. Quorsum vero haec? frustra sunt, quae scribo; nam inter scribendum mihi adfertur nuncius, conjugem meum, veste venenata, quam per Licham illi miseram, induta exspirare. Hei mihi tantae cladis auctori! ad quod facinus insanus me coëgit amor? Quin statim mortem tibi consciscе, quam inpietate meruisti. Vitane tibi, tanti mali causae, vitalis esse poterit, dum mediis in Oetae jugis veneni atque ignis viribus tuus consumitur ac distrahitur conjux. Si quid ad hunc usque diem fecerim, quo Hercule digna habear uxor: mors certe mea Herculis uxorem me demonstrabit. Nec erit, Meleagre, quod mei, sororis, te pigeat. Quin morere tu, quae mortem conjugi intuleris.

143. *Sed quid ego haec refero.* Elegans formula est in revocatione sui ipsius. Oud. Ita vero comparatus est hominum animus, ut vehementissimis adfectibus commotus sibi ipse constare nequeat, nunc huc inpellatur nunc illuc, atque in varias partes distrahatur. Quo gravior vero est, uti h. l., indignationis atque irae adfectus, eo validior esse debet adfectio, qua prior frangatur. Quod suo exemplo Deïanira demonstrat. Mariti enim mortis nuncius ejus animum ita ferit, ut, posita ira atque indignatione, in illius amorem vehementissimum redeat, se mortis ream faciat, facinoris poenam a se ipsa exigat, tandemque ad desperationem adacta esse ipsa ad manus sibi inferendas exhortetur.

Nuncia. Adjective adcipi notes.

144. *Tunicae tabe.* Cf. Argum. §. 5, 6.

145. *Hei mihi! quid feci?* etc. Elegans haec formula est *se ipsum* increpandi, cum per inprudentiam quis peccat. Pari formula *alium* increpamus *quid facis.* V. Ep. VIII. vs. 7. Drakenb.

Quo me furor egit amantem? Conqueritur quod fuit causa hujus tanti mali Herculi; de quo tamen se excusat, quod amore compulsa sit. Hubert.

146. *Impia*, unde dicatur Deïanira ex proxime praecedentibus versibus liquet. Causam huic adjectivo inesse, quare mori non dubitet, in aperto est.

Quid dubitas — mori?, i. e.

An tuus in media conjux lacerabitur Oeta?
Tu, sceleris tanti caussa, superstes eris?
Si quid adhuc habeo facti, cur Herculis uxor
Credar: conjugii mors mihi pignus erit.
Tu quoque cognosces in me, Meleagre, sororem.
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Heu devota domus! solio sedet Agrios alto:
Oenea desertum nuda senecta premit.

quare non statim moreris? Hujus versus in seq. repetitio habet, quod legentis animum moerore adficiat et misericordia.

147, 148. *Ah tuus* etc. Quae in his versibus sibi invicem opponuntur ad Deïanirae consilium confirmandum et desperationem augendam mirifice faciunt.

Media — Oeta. V. Argum. §. 6.

150. *Mors — pignus conjugii.* Meo exitu fidem faciam, me Herculi nupsisse. Anton.

Pignus, inquit Drakenb. ad h. vs., saepe pro indicio, argumento ponitur, quo aliquid probatur. Curtius L. IX. c. 6. Justin. L. I. c. 10, 20.

151. *Tu quoque* etc. Dicit, inquit Hubert, se etiam debere hoc facere, ut videatur esse soror Meleagri; quia, sicut ille propter amorem Atalantae mortuus est, ita ipsa propter amorem Herculis vult mori.

In me. In morte mea. Id.

Sororem. Germanam scil. cum te imitata fuero.

153 — 159. *Heu devota domus* etc. Fata te, Deïanira, ad mortem cogunt, nam execrationibus cheu infelix domus tua est. In amplissimo regiae dignitatis fastigio conlocatus Agrios regnat: dum a filiis derelictus Oeneus inopis senectutis mala persentit. Tydeus, frater meus germanus, in orbe nescio quo exsul latet. Meleagrum Althea mater fatali stipite exussit vivum. Mater facinoris conscientia exagitata ferro suum ipsa pectus perfodit. Quid ergo dubites, inpia Deïanira! an statim moriaris.

153. *Devota.* Ad perniciem damnata. Cf. vs. 94. Ep. III.

Solio sedet Agrios alto. Patruus nempe, qui patrem Deïanirae, Oenëa, regno expulerat. Hygin. fab. 175. *Solio sedere* est descriptio regis florentis et sceptra in throno vibrantis ac jura dantis. Oud.

154. *Oenea desertum.* Agnus, inquit Hygin. d. fab., Parthaonis filius, ut vidit Oeneum

Exsulat ignotis Tydeus germanus in oris:
  Alter fatali vivus in igne fuit.
Exegit ferrum sua per praecordia mater.
  Impia quid dubitas Deïanira mori?
Deprecor hoc unum, per jura sacerrima lecti,
  Ne videar fatis insidiata tuis.

fratrem, *orbum liberis* factum, egentem regno expulit atque ipse regnum possedit.

Nuda senecta, inops, egens.

Premit. Aerumnarum pondus indicat et gravitatem.

155. *Exsulat ignotis — oris*, Argis, quo ob occisum in venatione alterum fratrem Menalippum confugerat. Hygin. fab. 69. Deïanira, ut mulier, vel nesciebat, vel recte se fingit nescire, quo frater aufugisset. Oud. Cf. not. ad vs. 65. Ep. I.

156. *Alter* etc. V. not. ad vs. 92. Ep. III. Cf. Ovid. Metam. L. VIII. vs. 516.

157. *Exegit ferrum* etc. Ovid. Metam. L. VIII. vs. 530.

Nam de matre manus, diri sibi consciа facti,
Exegit poenas, acto per viscera ferro.

A quo haec fabula tota narratur inde a vs. 446.

158. *Quid dubitas mori* etc. Animus scil. malis adtonitus, in eorumque cogitatione defixus ad inopiam consilii ac desperationem delabi, plerumque solet.

159 — 168. *Deprecor* etc. Hoc unum, antequam pereo, a te Hercule precor, ac per sacrum conjugii foedus obtestor, ne credas me consulto vitae tuae insidias struxisse. Bono enim animo, malo quamvis exitu, vestem Nessi sanguine tinctam tibi adferendam caraveram. Nessus quippe, postquam mei amore ardens Illius pectus telo perfoderas, hoc mihi dederat consilium, ut, quoties de tua fide dubitarem, tunicam suo sanguine inbutam tibi mitterem, cujus haec vis esset, ut aliam praeter me amares neminem; hujus ergo monitis inprudens parui. Quid tandem, quae in maritum ita saevieris, Deïanira! mori cessas?

Et jam ad mortem mihi inferendam cum parata sim, vobis vale dico grandaeve pater, iisdemque mecum parentibus orta Gorge, et patria, Calydon, et frater, Tydeu, patria extorris. Vale et tu, lux alma, non amplius oculis adspicienda meis, tuque Conjux (valere utinam possis!) et fili Hylle vale!

159. *Deprecor.* Vehementer

Nessus, ut est avidum percussus arundine pectus,
Hic, dixit, vires sanguis amoris habet.
Illita Nesseo misi tibi texta veneno.
Impia quid dubitas Deïanira mori?
Jamque vale, seniorque pater, germanaque Gorge,
Et patria, et patriae frater ademte tuae.
Et tu, lux oculis hodierna novissima nostris,
Virque, (sed o possis!) et puer Hylle, vale.

precor. V. Ovid. Ep. III. vs. 77. Drakenb.

Per jura — lecti. Per matrimonium. Vid. Ep. V. vs. 101. Drakenb.

161. *Nessus.* V. Argum. §. 4.

Avidum. Amore flagrans. *Avidum*, inquit Ruhnk., mei, quam rapere et stuprare conabatur. V. Ovid. Am. L. III. El. 8. vs. 59.

Arundo pro sagitta usurpant poëtae, quia ex arundine plerumque cuspide ferrea armata constat. *Arundinis* itaque mentione facta, fieri aliter non poterat, quin antiqui *sagittam* cogitarent. *Synecdochen* Grammatici dicunt, *pars pro toto*. Quibus Rhetoricis figuris id scilicet cavere voluerunt Grammatici, nimia veterum reverentia obcaecati, ne quis peccasse scriptores illos inpie crederet.

163. *Illita* etc. V. Argum. §. 4.

Texta. Vestem textam. Ovid. Cf. Ovid. Ep. XVII. vs. 223. Ex Ponto L. III. Ep. 4. vs. 110. Drakenb.

165. *Jamque.* Ense ad interitum parato jamjam peritura suos salutat.

Vale. Morientes enim, inquit Ovid., amicis praesentibus et absentibus, vel amici morientibus dicebant sibi mutuo *Valere*, tanquam a se invicem discedentes. V. Ovid. Am. L. II. El. 6. vs. 48. Metam L. II. vs. 363. L. IX. vs. 382. Kirchm. de Fun. L. III. c. 9.

Senior. V. ad Ep. I. vs. 37.

166. *Et patriae* etc. Cf. supra vs. 155.

168. *Sed.* Orationis abruptae signum est. V. Turnell. in v., quae animi Deïanirae affectibus quam apta sit, nemo est, qui non videat. *O possis*, intellige *valere*, quod, ut ad h. vs. Drakenb., ex fine versus huc repetendum est.

Puer Hylle. Puer veteribus vel filium significabat vel servum. Hic loci filium. Cf. Ep. XVI. vs. 90. Exitus rei fuit, inquit Hubert., quod, prius quam Hercules mortuus esset, Deïanira, audita calamitate Herculis, ense, vel, ut Diodorus, laqueo vitam fini-

ret. Hyllus vero Iölen, justu patris Herculis, post ejus mortem uxorem duxit et ex ea prolem subcepit. Scribitur haec fabula plene ab Ovidio L. IX. Metam.

EPISTOLA X.

ARIADNE THESEO.

ARGUMENTUM.

§. 1. Ariadne, quae hanc epistolam scripsisse dicitur, fuit filia Minois junioris, et Pasiphaës, e Sole et Crete natae, qui quidem Sol infestissimam sibi habuit Venerem, quod suum cum Marte adulterium Vulcano indicasset, qui, minutissimis catenis lectulo, in quo cum adultero concubuerat, cincto, cunctis eam Diis deridendam praebuerat, unde factum est, ut Venus, id vehementer dolens, omnem Solis stirpem infandis amoribus persequi coeperit.

§. 2. Quam ob rem neque Ariadne hujus effugit iram. Factum nempe est, ut Minoïs filius Androgeus vel in bello, vel, ut alii volunt, in certamine ludrico Athenis dolose interficeretur, cujus caedis consequens fuit, ut Minos Athenienses vel acrius persequeretur vel bello peteret, eo subcessu, ut vectigales sibi redderet Athenarum incolas. Muersius in Creta c. 3.

§. 3. Inter poenas, quibus victos adfecit Cretae rex, et haec erat, ut Athenienses quotannis septem pueros totidemque puellas Minotauro mitterent devorandos. Minotaurus autem monstrum, superiore corporis parte hominem, inferiore taurum referens, e Pasiphaë Daedali arte in vacca lignea inclusa et tauro prognatus perhibetur. Hoc suum dedecus ut omnes Cretae incolas celaret Minos, Daedali artificio usus legitur, qui Labyrinthum ipsi perfecit, ut canit Ovidius Metam L. VIII. vs. 159. seqq.

Daedalus, ingenio fabrae celeberrimus artis
Ponit opus: turbatque notas, et lumina flexum
Ducit in errorem variarum ambage viarum.

Cf. Goguet l'origine des lois, des arts et des sciences Vol. II. pag. 196. Ed. Paris 1820.

§. 4. Tertio vero post devictos a Minoe Athenienses anno sors ita voluit, ut Theseus, Aegei Athenarum regis filius, inter eos numeraretur, qui Minotauro praedae essent (alii sponte sese ad triste hoc iter obtulisse Theseum narrant. Hygin. fab. 41.) Theseus ut in Cretam venit, cf. Goguet Op. l. Vol. II. pag. 291, corporis forma, et vultus liberalitate regis filiam Ariadnen ita cepit, ut in tantum ejus amorem exardesceret, quo nihil negare rei amatae posset, omnia contra, gravissima etiam, subire auderet, modo, quod adamaret, sibi servare valeret.

§. 5. Ariadne itaque pietate inpia facta est. Fratrem Minotaurum prodidit, ut hospitem servaret, cujus amore flagrabat. Huic enim Labyrinthum intranti filum januae adfixum dederat, quo ducente, postquam Minotaurum interemisset, curva haec, ut ait Ovid. Ep. IV. vs. 60, tecta fugeret. Neque arti eventus defuit. Quam vero gratiam pro tanto beneficio a Theseo retulerit Ariadne, §. seq. videamus.

§. 6. Vixdum Virginis regiae ope ab inminente periculo liberatus Aegides Theseus Cretam reliquit, secumque Ariadnen abduxit, quam Athenis uxorem duceret. Mare Myrtōum feliciter emensi ambo ad insulae Diae sive Naxi litora adpulerunt, quae Cycladum maxima erat, vitiumque Baccho sacrarum feracissima. Hic tempestate retentus cum comite Theseus, ut ex amore ad se rediit obprobriumque, in quod incurreret, secum reputavit, si cum barbara, conjuge futura, cui quidem praecipue suam laudem deberet, Athenas reversus esset, facinus detestandum ausus est. Alto somno quippe sopitam in Naxi litore reliquit illam vitae suae servatricem, quae pro ipso fratrem necandum praebuerat, patriam, parentesque reliquerat.

§. 7. Somno itaque excusso cum frustra Theseum quaereret, neminemque circum se videret, quid mirum, si femina, cujus aures circumsonarent ad litus fracti maris fluctus, quaeque a feris tam hominibus quam animalibus, quae hac in insula esse opinabatur, sibi timeret, quid mirum, inquam, si hisce in rebus Theseo scribens, ut ponit Ovidius, in quaerelas non tantum erumpat, sed et obprobria in eum effundat, animum abjectum minimeque regalem exprobret, virumque detestetur ingratissimum, scopulis, ferroque ipso multo duriorem.

A Theseo vero destitutae, ut ait Ovid. Metamorph. l. VIII. vs. 177. sq.

Amplexus et opem Liber tulit. Utque perenni
Sidere clara foret, sumtam de fronte coronam
Immisit coelo. Tenues volat illa per auras.
Dumque volat; gemmae subitos vertuntur in ignes
Consistuntque loco, specie remanente Coronae,
Qui medius nixique genu est, anguemque tenentis.

Vid. Plutarch. in comparatione Theseï et Romuli lit. E. Edit. Francof. 1620. Oper. tom. I. pag. 37. Hygini Poëticon Astronomicon L. II. c. 5, 6, 7.

Mitius inveni, quam te, genus omne ferarum:
Credita non ulli, quam tibi, pejus eram.
Quae legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto:
Unde tuam sine me vela tulere ratem.
In quo me somnusque meus male prodidit, et tu,
Per facinus somnis insidiate meis.

Vs. 1—7. *Mitius inveni* etc. Saevitia omnes, quas obfendi; feras, longe superas, ita ut harum nulli majori cum periculo meo committi potuerim, quam tibi. Quas Theseu! legis literas, ex illius insulae litore ad te veniunt, unde, me relicta, Athenas classe petisti. Quo in litore et somnus me praeter opinionem perdidit, et tu, mihi dormienti ac nihil mali suspicanti insidias dolose tendens, omnibus aerumnis praedam reliquisti.

1. *Mitius* etc. Clementius se mecum habuissent ferae, et fidelius custodissent, quam Theseus. Anton. Cf. Seneca in Hippol. Act. II. vs. 558.

2. *Credita.* Creduntur propriae res et pecuniae debitoribus, ut statuto tempore reddantur integrae.

3. *Ex illo — litore.* Cf. Argum. §. 4.

4. *Vela tulere.* Simplex pro composito *abstulere.* Cf. Ep. XII. vs. 200. *Velis* itaque poëtarum more actio tribuitur.

5. *Male.* Cf. not. ad vs. 99. Ep. IX. *Prodidit.* Cf. not. ad vs. 40. Ep. I. *Et tu* scil. prodidisti.

6. *Per facinus.* Facinore scelesto. More facinoroso. Eleganter praepositio *per* inservit circumscribendis adverbiis. Plura exempla Heins. et Burm. ad h. l. notârunt. V. Cort. ad Sall. Catil. c. 12. et Drakenb. ad Liv. L. IV. c. 58. §. 12. Drakenb.

Somnis. V. Argum. §. 4.

Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina
Spargitur, et tectae fronde queruntur aves.
Incertum vigilans, a somne languida, movi
Thesea pressuras semisupina manus.
Nullus erat: referoque manus, iterumque retento,
Perque torum moveo brachia; nullus erat.

7—13. *Tempus erat* etc. Illud tempus erat, quo terra gemmeis roris guttulis tanquam semine spargi coepit, atque alites sub frondibus latentes canunt; cum, vigilarem an dormirem dubia, viribus adhuc post somnum deficientibus, semisupina manus ad Thesea adprehendendum extenderem. At, quem tangam, invenio neminem. Somno me delusum autumabam; eodem tendo manus, iterum ac saepius tento, ac tactu omnem lectum exploro: frustra. Nusquam Theseus erat.

7. *Tempus erat* etc. Invidiam, inquit Anton., auget Ariadne a tempore et circumstantiis (melius *rebus*), nam tempus, locum et facti conditionem circumscribit. *Illa hora matutina erat.*

Vitrea—pruina. Ern. W. Higt in Reditum veris vs. 15.

Vidimus campos *pruinis* obrutos *candentibus.*

8. *Queruntur.* Veteres omnem avium vocem vocarunt querelam, ut ait Schol. Horat. Epod. carm. 2. vs. 26. Cf. Ovid. Ep. XV. vs. 152. et XVIII. vs. 82. Oud. Cf. Higt carm. l. vs. 67. sq.

9. *Incertum.* Adjectivum neutrius generis in acc. ex Graecorum imitatione positum pro adverbio *incerte. Incertum vigilans* interpretatur Anton. «quae non omnino eram expergefacta, sed adhuc in somno languescebam.»

A somno. Post, aut propter somnum. V. Tursell. in v. *a.*

10. *Pressuras.* Libri veteres, inquit Ruhnk., fluctuant inter *pressuras* et *prensuras*, ex quibus deteriorem lectionem elegit Burm. Convenit quidem verbum *premere* ardenti amori, sed non convenit Ariadnae *semisupinae* Theseum avido amplexu premere, quae potius illum manu *tangebat*, *prehendebat.* V. Ovid. Fast. L. V. vs. 476. Virg. Aen. L. II. vs. 793. Lucan. L. V. vs. 738. ubi Cornelia uxor in eodem lecto cubans cum Pompejo marito non audet *flentem deprendere Magnum.*

11. *Nullus erat.* Plane, omnino non aderat. V. Bergman V. D. ad Bentl. Epist. pag. 86. et ad Hemsterh. Elog. pag. 52.

Iterumque retento. Iterum,

Excussere metus somnum: conterrita surgo:
Membraque sunt viduo praecipitata toro.
Protinus adductis sonuerunt pectora palmis:
Utque erat a somno turbida, rapta coma est.
Luna fuit: specto, si quid, nisi litora, cernam.
Quod videant oculi, nil, nisi litus, habent.

iterumque tactu exploro, an Theseus in parte tori esset. V. Ovid. Metam. L. X. vs. 288. Seneca Ep. 45. Quinct. Declam. I. c. 9. (pag. 22. Edit. Burm.) Interpretes ad h. l. Ruhnk.

12. *Per torum. Per*, inquit Tursell., distributioni servit, et de loco, tempore, personis dicitur et proxime ad *in* accedit.

13. *Excussere* pp. depulere, ut nihil somni superesset. *Ex* enim universe *perfectionem* notare et *quatere* vim ponere saepius observatum dedi. Cf. Ep. XIV. vs. 43.

Conterrita. Perterrita. *Con* sive *cum* verbi virtutem auget; hinc *membra* de *toro praecipitata* sunt: hinc Sil. Ital. L. II. vs. 222.

„Praecipitat metus attonitas, coecique feruntur."

i. e. interpretante Drakenb. ad h. l. efficit, ut summa festinatione fugiant.

14. *Viduo.* Cf. not. ad vs. 10. Ep. I.

15. *Adductis* ad se, quas prius extenderat, palmis. *Sonuerunt*, ab ictibus manuum, quibus percutiebantur.

16. *A somno.* Cf. vs. 9. h. Ep. ibiq. not.

Rapta. Vim et celeritatem nobis ob oculos verbum ponit, quibus capillos exscidit. Cf. not. ad vs. 15. Ep. III.

17—25. *Luna fuit* etc. Luna fulgebat: Oculorum aciem intendo, an forte praeter litora aliquid discernam; his vero nihil nisi litora conspicio. Metus agor stimulis, me nunc in hanc nunc in illam partem propipio, quo me vertam nescia: teneros mox arena defatigatos vix traho pedes, qua altitudine colluctans cum per totum litus, Theseu, alte vocarem; *Theseu* e speluncis mihi retulit Echo. Nec semel hoc fecit, sed tuum mihi toties, quoties adpellabam, nomen reddidit, opem, quam tu mihi denegabas, locus ipse mihi miserae sponte praestitit.

17. *Si quid.* Uti inde a vs. 9. Ovidius, natura duce, semisopitae amantis, quae conjugem ipsius lateri, ut falso putabat, adjacentem manu contingere tentabat, et conditionem describit et actionem; ita a vs. 13. metus in Ariadne ef-

Nunc huc, nunc illuc, et utroque, sine ordine, curro:
Alta puellares tardat arena pedes.
Interea toto clamanti litore, Theseu,
Reddebant nomen concava saxa tuum:
Et quoties ego te, toties locus ipse vocabat;
Ipse locus miserae ferre volebat opem.
Mons fuit; adparent frutices in vertice rari:
Hinc scopulus raucis pendet adesus aquis.

fectus, et desperationis indicia eleganissime exponit. Cujus quidem adfectus haec est vis atque efficacitas, ut furore concitata locum, ubi consistat, non inveniat, huc illuc erret, subsistat, exprobet, precetur, exclamet, viribus exhaustis, desiciat, mox, ira et indignatione exardescente, easdem tragoedias excitet, donec excusso tandem omni rationis imperio in se ipsa saevire incipiat, sibique manus inferat.

Si quid. *Si* pro *an* per Graecismum. V. Vechn. Op. l. L. II. c. 3. Cf. not. ad vs. 93. Ep. V.

Nisi pro *praeter*. Tursell. in v. Not. ad vs. 27. Ep. II.

19. *Utroque*. In utramque partem. Hubert. V. Ovid. Rem. Am. vs. 443.

Sine ordine. Quem servare desperatio vetat.

20. *Puellares*, teneros ac delicatos.

24. *Ipse locus* etc. Quia, quod tu nolebas facere, ipse faciebat, ut mihi responderet. Hubert. Ecce! inquit Anton., quanta saevitia arguit Theseum, ut, inmoto Theseo, ad misericordiam inanimata concitet.

Opem. Clamando et resonando nomen tuum, ut ita facilius me audires. Oud.

25—37. *Mons fuit* etc. Mons non longe aberat. Hic illic humiles virgultae in summo monte, ex quo dependebat rupes frementibus undis excavata. Enitor (ut possim, adfectus faciunt) atque ita profundum, qua late patet, oculis perlustro mare. Ex eo loco (nam et ventos mihi habui infensos) vela prospexi rapido noto turgida, quae cum vel vidi, vel cernere mihi visa sum, prae formidine sanguis glacie durior diriguit, jam jamque moriturae simillima solo quasi infixa haesi. Nec tamen diuturnum hunc stuporem esse sinit dolor: stimulor, stimulor illo, atque alta voce Thesea adpello. Quo fuga te abripis exclamo: huc redi improbe Theseu. Verte proram. Non enim in nave tot sunt itineris socii, quot esse debent.

25. *Fuit*. Verbum *loci*, supra vs. 17. *temporis*.

Adscendo, (vires animus dabat) atque ita late
Aequora prospectu metior alta meo.
Inde ego (nam ventis quoque sum credebilus usa)
Vidi praecipiti carbasa tenta noto.
Aut vidi: aut etiam, cum me vidisse putarem,
Frigidior glacie semianimisque fui.
Nec languere diu patitur dolor: excitor illo:
Excitor, et summa Thesea voce voco.
Quo fugis? exclamo: scelerate, revertere, Theseu.
Flecte ratem: numerum non habet illa suum.

Frutices — rari. Paucissimi hic illic dispersi qui liberum adeo mihi praebebant prospectum.

26. *Raucis.* Ad aurium sensum formatum adjectivum. *Scopulus* autem *aquis adesus*, inquit Drakenb., est fluctibus et impetu maris arrosus. V. not. ad Sil. Ital. L. V. vs. 396. Talis autem scopulus aquis adesus eleganter dicitur *pendere*, quia radice, qua scopulus terrae adhaerebat, exesa mari imminebat, et tantum a superiore parte reliquo monti conjungebatur. Cf. Virg. Aen. L. I. vs. 166. L. VIII. vs. 190.

27. *Adscendo (vires animus dabat).* Quia obcurrebat, posse objici, quomodo poteras adscendere? Nemo enim tam imbecillus et timidus est quem animus et cupiditas aliquid faciendi non faciat et fortem et audacem. Hubert. Cf. Ovid. Ep. II. vs. 121. sq.

28. *Prospectu metior.* Oculis exploro, quantum in omnes partes sese extendat mare. Cf. Ep. VI. vs. 69. sq.

29. *Nam ventis* etc. Quorum beneficio quam celerrime avectus es. Tria nempe sibi habuit adversa, somnum, fidem et ventos.

30. *Praecipiti.* Cf. vs. 12. Ep. II. et vs. 58. Ep. III. *Praeceps* hic *notus* dicitur, qui celeriter impellit navem, et ita efficit, ut *praeceps* feratur. Drakenb.

Carbasa tenta. Cf. vs. 171, Ep. VII. vs. 15. Ep. XIII. Val. Flacc. L. IV. vs. 422.

31. *Aut vidi* etc. A dubitatione, inquit Anton., movet misericordiam. Fieri potest, ut tuam navem non viderim; sed voluntas me impulerit, ut te vidisse existimarem.

32. *Frigidior glacie.* Cf. vs. 14 et 22. Ep. I. et not. ad vs. 14.

33. *Nec languere* etc. Gemitus dolor edere cogit, ut canit Ovid. Ep. XI. vs. 52. *Languere* est, nihil agere, otiosam

Haec ego, quod voci deërat, plangore replebam,
Verbera cum verbis mixta fuere meis.
Si non audires, ut saltem cernere posses,
Jactatae latae signa dedere manus.
Candidaque imposui longae velamina virgae,
Scilicet oblitos admonitura mei.
Jamque oculis ereptus eras: tum denique flevi;
Torpuerant molles ante dolore genae.

esse. V. Cic. de Nat. Deor. L. I. c. 4. Drakenb.

35. *Quo fugis?* Cum stomacho legendum, inquit Anton; verbum hoc *invidiose* posuit. Quasi heram servus fugeret Theseus. Timenda fugimus, amata petimus. Cf. not. ad vs. 41. Ep. VII.

36. *Numerum non habet illa suum.* Navigantium numerus requisitus nondum inpletus est. Ego enim Ariadne absum, quae adesse debebam. V. Ern. Clav. Cic. in v.

37—43. *Haec ego* etc. Ita ego clamabam. Vox ubi forte deficeret, defectum atque inbecillitatem pectore plangendo resarsi, interque clamores pectus percutere nunquam desii. Vel sic mihi metus obrepsit, ut me audires: ergo ut, etiamsi planctus clamoribus juncti ad tuas aures non venirent, videre certe me posses, manibus quaqua versum motis praesentiam meam tibi significavi, longaque pertica album sustuli pannum, ut nempe et te et ïtineris socios, quorum animis excideram, in mei revocarem memoriam!

39. *Si non. Etiamsi non.* V. Turself. in v. *si.*

42. *Scilicet.* Nempe. Indignantis.

43—51. *Jamque oculis* etc. Nunc etiam ex oculis meis venti navem, qua tu vehebaris, abstulerant: tum demum lacrimas fundere potui, in quas erumpere doloris adhucdum vetuerat torpor. Quodnam officium mihi praestare aliud oculi possent, quam ut meam miserae sortem deflerent, postquam videndo mihi prodesse amplius nequirent. Omni ergo reditus tui spe sublata, aut sparsis comis, ut Bacchi sacerdos a suo stimulata Numine, per solitudines vagata sum; aut oculis in mare defixis exsanguis saxo inhaesi omni sensu, ut saxeus mons, cui insidebam, vacua.

43. *Tum denique flevi.* Causam, quare nunc demum fleverit, vs. seq. reddit Ariadne. Conjunctiones enim causales omittere poëtae fere solent. Cf.

Quid potius facerent, quam me mea lumina flerent? 43
Postquam desierant vela videre tua?
Aut ego diffusis erravi sola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo?
Aut mare prospiciens in saxo frigida sedi;
Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.
Saepe torum repeto, qui nos acceperat ambos;
Sed non acceptos exhibiturus erat.

P. van Schelle Hagar aan Abraham pag. 18.

44. *Molles — genae.* Plerumque per *genas* intelligitur ea pars faciei, quae est inter oculos et mentum, sive malae, ut Ep. V. vs. 72. Verum alibi *genae* etiam notant pellem superiorem et inferiorem, qua oculi clauduntur, sive palpebras. V. Stat. Silv. L. V. S. 4. vs. 8. Hinc etiam *genae* pro ipsis oculis ponuntur, ut Ep. XI. vs. 10. Ep. XX. vs. 206. Ep. ex Ponto L. II. Ep. VIII. vs. 66. Eo sensu enim h. l. vox capi debet, uti patet ex adjectivo *molles*, sive, quae facile moventur in lacrimas. Ita Ovid. Rem. Am. vs. 340. Drakenb.

47. *Aut ego diffusis* etc. πάθος a corporis habitu. Augetur enim commiseratio, si, cum sollicitudines nostras exposuerimus, corporis habitum, qui fortunam praesentem deceat, subjectamus. Anton.

Erravi. Cf. not. ad vs. 17. h. Ep.

Sola. Vere enim lugentes celebritatem fugiunt.

48. *Ogygio — Deo.* Baccho, qui Thebanus et Ogygius ab antiquiore Boeötiae rege, Ogyge, dictus est, et *Aönius*, ut Boeötia Aönia, ab incolis Aönibus. V. Ovid. A. A. vs. 312. L. I.

Baccha. V. Bentlej. ad Horat. Od L. I. Od. 25. vs. 11. Adn. ad Ep. IV. vs. 47.

49. *Mare prospiciens.* Ut solent, qui aliunde vel malum vel bonum exspectant.

Frigida. Consequens pro antecedente, ut Grammatici loquuntur. Adjectivo causa inest, quare sedeat.

Sedet. Cf. not. ad vs. 76. Ep. II.

50. *Lapis — lapis.* Prior saxum ipsum, sive montem saxeum significat; posterior montis saxei naturam, quatenus frigidus est atque inmobilis, omnique sensu penitus destitutus. V. not. ad Terent. Heaut. Act. IV. Sc. 7. vs. 3. Ed. Westerhov.

51—59. *Saepe torum* etc. Saepe stratis incubo, quae nos ambos

Et tua, qua possum, pro te, vestigia tango;
Strataque, quae membris intepuere tuis.
Incumbo; lacrimisque toro manante profusis,
Pressimus, exclamo, te duo: redde duos.
Venimus huc ambo: cur non discedimus ambo?
Perfida, pars nostri, lectule, major ubi est?
Quid faciam? quo sola ferar? vacat insula cultu.
Non hominum video, non ego facta boum.

nocte adceperant quidem, at luce exorta, redditura non erant: et, quatenus licet, in ea tori arte jaceo, qua tui signa reliquisti, quaeque membris tuis incaluerat. Lecto os meum impono, illoque lacrimis largiter effusis fluente, Ego et Theseus, exclamo, corpora nostra tibi credidimus; duo haec mihi reddere teneris. Ambo te ingressi sumus, ambobus quare discessum negas? Lectule, cui male confisa sum, dic, quo maritus, melior pars nostri, abierit?

51. *Saepe torum repeto.* Quod amantibus proprium est. V. Heyn. ad Virg. Aen. L. IV. vs. 83.

52. *Exhibiturus.* Palam praebiturus. *Exhibere*, inquit Burm. ad vs. 116. Ep. XVII, idem notat, quod *ostendere*, *publice monstrare*. Ex lege, inquit Drakenb., et more Jurisconsultorum hic usurpatur verbum pro *praestare praesentiam* ejus, de quo agitur, V. l. 246. Dig. de Verb. Signif. Libri L. Tit. 16.

53. *Pro te*, tui loco. Hubert.

55. *Manare.* Continuatum, non intermissum liquoris cursum notat. *Toro manante.* Hac hyperbole Ariadne indicat, se largum admodum lacrimarum imbrem profudisse. Drakenb.

Profusis. Fundere per se copiam significat quam cumulatam reddit praepositio *pro.*

56. *Pressimus*, *exclamo* etc. Πάθος ab allocutione ad rem inanimatam. Anton.

57. *Ambo* de iis dicitur, qui *uno tempore* et *simul* quid faciunt. *Uterque* de iis qui *diverso tempore* et *separatim.* Popma de Differentiis verborum in v. *ambo.*

58. *Lectule.* Contumeliae et indignationis causa diminutivo usa est. Hubert.

Pars nostri major. Theseus, quia maritus major est uxore. Hubert.

Ubi est? V. not. ad vs. 32. Ep. II.

59—67. *Quid faciam* etc. Quid incipiam? quo me conferam sola?

Omne latus terrae cingit mare. navita nusquam:
Nulla per ambiguas puppis itura vias.
Finge dari comitesque mihi, ventosque, ratemque.
Quid sequar? accessus terra paterna negat.
Ut rate felici pacata per aequora labar;
Temperet ut ventos Aeolus: exsul ero.

Inculta haec jacet insula. Nam, quocunque oculos verterim, nec homines deprehendo nec boves, opus rusticum facientes. Totam insulam mare circumfluit. Nullus in mari usquam nauta. Nullum ad iter maritimum paratum navigium. Pone vero, et comites adesse, et ventos, et navem, quae me exciperet. Quem, quaeso, locum peterem? Patria certe aditum negat. Quamvis per mare tranquillum felicem cursum tenerem; quamvis secundos ventos ex antro suo emittat ventorum arbiter Aeölus; non minus exsul ero.

59. *Quid faciam?* Haec dubitatio animum anxium arguit, et consilii inopem. Cf. Euripidis Medea vs. 502. Jo. Lenting V. D. ad h. vs. Virg. Aen. L. IV. vs. 323. sq. Senec. Med. vs. 451. sq.

Quo sola ferar? Quorsum derelicta femina me proripiam. V. not. ad vs. 70. Ep. VI.

Vacat insula cultu. Licet historiam vertere, ut (Poëta) moveat, velut orator. Ideo (Ariadne, sive mavis, Ovidius) ut a solitudine misericordiam concitet, cultoribus Naxon vacare dicit, cum ea tempestate esset cultissima. Multo enim ante Butes, Boreae filius, eam insulam tenuit, cum Lycurgi fratris insidias fugeret, insulamque, cum antea Strongyle vocaretur, Diam appellaret. Post paulo cum Thraces illam deseruissent, Cares ex Lamia profecti, duce Naxo, insulam occuparunt. Anton. ex Diod. L. VI.

60. *Facta boum.* Opera sive agriculturam. Heins.

62. *Ambiguas itura vias*, dubias, quales sunt viae maris. Hubert. Cf. Ep. II. vs. 36. Ep. III. vs. 66. V. not. ad vs. 59. Ep. I.

63. *Fingere* pp. formam alicui rei inprimere; qua ante carebat; hinc a rebus concretis ad abstractas significatione translata, *ponere*.

64. *Quid sequar?* Quem locum petam? quo me conferam? Oud. V. not. ad vs. 10. Ep. VII.

65. *Ut — labar. Labo* et *Labor* hoc differunt, inquit Popma Op. l. in v. *Labo*, quod *Labare* est *ruere* et *repente cadere*: *Labi* vero est *leniter sen-*

Non ego te, Crete, centum digesta per urbes;
Adspiciam, puero cognita terra Jovi.
Nam pater, et tellus justo regnata parenti,
Prodita sunt facto, nomina cara, meo. 70

simque deorsum ire. Elegantèr ergo scripsit Ovidius *pacata per aequora labi*, per mare adeo nullis tempestatibus turbatum. *Ut* in h. et seq. vs. idem valet, quod *quamvis*. V. ad vs. 116. Ep. I.

66. *Temperet. Temperare*, Habere rationem temporis, moderari, tempori accommodare, rem suo ordine et mensura administrare. Gesn. in Thes. *Ventos* temperare ergo est modum flandi ventis inponere, placidos, secundos ventos praebere.

67—77. *Non ego* etc. Nunquam profecto te Creta! in centum urbes divisam, quae Jovis incunabulis superbis, revisere mihi licebit, quae et vitae meae auctorem, et patriam ejus aequitate compositam ac florentem, res mihi carissimas, uno simul scelere funditus perdiderim, quod a me exspectavissent nullo unquam tempore. Eodem autem tempore praeter spem ac meritum ego decepta sum a te, quo, ne, quamvis Minotaurum fratrem necasses, in inexplicabilibus labyrinthi ambagibus perires, fila dedi, quae, qua redeundum tibi esset, viam demonstrarent, ac ducis vicem sustinerent: quando periculis modo ereptus per eadem haec pericula, ultrò adjurabas, te, dum ambo viveremus, nulla unquam vi ab amore mei abstractum iri. Vivimus; et tamen mei amorem posuisti, Theseu. Sed quid ego? *vivimus?* non vivis, Ariadne, conjugis perjuria et fraudibus mortua jam ac sepulta.

67. *Non ego, te, Crete.* Habet apostrophe in legentium vel audientium et adtentionem et adfectus vim singularem; praesertim, si res, ad quam nos dicendo convertimus, sit inanimata. Cujus vis in veteribus haec forte causa dicenda sit, quod, cum singulis in hac Universitate rebus singulos Deos sive Daemones inesse crederent, adtentio atque animi motus intenderentur exspectatione, an ad interrogata Deus forte responderet. V. Longinus Op. l. Sect. XVI. La Harpe Cours de Literat. Tom. I. pag. 102.

Digesta. Cf. not. ad vs. 93. Ep. IX.

68. *Puero — Jovi.* Cf. vs. 163. Ep. IV.

69. *Pater.* V. Argum. §. 1.

Justo regnata parenti. Justissimas enim a Jove, ut praese ferebat, adceptas Cretensibus leges scripsit, eximiaeque

Cum tibi, ne victor tecto moterere recurvo,
Quae regerent passus, pro duce fila dedi.
Cum mihi dicebas, Per ego ipsa pericula juro,
Te fore, dum nostrum vivet uterque, meam.
Vivimus: et non sum, Theseu, tua. si modo vivis, 75
Femina, perjuri fraude sepulta viri.

justitiae ergo Inferorum judicibus adscriptus dicitur. V. Dorn Seiffen in v. *Minos*.

Regnata. Graecorum more absolutum active usurpatur. V. Vechn. Hellenol. L. I. c. 7.

70. *Prodita*. V. not. ad vs. 40. Ep. I.

71. *Cum tibi* etc. Cf. Argum. §. 3, 4.

73. *Per ego ipsa pericula* Primo observandum est pronomen substantivum jurandi formulis saepius interponi: deinde pronomen adjectivum *ipsa* vim habere singularem, ut fere idem significet, quod *tota*, periculorum scilicet *magnitudinem* indicans. Cf. Peerlkamp V. Cl. ad Xenoph. Ephes. pag. 8. vs. 33. et D. Ruhnk. in dict. ad Terent. Phorm. Act. I. sc. 2. vs. 56.

74. *Meam*. Cf. not. ad vs. 1. Ep. I.

75. *Si modo vivis, femina* etc. Ad se ipsam convertit sermonem Ariadne, corrigens, quod dixerat, *vivimus*. Vult enim hic dicere: « Vivimus ambo, si modo, o misera femina Ariadne! tu possis dici *vivere*, quae es sepulta fraude Thesei. Hubert.

Sepulta. Cum is, inquit Oud., qui sepultus est, plane perierit sine ulla spe reviviscendi, vox *sepultus* coepit habere significationem *τῷ perditus*. Terent. Phorm. Act. V. sc. 7. vs. 50. *Nullus sum, sepultus sum*.

77—87. *Me quoque* etc. Utinam tibi, improbe! in animum induxisses, uti fratrem Minotaurum, ita et me, victimae instar, clava tua trucidare. Hoc saltem modo datam fidem praestitisses. Nunc vero, cum viventem me reliqueris, non tantum mala certo certius mihi eventura animo reputo, sed et, quaecumque relictam maneant, timida fingo. Mille mortis imagines animo obversantur meo; mors tamen me non adeo terret, quam, quo peritura sum, modus. In eo enim sum, subspicor, ut hinc inde fame coactus in me lupus irruat, qui, ventre dentibus rescisso, intestina discerpat. Neque ab hoc uno mihi forte timendum est. Utrum enim media insula, in cujus litore adsto, fulvos leones ac saevas tigrides complectatur, plane sum nescia.

Me quoque, qua fratrem, mactasses, improbe, clava;
Esset, quam dederas, morte soluta fides.
Nunc ego non tantum, quae sum passura, recordor:
Sed quaecumque potest ulla relicta pati.
Occurrunt animo pereundi mille figurae:
Morsque minus poenae, quam mora mortis, habet.
Jam jam venturos aut hac, aut suspicor illac,
Qui lanient avido viscera dente, lupos.

77. *Me quoque, qua fratrem.* V. Argum. §. 5.

Mactasses. V. not. ad vs. 43. Ep. I.

78. *Esset, quam dederas, morte soluta fides.* Sive, praestita a te esset fides data per *mortem* meam; nam jurasti me fore tuam, dum uterque *viveret.* Si jam occisa essem a te fidem solvisses sive praestitisses. V. Burm. ad Ovid. Metam. L. XI. vs. 135. Oud.

79. *Recordor.* Animo volvo, et corde sollicito perpendo. Uti enim *memor, memini, memoria* non tantum dicitur *de praeteritis*, sed et de *omni* cura tum praesentis, tum futurae rei; sic aliquando etiam *recordor* usurpatur. V. Justin. L. V. c. 7. Oud.

80. *Sed quaecumque.* Post voces *non tantum, non solum* plerumque inferri debent *sed etiam, sed quoque* aut similes ejusdem potestatis. Nonnunquam tamen, ut h. l., *etiam* vel *quoque* per ellipsin omittitur. Liv. L. XL. c. 29. §. 6. Cic. ad Fam. Ep. VI. pr. ad q. l. Manut. plura exempla habet Sanct. in Min. L. IV. c. 7. pag. m. 694. Periz. ad h. l. Drakenb.

Ulla relicta. Aliqua deserta. Commiseratio est, inquit Anton. ad vs. 79, quae excitatur recordatione eorum, quae nobis, ratione praesentis casus, graviora possunt accedere.

81. *Pereundi mille figurae.* Indefinite. Multae rationes, quibus mihi pereundum sit. Mortem certe, dum haec scriberet, sibi finxit Ovidius cui *figuram, formam* induit, licet non *mortem* exprimeret *ipsam*, sed *moriendi actum. Figurae*, inquit Drakenb., sunt species et modi, quibus *possum* perire. *Mille leti facies* dixit Sil. Ital. L. IV. vs. 593. V. ad vs. 123. Ep. VII.

82. *Minus poenae* vel ponitur pro quovis malo, vel intelligit supplicium, quod pro patris et patriae proditione meruit. Cf. Ep. XII. vs. 6. Oud.

Molestius est mihi vivere diutius, quam si confestim interirem. Anton.

[Forsitan et fulvos tellus alat ista leones. 85
Quis scit, an et saevas tigridas illa ferat?]
Et freta dicuntur magnas expellere phocas.
Quid vetat et gladios per latus ire meum?

83. *Jam jam* etc. Illico, statim. Geminata enim particula majorem celeritatem notat. Cf. Ovid. Metam. L. VIII. vs. 136. L. XII. vs. 388. Addita conjunctione *què* Metam. L. I. vs. 535

84. *Avido — lanient.* Habent haec verba saevitiae significationem. Alterum causam, alterum effectum notat.

85. *Forsitan* etc. V. van Lennep V. Cl. ad vs. 86. Cf. not. ad vs. 77. Ep. I. Utrum leones et tigrides in Naxo fuerint, nec ne, inquirere ab hoc loco alienum, atque ineptum mihi quidem videtur. Feminae vixdum in litus expositae, atque omnibus, ut timida fingebat, malis circumsessae hoc opinari licebat ac suspicari.

Ista. Quasi manu interiorem insulam demonstrans, in cujus litore versabatur.

87 — 99. *Et freta dicuntur* etc. Nec terra sola, quod timeam, habet, mare magnos etiam vitulos in suo sinu natos in litus ejicere dicitur. Quid praeterea causae est quin vel insulani vel maritimi praedones huc adpellentes latus meum gladio transigant? Ut ut sit, id tantum precor, ne *durâ* vincta catenâ abducar captiva, neve ab iniqua domina *mihi* servae gravius lanae, quam a colo deducam, adpendatur pondus: *mihi*, inquam, quae Jovis et Europae filio, Phoebique filiâ me natam glorior, quaeque, quod magis mihi cordi est majorisque facio, tua sponsa quondam sum celebrata. Undique sane mihi imminent pericula, sive mare, terras et in longitudinem extensa reputem litora. Relicta quidni celeribus in praedam atque escam cedam feris? Sive ab monstris marinis tuta maneam, neque saeva animalia hic vagentur, sed viri hunc locum teneant, meliorane ego ab his quam ab illis sperem? fidem viris habeo nullam. Tristis enim usus me didicit; peregrini atque hospites quantopere timendi sint.

88. *Quid vetat.* Quid prohibet? Formula in re vel facili vel legitima. Oud.

Gladios. Quod in paraphrasi *maritimos praedones* adderem, fecere voces *porrectaque litora*, vs. 93. obviae. Minois enim tempore mare praedonibus scatuisse historia docet. V. Meursius in Creta c. 3. pag. 127. seq. Cf. Goguet Op. l. Vol. II. pag. 292.

Tantum ne religer dura captiva catena;
Nete traham serva grandia pensa manu:
Cui pater est Minos, cui mater filia Phoebi;
Quodque magis memini, quae tibi pacta fui,
Si mare, si terras, porrectaque litora vidi:
Multa mihi terrae, multa minantur aquae.
[Coelum restabat. timeo simulacra Deorum.
Destituor rapidis praeda cibusque feris.]
Sive colunt habitantque viri, diffidimus illis,
Externos didici laesa timere viros.

Gladios ire. Phrasin hanc poëtis familiarem esse saepissime vidimus. Cf. vs. 148. Ep. III.

89. *Tantum ne.* Tantummodo ne, dum ne. V. Turnell. in v. *Tantummodo.*

Dura. Catenae naturam depingit.

90. *Traham.* Nendi actum repraesentat. V. ad Ep. III. vs. 75.

Grandia. Recte, inquit Burm., quae duritiam dominae, cui servituram se metuit, arguunt. Cf. not. ad vs. 78. Ep. IX.

91. *Cui pater est Minos* etc. V. Argum. §. 1.

92. *Quodque magis memini, quae tibi pacta fui.* Quae fui sponsa tua: pluris enim hoc facio quam patris et matris genus.

Pacta. V. not. ad vs. 4. Ep. II. ad vs. 95. Ep. VIII.

93. *Si.* Sive. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs. quem et de sequentibus consules velim; unde intelligas, quare duos proxime sequentes versus in paraphrasi omiserim.

94. *Terrae — minantur.* Res inanimatae dicuntur *minari*, cum aliquis ex iis malum sibi impendere existimat. Hinc *mala omnia* vocantur *minae* Deorum apud Val. Flacc. L. I. vs. 27. L. III. vs. 354. Drakenb.

95. *Simulacra Deorum.* Per periphrasin ipsi sunt Dei. V. Ovid. Metam. L. IV. vs. 779. Drakenb.

96. *Destituor.* Destituimur ab eo, unde auxilium ac praesidium non sine ratione speraveramus.

Rapidis. Rapacibus enim feris, ut esca potiantur, *celeritatem* natura tribuit.

98. *Didici laesa.* Laesione ipsa magistra didici. *Laesa.* Decepta. Quo sensu, qui pejerant, dicuntur *Deos laedere*; quod alibi poëtae exprimunt *Deos ludere, decipere.* V. Broukh.

Viveret Androgeos utinam: nec facta luisses
Impia funeribus, Cecropi terra, tuis!
Nec tua mactasset nodoso stipite, Theseu,
Ardua parte virum dextera, parte bovem!
Nec tibi, quae reditus monstrarent, fila dedissem,
Fila per adductas saepe recepta manus!

ad Tibull. L. I. El. 10. vs. 6. Drakenb.

99—111. *Viveret Androgeos* etc. Androgeus utinam in vivis adhuc esset; nec Vos, Athenienses, vestra in fratrem meum saevitia commisissetis, ut septem filios totidemque filias quotannis Minotauro objiciendo poenas penderetis! Nec tu, Theseu! sublata clava virum mactasses superiore corporis parte hominem, inferiore bovem! Neque ego tibi ducentia fila praebuissem, quae fila, dum redires, manus ad te versae, ac retractae, vicissim captabant! Mihi quidem mirum non accidit, quod victor revertereris, profligatumque monstrum terram suo sanguine conspergeret. Minotauri quippe cornu ferreum pectus tuum confodi non poterat; quamvis clipeo, quo te defenderes, caruisses, ipsa pectoris duritia ab ictu te tutum praestitisset. Illa circa praecordia triplex silex, triplex adamas erat, illa Theseum continebant quovis silice duriorem.

99. *Viveret* etc. Muliebre est, inquit Hubert., longe repetere causas suorum malorum. Cf. Ep. I. vs. 5. Ep. II. vs. 60. Ep. V. vs. 33.

Androgeos. Nominativus est Atticus, cujus ultima longa est qui est ω. Hubert.

Nec facta etc. V. Argum. §. 2. Plut. in Thes. Diod. Sic. L. IV. pag. 183.

100. *Funeribus — tuis*, corporibus caedi destinatis, Minotauro dilacerandis.

Cecropi terra. Est autem vocativus, inquit Hubert, a forma patronimica *Cecropis*, *Cecropidos*. Fuit Cecrops rex Atheniensium, qui primus apud eos maris et foeminae legitimam conjunctionem invenit, ex quo finxerunt eum fuisse geminae naturae. Ab eo Athenienses Cecropidae dicuntur.

De Cecrope vid Goguet, Op. l. Vol. II. pag. 17, 23. et auct. ab eo cit.

101. *Mactasset.* V. not. ad vs. 77. h. Ep.

Nodoso stipite. Cf. vs. 77. h. Ep.

102. *Ardua — dextera.* In

Non equidem miror, si stat victoria tecum,
Strataque Cretaeam bellua tinxit humum.
Non poterant figi praecordia ferrea cornu:
Ut te non tegeres, pectore tutus eras.
Illic tu silices, illic adamanta tulisti:
Illic, qui silices, Thesea, vincat, habes.
Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?
At semel aeterna nocte premenda fui.

aktum sublata ad graviorem ictum inferendum.

103. *Nec* etc. Cf. vs. 72. h. Ep.

104. *Fila* etc. Eleganter exprimit imaginem viri manibus suis filum seu funem sequentis et sic colligendo procedentis. Qud.

Het komt ons voor, inquit Recensent ook der Recensenten D. V. no. 12. bl. 1030, dat deze woorden alleen zien op den terugtogt van Theseus uit het doolhof, bij welken hij den draad inpalmde, of eigenlijk *met zijne handen dikwijls op nieuw aanvatte* en dus zijne handen *naar zijn ligchaam toe bewoog*. In gelijken zin *adductus* vs. 15.

101 — 104. Ach, dat uw
wreede vuist den knods
niet opgeheven
Noch 't monsterdier, half
mensch, half stier, verpletterd had!
Ach! had ik zelve aan u den
leidraad niet gegeven,
Den leidraad, door uw hand
zoo vaak op nieuw gevat!

Cf. Lucan. Phars. L. III. vs. 700.

105. *Miror, si.* Graeca constructione pro *quod*.

Stat victoria tecum. Haec dicendi ratio a re militari est desumta, ubi, qui sibi invicem opem ferunt, in eadem parte positi sunt, secum stant. Cf. Ovid. Trist. L. I. El. 2. vs. 5.

106. *Bellua.* Cf. vs. 102. h. Ep. vs. 115. Ep. IV.

Tinxit. Suo sanguine.

107. *Non poterant* etc. Cf. vs. 137. Ep. II. vs. 37. Ep. VII.

110. *Thesea.* Cf. Ep. VI. vs. 151. et not. ad h. vs.

Illic, qui silices, Thesea, vincat, habes. Quod nullum praebeat sensum, inquit Loers d. spec., corrigo e Cod. Trev. *habet*, et interpungo. « *Illic qui silices, Thesea vincat, habet*" unde hic expeditissimus oritur sensus. Ille solus, qui et idem silices illic, scil. in pectore, habet, Thesea vincere *potest*. Cf. van Schelle Hagar aan Abraham pag. 15. vs. 11. sq.

111 — 119. *Crudeles somni* etc. Quid vos, o somni! tam crudeles in me esse coegit, ut me alto somno, dum Theseus

Vos quoque, crudeles venti, nimiumque parati;
Flaminaque in lacrimas officiosa meas.
Dextera crudelis, quae me fratremque necavit:
Et data poscenti, nomen inane, fides.
In me jurarunt somnus, ventusque, fidesque.
Prodita sum causis una puella tribus.

aufugeret, in lecto retineretis nihil sentientem? Saltem me Orci tenebris omnino obruissetis! Et vos crudelitate insignes venti, qui promptam ni-mium Theseo me relinquenti tulistis opem; et vos o Flatus illi officium praestantes, ut ego lacrimas funderem. Saeva profecto dextra quae et me et fratrem trucidavit. Saeva etiam, quam mihi petenti dedisti, fides, somnus tantum, nihil significans, vox. In me itaque conspiraverunt et somnus et ventus et fides, atque ego una, viribus carens puella, ab hisce tribus, ilsque fortissimis, unde minime expectabam, perdita sum.

111. *Quid.* Propter quid. Quid commisi, quare in me irascemini? Apostrophe, qua saevitiam ils exprobrat quasi personis, a quibus nihil mali meruerat.

Tenere inertem. Facere, ut continua sit inertia, non intermissa. Cf. vs. 5, 6. h. Ep.

112. *At.* Saltem. V. Turnell. in v.

Semel. Omnino, prorsus. Id. in v. Duker. ad Flor. L. II. c. 12. §. 2.

Aeterna nocte premi. Alte et secure dormire in aeternum. V. Burm. ad vs. 96. Ep. VI.

113. *Nimium parati*, ad obsequium.

114. *In lacrimas officiosa meas.* Promta ad efficiendum, unde mihi calamitas oriatur, quae me flere jubeat. Sive efficientia fletum meum, quae suo opere adjuverunt somnum meum, perfeceruntque, ut celerius et longius Theseus aufugeret, egoque deserta plorarem. *Officiosus* est, qui alteri ministerium praestat. Oud.

115. *Me — necavit.* Feris animalibus ac saevis hominibus me praedam reliquit. Vel in fratre et me quasi interemit.

116. *Nomen inane.* Sine re. Oud. Sine effectu. Hubert. V. ad vs. 27. Ep. IX.

118. *Prodita.* V. not. ad vs. 40. Ep. I.

Una — tribus. Sibi obponuntur, ut, quam et numero impar sit, adpareat. *Causae* versu antecedente recensentur.

Ergo ego nec lacrimas matris moritura videbo:
Nec, mea qui digitus lumina condat, erit? 120
Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,
Nec positos artus unguet amica manus?
Ossa superstabunt volucres inhumata marinae?
Haec sunt officiis digna sepulcra meis?

119—125. *Ergo ego* etc. Mihi, proh dolor! jam jam moriturae non aderit mater, quae mortem meam defleat, nec cognatorum aliquis, qui meos morientis oculos claudat. Infelix anima mea in ventos abibit ignotos, nec membra rite componendi atque ex more unguendi officium amicus praestabit. Sepulturane carenti cadaveri insultabunt aves aequoreae? Dignum sane sepulturae honorem pro officiis a me tibi praestitis refero.

119. *Ergo.* Indignantis, et quaerentis. V. Tursell. in v. Cui particulae vim addit interrogatio. Adstruit, inquit Anton., in morte incommoditates, ut, non modo dum vixit, sed post fata incommoda patiatur.

Lacrimas matris etc. Cujus carissimae commiseratio, ac consolatio moriendi elevaret gravitatem. Miseriarum enim partem in se transferre videtur amicus, nedum mater, quae nostram vicem doleat, suoque adloquio animum a malis avertat. Cf. Hom. Il. L. XXI. vs. 123. sq. Tibull. L. I. El. 3. vs. 5. Van Schelle Hagar aan Abraham bl. 21. Drakenb. ad Sil. Ital. L. IV. vs. 77.

120. *Nec, mea* etc. Cf. Ep. I. vs. 102. et not. ad h. vs.

121. *Spiritus* etc. Mori enim in peregrina regione et procul ab amicis ac sine cura funeris ponebant veteres inter summa mala ac miserrima infortunia. V. Tib. L. I. El. 3. vs. 5. *Evanescere* quoque et *dissipari in auras* vulgo credebatur morientis spiritus. Ep. XII. vs. 85. Trist. L. I. El. 5. vs. 11. Oud.

122. *Nec positos* etc. Bene et ex more compositos in lecto funebri. V. Kirchm. de Funerib. L. III. c. 8. Oud.

Unguet. Bene lavata mortui membra sive ab amicis sive a pollinctoribus unguebantur. V. Kirchm. l. cit. Cf. Virg. Aen. L. VI. vs. 219. Oud.

123. *Superstabunt.* Verbum de eo adhibetur, qui, quasi victor, in cadavere sese conlocat, illud laniaturus. Burm. ad Phaedr. L. II. fab. 1. vs. 3. Ovid. Metam. L. XI. vs. 552. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XIII. vs. 300.

Inhumata. Nullum nempe majus veteribus adcidere ma-

Ibis Cecropios portus, patriaque receptus
Cum steteris urbis celsus in arce tuae,
Et bene narraris letum taurique virique,
Sectaque per dubias saxea tecta vias;
Me quoque narrato sola tellure relictam:
Non ego sum titulis subripienda tuis.

lum potuit, quam si nulla humo mortui conspergerentur, neve sepelirentur; centum enim annos in ripa Stygis umbrae errare debebant, antequam a Charonte transmittebantur. Hinc Ovidius in Trist. L. I. El. 2. vs. 52.

"Demite naufragium; mors mihi munus erit."

124. *Haec sunt* etc. Ironicam esse hanc interrogationem, vel me tacente, quivis intelligit.

Officia, monente Drakenb., sunt *illa beneficia*, quae ab Ariadne in Theseum profecta erant. Eodem sensu vox occurrit apud Cic. de Off. L. I. c. 18. pr. In Verrem L. V. c. 71. §. 182. Ovid. Ep. XVII. vs. 9.

125 — 133. *Ibis Cecropios* etc. Athenarum ergo portum intrabis; quo cum perveneris, ne, quaeso, quando de summa patriae urbis arce victoriam de Minotauro reportatam praedicas, ac pericula commemoras, quae tibi Labyrinthi in saxo excisi ambages permeanti inminebant, ne, quaeso, me taceas, quam in deserta insula reliquisti. Mei enim a te destitutae nomen quidni inter laudes tuas recenseretur? At vero tibi quid haec? Nam tu, ut gloriaris, non ex Aegeo, nec Aethra, Pitthei filia, natus es, ne ex homine quidem: rupes ac fretum vitae tuae auctores sunt.

125. *Ibis*. Indignantem animum indicat.

Cecropios portus. Cf. not. ad vs. 100. h. Ep. Ceterum accusativum, intellecta praepositione *in*, Graeco more a verbo regi, in aperto est.

126. *Steteris*, voti compos et victor. Gronov. ad Senec. Herc. fur. vs. 285.

Celsus. Cf. vs. 20. Ep. VII.

127. *Bene*. Venuste, concinne.

Letum — vias. Cf. Argum. §. 3, 4, 5.

128. *Dubias — vias*. Quarum utram eligas, nescis.

129. *Quoque*. Emphasin habet.

Sola tellure. Deserta, secreta, solitaria. Cf. vs. 84. Ep. XI.

130. *Titulis*. Cf. vs. 67, 68. Ep. II.

Nec pater est Aegeus; nec tu Pittheidos Aethrae
Filius: auctores saxa fretumque tui.
Di facerent, ut me summa de puppe videres!
Movisset vultus moesta figura tuos.
Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, adspice mente
Haerentem scopulo, quem vaga pulsat aqua. (135
Adspice demissos lugentis in ore capillos,
Et tunicas lacrimis, sicut ab imbre, graves.

Subripere. Clam, inscio possessore, aliquid vi aut celeritate auferre. h. l. nomen, quod inter reliqua mox inscriberetur, subducere, ne cum ceteris statuae basi insculperetur.

131. *Nec pater est Aegeus* etc. V. Argum. §. 4.

132. *Auctores saxa* etc. Cfr. vs. 37. sq. Ep. VII. et not. ad h. vs.

133 — 141. *Di facerent* etc. Quam vellem, ut altus a puppe me cernere potuisses! quo facto equidem nulla dubito, quin tristitiae meae indicia animum tuum misericordia adfecissent. Quod vero tum *oculis* facere neglexisti, id *cogitatione* facias. Finge me videre in rupe sedentem, quam mobilis unda continuo ferit. Adde animo solutos capillos in meo te quasi mortuum lugentis ore dispersos, et vestem lacrymarum copia, tanquam majore aquarum coelestium vi, depressam atque onustam. Observa, ut corpus exasperetur, aristarum in morem, quae vehementi borearum impetu concussae fluctuentur, ac litera tremente digito exarata vacillet.

133. *Facerent — videres.* Utinam Dii fecissent, ut me videres. De heterosi temporum vid. Vechn. L. I. c. 14.

Puppe. Pp. intelligenda puppis, quae navis pars in discessu insulam spectabat.

134. *Movisset*, ad misericordiam. Ad sui enim commiserationem hac suae conditionis descriptione Theseum movere Ariadne nititur.

136. *Haerentem.* Adfixam.

Vaga. Maris fluctus numquam cessantes ob oculos ponit adjectivum.

137. *Adspice demissos lugentis in ore capillos.* Construo, inquit Loers d. spec. « Aspice (ubi?) in ore meo lugentis (quid?) capillos demissos; i. e. inornatos, sparsos. Cf. Ovid. Trist. L. I. El. 1. vs. 10. sq. Am. L. III. El. 9. vs. 3.

138. *Sicut ab imbre.* Qua comparatione quantam lacrima-

Corpus, ut impulsae segetes Aquilonibus, horret:
Literaque articulo pressa tremente labat.
Non te per meritum, quoniam male cessit, adoro.
Debita sit facto gratia nulla meo:
Sed nec poena quidem, si non ego caussa salutis,
Non tamen est, cur sis tu mihi caussa necis.

rum copiam fuderit, melius adparet.

139. *Corpus — horret.* Horror est asperitas corporis, ubi contrahitur cutis, et adriguntur comae. Etsi ergo verbum *horrere* proprie dicitur, ejusmodi horrore consuti; participium tamen non tantum de hominibus, qui hoc horrore corripiuntur, sed etiam de rebus, quarum extremitates horrentium comis similes arrigi et asperari videntur, dici solet. Schwarz. ad Plin. Panegyr. c. 81. §. 1. Cf. Ovid. Ep. XII. vs. 101.

Aquilonibus. Et venti natura et pluralis numerus efficit, ut impulsus vehementissimos cogitemus.

140. *Pressa* stilo in libro vel cera per digitum. Locutio, inquit Ruhnk., translata est a re rustica. Arator enim dicitur *vomerem premere*, *aratrum imprimere*. Ovid. Ex Ponto L. I. El. 8. vs. 57. Burm. ad Val. Flacc. L. VII. vs. 63. Hinc *exarare* pro scribere.

141 — 150. *Non te* etc. Non te valde precor, tanquam, quae orem, beneficiis tibi praestitis merita sim; haec enim male mihi subcesserunt. Nullas omnino gratias mihi pro beneficiis debeas licet. Nec tamen est, cur poena me adficias. Quod, si ego (ut, tu forte opinaris) tuae vitae servatrix non fuerim; nihil certe commisi, quare eo mihi vitam eriperes. At hasce manus pectora tristi percutiendo defatigatas tibi, lato mari a me separato, tanquam victori ego victa porrigo. Ecce tibi capillos, quos moesta mihi reliquos feci per lacrymas, quas tu mihi expressisti, ora atque obtestor, ut, navem gestas ac retronaviges. Si prius, quam huc redieris, mortua iuero; quamvis me tecum abducere vivam nequeas, mortuam tamen auferre possis.

141. *Non te per meritum* etc. Solita, inquit Anton. deprecatione epistolam claudit Ariadne; cum vero ingratitudine Theseum insimulasset, non erat *beneficiis* deprecandus. *Adoro.* Compositum pro simplice *oro.* V. Broukh. ad Prop. L. I. El. 5. vs. 27.

Quoniam male cessit. V. Argum. §. 6. Not. ad vs. 101. Ep. VIII.

143. *Salutis.* Salus, inquit

Has tibi, plangendo lugubria pectora lassas,
  Infelix tendo trans freta longa manus.
Hos tibi, qui superant, ostendo moesta capillos.
  Per lacrimas oro, quas tua facta movent:
Flecte ratem, Theseu; versoque relabere velo.
  Si prius occidero; tu tamen ossa leges.

Schell. in Praec. St. h. Lat. P. I. c. 2. Sect. 7, non est *salus* sed *vita* vel potius securitas vitae sive hominis conditio, qua non habet, quod de vita sua timeat. Romani quoque usurpant de *vita civili*, h. e., de jure civitatis, honoribus, aliisque commodis, quibus cives Romani fruebantur: quae quia is, qui in exsilium abit, amittit; hinc saepe exsul dicitur *salutem amisisse*, ac, si in patriam revocatur, *salutem recuperare*.

145. *Has* demonstrative dixit manus, quas, supplicum more, ad Thesea tendebat.

Plangendo etc. Planctus enim in luctu antiquis familiaris tam Graecis quam Romanis.

146. *Freta longa*. V. ad vs. 46. Ep. VII.

147. *Qui superant*. Sive superunt; reliquos enim capillos, cum experrecta se solam vidisset, diciderat Ariadne vs. 16. h. Ep. Ovid.

- *Ostenda* — *capillos*. Quibus visis Thesei animus percuteretur et mollìretur. Quae enim videntur majorem, quam quae audiuntur vel leguntur, in humanum animum habent vim atque efficacitatem. Horat. Art. Poët. vs. 180. *sq.*

148. *Tua facta*. V. Argum. §. 6.

150. *Tu tamen ossa leges*. Non id solum optat Ariadne, ut ossa sua conligantur, sed magis etiam, ut ex inculta insula in cultiorem regionem transferantur, ibique sepeliantur, ubi umbra inter humanas saltem umbras versatura sit. Cf. Ep. XI. vs. 122. Trist. L. III. El. 3. vs. 65. Tibull. L. I. El. 3. vs. 5. et Broukh. in not.

EPISTOLA XI.

CANACE MACAREO.

ARGUMENTUM.

§. 1. Abruptum hujus Epistolae initium lectorem statim admonet scribentem vehementissimis actam quassatamque esse animi adfectibus. Et vero Canace Aeoli, ventorum regis, ex Enarete filia, dum hanc fratri Macareo scribebat, morti erat proxima; quam ipsa sibi inferre a patre cogebatur.

§. 2. Nec mors sola infelicis Canaces animum ita angebat, ut a desperatione proxime abesset. Perdita enim libido, qua in fratris amplexus ruerat, unde gravida redierat, scelestum coquebat animum, omnemque ei abstulerat quietem. Anxietatem, sollicitudinem, facinoris conscientia ortam mirum in modum auxerat natus ex incestu illo infans, quem, inscio patre, post maximos partus labores ediderat. Hunc servare, ac clam patre domo efferre maternus versabat animus; artem ac fraudes matris sagacitas, ubi infantis salus agebatur, invenit quidem, at male cesserunt.

§. 3. Dum enim nutrix, sacrorum faciendorum specie, infantem aedibus efferre conaretur, suo ipse se vagitu infans prodidit, quo audito pater Aeolus, postquam omnem rem cognoverat, ita ita exarsit, ut innocuum infantem canibus objici juberet; ac, dum Macareus in Apollinis Delphici templum confugeret, per satellitem filiae gladium mitteret, quo ipsa sibi mortem consciscerat.

§. 4. Hoc itaque temporis puncto, hisce in rebus, atque animi materni, male sibi conscii, adfectionibus, in ipso mortis confinio quis, qui hominum animos cognoverit, placidam ac quietam exspectet Canacem, cujus animus, quem Macareo, cum in eo erat, ut moreretur, his literis aperit, pudore, amore, angoribus, indignatione, misericordia, mortis tum infantis tum suae metu nunc huc agitaretur nunc illuc? Cf. van Lennep in Animadvers. ad h. Ep.

Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris,
Oblitus a dominae caede libellus erit.
Dextra tenet calamum; strictum tenet altera ferrum,
Et jacet in gremio charta soluta meo.
Haec est Aeolidos fratri scribentis imago:
Sic videor duro posse placere patri.

Vs. 1—7. *Si qua tamen* etc. Mitto has literas tibi legendas; quas si prae lituris legere minus possis, caede sive sanguine nostro adspersas esse scias. Qui factum sit, si quaeras; ex scribentis habitu intelliges. In dextra nempe manu conspicitur calamus, in sinistra gladius vagina vacuus; apertae literae in gremio positae. En speciem, qua Aeoli filia fratri scribit, quaque sola crudeli patri placere posse videtur.

1. *Si qua tamen.* Est, inquit Ruhnk., exordium abruptum, ut perturbatus Canaces animus exprimatur.

Tamen. Ponitur eleganter ista particula, quasi aliud membrum tum eo, cui respondere solet, *etsi*, praecessisset. J. Fr. Gronov. ad Liv. XXIII. c. 19. §. 12.

Caecis — lituris. Active. Quae quasi coecum reddunt et efficiunt, ut lector literas assequi non possit. Oud. Cf. Ep. IV. vs. 20. et not. ad h. vs. et ad Ep. III. vs. 3.

Errabunt. Lababunt, incerta erunt lectu. Oud.

2. *Oblitus.* Unctus. Bentlej. ad Horat. Od. I. II. Od. 1. vs. 5. Inquinatus, conspurcatus, inquinatus, tinctus, infectus. Oud. Ubertatem linguae Latinae, ac verborum, quibus una res variis modis indicatur, admiremur copiam, nec vero synonymias admittamus, at, ubi significationis varietas nos lateat, ignorantiam potius ingenue profiteamur.

Dominae. Auctoris, Mei scribentis.

Libellus. Parvum quodcunque scriptum, unius etiam paginae. Hic epistolam libello significasi quis nescit?

3. *Dextra tenet.* Poëtice agentem Ovidius facit dextram.

Calamus, quo antiqui, ut nos penna, utebantur.

Strictum, ad caedem adeo paratum. Cf. Ep. VII. vs. 185.

4. *Jacet — soluta*, non involuta, aperta, scribendo apta. Oud.

5. *Aeolidos — imago.* V. van Lennep. ad h. vs. Argum. §. 1.

6. *Sic* etc. Hac forma sive ense parata ad necem meam.

Ipse necis, coram nostra spectator, adesset:
Auctorisque oculis exigeretur opus.
Ut fatus est, multoque suis truculentior Euris,
Spectasset siccis vulnera nostra genis.
Scilicet est aliquid cum saevis vivere ventis:
Ingenio populi convenit ille sui.
Ille Noto Zephyroque, et Sithonio Aquiloni
Imperat, et pennis, Eure proterve, tuis.

patrem in odium adducit filia, commemorans ejus saevitiam. Hubert.

7—17. *Ipse necis* etc. Quam velim, ut in patris ipsius conspectu mihi necem inferrem; ac, qui caedem meam jussisset, praesens expenderet, num jussui satisfacerem. Et inmoto animo adstare poterat; natura enim durus est, et truculentia ipsos, quos subjectos sibi habet, vincit Euros, quo fit, ut vulnera mihi inlata ne unam quidem oculis expressissent lacrimulam. Magnam sane in mores vim habet cum saevis ventis consuetudo; eadem ille est cum populo suo natura ac moribus. In Notum autem et Zephyrum jus habet, atque in Thracicum Boream, pennasque tuas, Eure, qui obvium quidque proteris, suo jure coërcet. Ventorum quidem rabiem, eheu! cohibere valet; suae vero irae violentiam vincere nescit, suisque ipse rex vitiis victus servit.

7. *Cuperem*. V. van Lennep V. Cl. in animadv. ad h. vs.

Adesset. Adstaret. V. Burm. ad Quinct. J. O. L. I. c. 3.

8. *Auctor* est, a quo pendet initium vel facti vel rei. Causa efficiens. Canace, inquit Drakenb. ad Liv. L. II. c. 41, a patre mori jussa, cum *auctorem* suae mortis vocat.

Exigeretur, sive examinaretur et expenderetur, num mandato opere sive nece recte fungerer, ac me, uti jussit, interficerem. Metaphora ab eo desumta, qui accurate, justa lance aliquid ponderat. Suet. in Caes. c. 47. Unde transfertur ad quamvis inquisitionem et comparationem rerum hominumque inter se, eorumve pretii. Oud.

9. *Euris*, utpote vehementissimis.

10. *Siccis — genis*. Sine lacrimis. Cf. Horat. Od. L. I. Od. 3. vs. 31. et Bentlej. ad h. vs. et not. ad vs. 44. Ep. X.

11. *Scilicet est aliquid*. V. not. ad vs. 131. Ep. III.

12. *Populi*. V. Ep. VI. vs. 35. et not. ad h. vs.

13. *Sithonio*. V. Boru Scillus.

Imperat (heu) ventis; tumidae non imperat irae? 15
Possidet et vitiis regna minora suis.
Quid juvat, admotam per avorum nomina coelo,
Inter cognatos posse referre Jovem?
Num minus infestum, funebria munera, ferrum
Feminea teneo, non mea tela, manu? 20

Onom. Poët. in v. *Sithonius* et *Sithon.*

14. *Petitis, Eure, tuis.* Ventis a poëtis ob celeritatem alas adfingi, notissimum est. V. not. ad Sil. Ital. L. VII. vs. 257.

15. *Tumidae.* Ob effectum tumidam describi iram alibi memoravimus. *Et irati tumere* dicuntur Ovid. Ep. VIII. vs. 67. *Imperare irae*, inquit Drakenb., dicitur, qui iram cohibet, qui non ultra modum iratus est. V. not. ad Sil. Ital. L. II. vs. 382.

16. *Vitiis regna minora.* Vitia imperium superantia, inter quae regnum tenere non valet.

19—25. *Quid juvat.* Quid refert, utrum per avos coelestibus conjuncta sim atque adfinis, et inter propinquos Jovem recensere possim, nec ne? Coelestis quamvis originis esse jure glorier, tamen ferrum, quod mox mihi mortem inferet, fatale munus, feminea manu, ad quam factum non est, teneo. Quam velim Macareus horam illam, quae nos uno lectulo conjunxit, morte mea fuisse tardiorem, neque prius periisse! Quid fandem fuit causae, quare unquam tu frater! me plus quam fraterno amplecterēris amore? Quare ego talis in te essem, qualem erga fratrem se gerere sororem dedeceret?

17. *Quid juvat.* De hac formula pluribus egit Burm. ad Lotichium L. V. El. 19. vs. 123.

Admotam. Adpropinquatam, cognationi junctam, V. Sil. Ital. L. VIII. vs. 295. et not. ad h. vs.

Per avorum nomina, i. e. per avos; Graecorum imitatione. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XIV. vs. 70.

18. *Jovem.* Hoc eo pertinet, inquit Micyllus, quod primus Aeolus Hellenis filius fuit, Hellen Jovis. Quare per seriem avorum et ipsa ad Jovem genus suum referebat. Tres autem a reliquis Aeoli memorantur, de quibus leg. Animadv. Viri Cl. van Lennep ad vs. 5.

19. *Num minus* etc. Venusta est interrogatio negandi vim habens, frequens apud Propertium v. g. L. IV. El. 11. vs. 13. alios. Oud. et Heins. ad h. vs.

Infestas inquit Gesn. in Thes. qui alicui malum infert; et est

O utinam, Macareu, quae nos commisit in unum,
Venisset laeta serior hora mea!
Cur unquam plus me, frater, quam frater amasti?
Et tibi, non debet quod soror esse, fui?
Ipsa quoque insolui, qualemque audire solebam,
Nescio quem, sensi corde tepente Deum.
Fugerat ore color, macies adduxerat artus,
Sumebant minimos ora coacta cibos.

plus quam *inimicum*, jamque adversus eunt fortur.

Funebria. Funesta, cruenta, caedis plenus.

20. *Non mea.* Mulieri non apta, nec convenientia, quae colum, fusum ac calathum tenere debet, non gladium. Cf. Metam I. VIII. vs. 393. Quid,

21. *Commisit in unum.* Scil. locum. Cf. Ep. VII. vs. 93. et Ep. II. vs. 31. unde petet *committere* idem significare, quod *conjungere.*

22. *Venisset laeta* etc. Cf. Ep. II. vs. 59.

23, 24. *Cur unquam* etc. Pathos a facti poenitentia. Ant. Iacetum hic significari nemo non videt.

24. *Quod*, i. e. qualis. V. not. ad vs. 168. Ep. VII. Cf. vs. 32. h. Ep.

25—33. *Ipsa quoque* etc. Ne vero credas omnem faciuoris culpam me in te derivare velle; et ego aestum sensi, et Deum, quem fando, non usu cognoveram, in calido pectore regnare sensus ipse docuit; tacite quippe amore consumebar; omnis enim genarum rubor evanuerat, macie adenuati erant artus; omnem fere contracta ora negabant cibum, Somnum vix capiebam, quo fiebat, ut nox mihi spatium videretur; ac suspiria ducebam, quasi dolorem ex vulnere, nescio quo, sentirem. In causam gemitus frustra inquirebam. Qui enim illam mihi reddere potuissem? rudis ego puella amoris naturam ignorabam, et tamen illo tenebar.

25. *Quoque.* Emphasis in adverbium cadere debet.

Incalui. Amore. Cf. Ep. XVIII. vs. 42. V. Broukh. ad Prop. L. I. El. 4. vs. 12.

Qualemque. Vid. E. W. Higtius in aureo illo in reditum veris carmine, inde a verbis «Parvulus matris Dionae etc.

26. *Nescio quem — Deum.* Cupidinem, mihi virgini incognitum. V. ad vs. 124. Ep. VII.

Cordi tepente. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs. Cf. van Schelle Michal aan David pag. 3. extr.

27. *Fugerat ore color.* Deo

Nec somni faciles, et nox erat amica nobis:
Et gemitum nullo laesa dolore dabam.
Nec cur haec facerem, poteram mihi reddere causam:
Nec noram, quid amans esset; at illud eram.
Prima malem nutrix animo praesensit amicae:
Prima mihi nutrix, Aeoli, dixit, amas.

illo premente, atque urgente in pedes quasi sese conjecerat color. Et hoc et sequentia coeci ignis sunt indicia. Cf. initium L. IV. Aeneidos Virgilianae.

Macies. Poëtice personam sustinet, quae artus contrahit, adtenuat, minores reddit. Cf. Ovid. Metam. L. III. vs. 397. et Heins. ad h. vs.

28. *Ora coacta.* Male, inquit Burmannus, Hubertinus exponit *compulsa*, Crispinus *invita*: est enim idem, quod *contracta*, minora per maciem et aegritudinem facta; testes adducens Lucanum Phars. L. VI. vs. 548. Lucret. L. I. vs. 762. Val. Flaccum L. IV. vs. 687. Cf. Idem Burm. ad Ovid. Metam. L. XI. vs. 512. Eodem modo, iisdemque pene verbis participium exposuit Oudendorpius in not. ad h. vs. Vide, inquit Loers in d. spec., quanto aptius dictum sit. « Sumebant ora minimos cibos, et eos ipsos non sine fastidio, *invita*, *compulsa*; quam sumebant ora *contracta*, minimos cibos. »

29. *Somni faciles.* Facile mihi venientes, quomodo res omnes dicuntur *faciles*, quae nobis ex sententia succedunt. Oud.

Amica. Amni instar. Oud. Cf. Ovid. Ep. I. vs. 8, 9.

31. *Cur — facerem.* Cur gemitum ederem. Verbum enim *facere* saepe notat illum actum, quem verba praecedentia exprimunt. Cf. vs. 55. Ep. XX. Burm. ad Sueton. Nero c. 46. extr. Ruhnk.

32. *Quid.* Cf. not. ad vs. 24. h. Ep. Ruhnkenius in Dict. ad Terent. Eun. L. II. El. 2. vs. 42.

At. Subjectioni inservit. V. Turselt. Op. l. in v.

Illud. Uti *quid* notionem *rei qualis* habet, ita *illud rei talis* aliquando sibi sumit.

33 — 45. *Prima* etc. Nutrix vero, usu edocta, quid animum agitaret meum, me prima docuit, cum amoris affectum omnium horum causam diceret. Quod ad *amoris* nomen rubor genas occupabat, ac pudor in gremium, oculos demittebat; quibus equidem signis, quamvis tacerem, amorem aperte satis enunciabam. Neque erat, quod differerer, ventris enim viliati tumor jam augebatur,

Erubui, gremioque pudor dejecit ocellos. 35
Haec satis in tacita signa fatentis erant.

et infans, quem furto conceperam, suo majori pondere adfecti corporis motum lentiorem reddebat et difficiliorem. Eo audaciae etiam processit nutrix, ut varii generis herbas et medicamenta clam mihi admovere non erubesceret, quibus (quod unum te celavimus) ex intimo utero partum crescentem depelleret. Frustra. Vitae nimis diuturnae infans adhibitis artibus nec excuti nec caeca, infesta manu laedi potuit.

33. *Malum*, curam mali originem, amoris vulnus.

Praesensit. Ante me sensit: *Anili animo* addidit Poëta, quo significaret, unde fieret, ut nutrix prior mali causam intelligeret. *Anilis* autem quamvis plerumque dicitur de *inepta* et *superstitiosa*; hic tamen *animo anili* Ovidius dixisse videtur pro *astuta*, *prudenti*. Drakenb. *Anilis* etiam in *bonam* partem accipitur a Plin. L. V. Ep. 16. nº. 2. Ruhnk. ad q. Plin. l. hic Ovid. vs. laudatur, et haec dictae significationis ratio redditur. «Nam prudentia in juvene non dicitur inveniri, cum sit rerum bonarum et malarum scientia, quarum videtur junior aetas non posse temporis angustia experientiam et cognitionem habuisse." Cf. not. ad Ep. IX. h. L. nº. 5.

34. *Aeoli — amas*. Quod ad v. *Aeoli* v. not. ad vs. 5. h. Ep. Apostrophe haec mirum quantum ad percellendum Canaces animum valuit, et habet directa oratio scientiae auctoritatem.

35. *Erubui* etc. Conscientiae haec vis est atque virtus. Praeclare J. F. L. Schröder V. Cl. in oratione, de nostra cognitione animi comparata cum cognitione rerum corporearum pag. 5a. «Haec (conscientia), inquit, judex severa, scelestorum, etiam in omnibus affluentibus copiis ad voluptatem invitantibus, terror et cruciatus, haec est optima amica miserorum, culpa vacantium dulcis consolatrix; haec est sapiens magistra, omnium, qui summo studio id attingere conantur, ad quod nati sumus, dux certa ac fida." Cf. Ovid. Ep. XXI. vs. 112. sqq.

Dejecit. Vi sua verbum indicat, quam subito quaque celeritate oculos ipsa Canace demiserit *gremio*, i. e. in gremium. Quem Graecis proprium scribendi morem habes cognitum.

36. *In tacita* etc. Hic est sensus, inquit Oudend.: Etsi tacebam prae pudore, tamen ea vultus mei signa sufficiebant ad indicandos animi mei affectus et amorem; vultus enim animi index est.

Satis. Cf. vs. 44. Ep. II.

Jamque tumescebant vitiati pondera ventris,
Aegraque furtivum membra gravabat onus.
Quas mihi non herbas, quae non medicamina nutrix
Attulit, audaci supposuitque manu?
Ut penitus nostris (hoc te celavimus unum)
Visceribus crescens excuteretur onus.
Ah! nimium vivax admotis restitit infans
Artibus, et tecto tutus ab hoste fuit.
Jam novies erat orta soror pulcherrima Phoebi,
Denaque luciferos Luna movebat equos.

37. *Vitiati.* Passi vitium seu stuprum. Oud. sive ventris, qui culpam contraxerat. V. Ruhnkenii dictata ad Terent. Hecyr. Act. I. sc. 2. vs. 74.

38. *Onus.* Uti in praec. vs. *pondera* ad embryonem spectare in confesso est. Cf. Ep. IV. vs. 58.

Aegra — membra. Graviditate.

Gravabat. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

39. *Quas mihi non herbas* etc. Elegans et frequens interrogatio, qua vel omnes designantur vel plurimae. Oud. Decorum confidentis nutricis optime exprimit, et simplicis puellae ingenium ostendit. Ciofanus.

40. *Supposuit.* Clam admovit. Micyllus: quocum consentiunt Drakenb. Oud. Burm. et Ruhnk., qui eos risu dignos pronunciat, qui *supponere* explicuerunt *per inferiores partes immittere. Audax* unde manus dicatur, ipsa res loquitur.

42. *Excuteretur.* Herbarum et medicaminum vim demonstrat.

43. *Ah! nimium vivax.* Quale effatum! *A matre* hoc profectum quis credat, nisi didicerit, quod in proverbium abiit, varam sequi vibiam solere. Unum scelus admissum pluribus iisque gravioribus viam munit. V. not. ad vs. 21. Ep. XIII.

Admotis. Verbum in re medica proprium. Cf. Ovid. Metam. L. X. vs. 188, 511. Remed. Am. vs. 116. Oud.

44. *Tecto — ab hoste.* Ita vocat vel nutricem, quae clam foetui nocere tentabat, vel ipsum pharmacum intus in viscera serpens. Oud. Cf. Ovid. Am. L. II. El. 14. vs. 4.

Ab hoste. Contra hostem. V. Tursell. Op. I. in v. *a.* Cf. Am. L. II. El. 14. vs. 4.

45.—55. *Jam novies* etc. Novem jam menses praeterierant, et decimus currere inceperat; cum

Nescia quae faceret subitos mihi caussa dolores,
Et rudis ad partus, et nova miles eram.
Nec tenui vocem. Quid, ait, tua crimina prodis?
Oraque clamantis conscia pressit anus.
Quid faciam infelix? gemitus dolor edere cogit:
Sed timor, et nutrix, et pudor ipse, vetant.

subitus, nescio unde, me dolor invadit; quae, quid partum comitari soleat, omnino nescia, meum nunc pono rudimentum. Me cohibere non potui, quin clamarem. Quid, inquit nutrix, tuum ipsa scelus aperis, ac, quod nec criminis conscia esset, ori clamanti imposuit manum. In dubio haerebam infelix; gravitas doloris ad gemitus edendos me impellebat, quos reprimere et patris, et nutricis timor, atque ipsa sceleris perpetrati conscientia imperiose jubebant. Pareo, et verba, quae in eo erant, ut, oris claustris perruptis, aufugerent, ex fuga, vi adhibita, retraho, et meas ipsa lacrimas, ne me prodant, devoro.

45. *Soror pulcherrima Phoebi.* Dianae sive Lunae speciem quare superlativo gradu *pulcherrimam* Poëta dixerit, non per partes verbis quasi pinxerit, rationem reddidit ad omnes poëtas pertinentem Lessing in Laöcoönte, unde haec excerpsit Winkelmanni *Historiae artis apud antiquos* Interpres Gallicus in Additam. lit. c. pag. 619. Virgile a imité Homere en ce point (de s'abstenir absolument de peindre la beauté corporelle). Dido n'est chez lui, que la *pulcherrima Dido*, et quand il s'etend un peu plus sur son sujet, il ne s'agit alors, que de ses richés vetemens, de ses ornemens magnifiques etc. Cf. Riedel en van Alphen Theorie etc. Tom: II. pag. 232. sq.

46. *Movebat.* Agebat, ducebat. *Carinam movere* Ovid. dixit Ep. XIII. vs. 101.

48. *Rudis ad partus* etc. Quae causa gravitatem doloris, quem patiebatur, augebat, nec vocem tenere sinebat. Cf. Ep. XVII. vs. 141. *Ad* hic idem valet ac *quod attinet ad.* V. Tursell. Op. l. in v.

Nova miles. Cf. vs. 54. Ep. VI. Am. L. II. El. 13. vs. 28. Oud.

49. *Prodis.* Palam facis, projicis, periculo exponis. *Prodi*, inquit Oud., proprie omne dicitur, quidquid vel *publico* vel *singulis* exponitur videndum audiendumve, ut saepius sit *proferre, producere.*

50. *Pressit* Clausit. Hubert.

51. *Quid faciam infelix?* Consulendo in periculi et anxietatis societatem Macareum

Contineo gemitus, elapsaque verba reprendo:
Et cogor lacrimas combibere ipsa meas.
Mors erat ante oculos, et opem Lucina negabat: 55
Et grave, si morerer, mors quoque crimen erat:

ipsum adducit. V. ad Ep. VIII. vs. 50.

Gemitus — cogit. "Nec languere diu patitur dolor" canit Ovid. vs. 33. Ep. X.

52. *Timor.* Patris. Cf. vs. 49. h. Ep.

Nutrix. Puellas, inquit Pitiscus in Lexico Antiq. Rom. in v., quas alnerant nutrices, provectiores aetate semper ad nuptiarum usque dies observabant, ne vel a petulantibus et luxuriosis hominibus, aut alio quovis modo virginitate privarentur. — A puellis matres vocabantur, — Alumnorum in casibus adversis dolorem pro viribus levare studebant."

Et pudor ipse. Cf. not. ad vs. 35. h. Ep.

53. *Elabi.* *Labi* per se celerem notat motum, quem vix sentias. *Elapsa* adeo verba sunt quae in prima labra, Canace inscia, celeriter pervenerant, ipsique inprudenti et invitae exciderant.

Reprendo. Verba ex ore fugientia, et invitae mihi ac dentium septo sive ἕρκει, ut Graeci ajunt, elapsa quasi retrahere ex fuga conor, et clamorem jam erumpentem inhibeo. Verbum est proprium in retractione alicujus fugitivi. Ovid. *Reprehendere se*, inquit Ruhnk. in dictat ad Terent. Adelph. Act. I. IV. sc. 4. vs. 14, eleganter dicitur pro *se retinere ab aliqua re faciendo vel dicendo, ac reprimere.*

54. *Lacrimas combibere.* Omnes lacrimas bibere. Homo, inquit Ovid., vel quaevis res dicitur *bibere* lacrymas alicujus, quibus madescit. Ovid. Metam. L. VI. vs. 397. Sed cum quis dicitur lacrimas suas bibere, intelligitur de *reprimendo fletum* et *celando lacrymas, quantum fieri potest;* quas *devorare* eadem significatione dixit Ovid. Fast. L. IV. vs. 846. Metam. L. XIII. vs. 540.

55. *Lucina* Juno dicebatur, quod nascentibus *lucem* dare credebatur. Cic. de Nat. Deor. L. II. c. 27. "Luna est Lucina. Itaque ut apud Graecos Dianam, eamque Lucíferam, sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant." Cf. Ovid. Ep. VI. vs. 122.

56. *Grave, si morerer* etc. Etiam moriendo grave crimen committerem, quia, inquit Hubert., non potuissem mori sine infamia in tali casu, quo fuisset cognitum meum scelus.

Cum superincumbens; scissa tunicaque comaque,
Pressa refovisti pectora nostra tuis.
Et mihi, Vive soror, soror o carissima, dixti:
Vive; nec unius corpore perde duos.
Spes bona det vires: fratri nam nupta futura es.
Illius, es de quo mater, et uxor eris.
Mortua (crede mihi) tamen, ad tua verba revixi:
Et positum est uteri crimen onusque mei.

57. *Scissa tunicaque comaque.* Ut in vehementioribus affectibus fieri solebat.

58. *Pressa.* Superincumbebat enim. Ceterum participium rationem indicat et modum, quo Macareus Canaces pectori jam obtorpescenti naturalem colorem reddebat et sensum.

Tuis, pectoribus.

59. *Soror, soror o carissima* etc. Habet vocum *soror* et *vive* repetitio, quod dicentis ut amorem, ita angorem significet, quo ipso fieri non potest, quin in humano animo misericordia oriatur.

60. *Vive — perde.* Efficit animi aegritudo, ut homo tristibus in rebus bene distinguere, adcurateque cogitare nequeat; hinc imperativus in h. vs. modus, quasi ab ipsa Canace penderet, ne moreretur.

Unius corpore etc. Cf. vs. 37. sq. h. Ep.

61. *Spes bona.* Sic illa dicitur, quae major est metu, ut Ep. XIII. vs. 124. V. Broukh. ad Tib. L. I. El. 1. vs. 5.

Fratri nam etc. Nam ecce, quae spes sit. Hubert.

Fratri nupta sive *mihi.* Hubert. Habet tamen fratris nomen majorem ob cognationem emphasin. Est vero, pergit Hubert., *nupta*, dativo addito, participium.

62. *De quo.* Cf. not. ad vs. 48. Ep. IX.

Et uxor. Etiam uxor.

63. *Mortua.* Specie saltem. (*Crede mihi*). Ne dubita. Conatuum tuorum hic fuit eventus, ut reviviscerem. Eo itaque nomine tibi grataris.

Ad tua verba. Simulac ea audivi; ut passim, hoc sensu illa praepositio sumitur. Cf. Ovid. Ponto L. I. El. 3. vs. 9. Bentl. ad Horat. L. I. Od. 23. vs. 6. *Ad ictum* dixit Lucan. Phars. L. VI. vs. 137. L. VIII. vs. 619. Oud. Cf. not. ad vs. 14. Ep. I. Heroid.

64. *Positum — crimen onusque*, sive criminosum onus. Foetus incestu conceptus editus est. Verbo autem *ponere*, inquit Oud., usus est Poëta, ut maneret in metaphora τῶν *oneris ponderis* ac *sarcinae.* Est vero

Quid tibi grataris? media sedet Aeolus aula:
Crimina sunt oculis subripienda patris.
Frugibus infantem, ramisque albentis olivae,
Et levibus vittis sedula celat anus:
Fictaque sacra facit, dicitque precantia verba.
Dat populus sacris, dat pater ipse, viam.

in partu verbum proprium. V. Phaedr. L. II. fab. 4. vs. 3.

65. *Quid tibi grataris?* Cf. not. ad vs. 63. in v. *Crede mihi.* Propter quid tibi gratularis, gaudes? Non est profecto, quod me partum edidisse laeteris. Cf. Ep. VI. vs. 119. Virg. Aen. L. III. vs. 478.

Media sedet — aula. Ne temere *media* scriptum putes et *sedet.* Quod enim in aedibus *haereret* sive *semper esset,* iisque *mediis*, sperare non poterat Canace, ut patrem falleret, qui animum ita in omnes aedium partes continuo intentum haberet.

66. *Crimina.* Abstractum pro concreto. Infans enim crimine quaesitus furtim ac clam subducendus est oculis patris. *Crimen* per excellentiam de stupro vel adulterio dicitur. V. Ep. XVI. vs. 294. Ep. XVII. vs. 17.

67. *Frugibus.* V. van Lennep ad h. vs. Cf. Argum. §. 3. Werfer in Specimine Lectionum in P. Ovidii Heroïdas. Act. Philol. Monacensium Tom. I. fasc. 4. pag. 554. Neque, inquit, *molam salsam*, nec *spicas* equidem requiro ad mysterium, quod veteres in cistis recondere et frondibus, infulis involutis, contegere consueverunt, (Hor. Od. L. I. El. 18. vs. 12. « Nec variis obsita *frondibus* sub Divum rapiam." ubi vid. Doering. Ovid. A. A. L. II. vs. 609. « Condita si non sunt Veneris mysteria cistis") in pompa circumgestandum. Idem fecisse putanda est nutrix illa Canaces, ut sacrorum reverentia patrem falleret. Add. Heroid. Ep. VII. vs. 100. Itaque et ego cum Werfero V. Cl. restituerim *frondibus*

68. *Vittis.* Erat antiquis fascia, qua circum caput crines religabant, neque matronarum et virginum solum fuit, sed etiam sacerdotum, hoc tamen discrimine, quod qua sacerdotes, qua vates, haberent vittas vel olivae vel lauri ramo intextas. Pitiscus in Lex. Antiq. Rom. in v.

Sedula — anus, ὀτρήρη τάμιη Homeri. Cf. Ep. XXI. vs. 95.

69. *Fictaque sacra.* Cf. Argum. §. 3.

Precantia verba. Hymnos et supplicationes. Hubert.

Dat populus — sacris viam. Cedit nutrici, quia vera sacra fac-

Jam prope limen erat: patrias vagitus ad aures
Venit; et judicio proditur ille suo.
Eripit infantem, mentitaque sacra revelat
Aeolus. insana regia voce tonat.
Ut mare fit tremulum, tenui cum stringitur aura; 75
Ut quatitur tepido fraxina virga noto:

turam credebat nutricem sacra portantem. Hubert.

Dat pater ipse. Unde Macareo pateat artes optime compositas fuisse, quibus pater etiam caperetur.

71. *Jam prope limen*, juxta januam (regiae) ut egrederetur cum infante. Hubert. Quo propius vero a bono rei alicujus eventu absumus, eo magis animum nostrum percellit ac percutit frustratio. A metu enim omni fere liberati, gaudio pene exsultantes in contrarios animi adfectus relabimur ac repellimur, qui animi motus non potest non esse vehementissimus.

Vagitus. Sonus infantibus proprius. V. Gell. N. Att. L. XVI. c. 17. Oud.

72. *Proditur.* Cf. not. ad vs. 49. h. Ep.

73. *Eripit* celeritatem notat, qua abreptus pater infantem aufert.

Mentita. Cf. Argum. §. 3. et vs. 69. h. Ep. Participium autem passive sumitur; qua de Graecorum imitatione vid. Veehn. Op. l. L. I. c. 9.

Revelat. Cf. vs. 68. h. Ep.

74. *Insana.* Aeoli insanientis, infante, quem filia pepererat, deprehenso. *Insanos* ad Sil. Ital. L. I. vs. 251. D. Heins. explicat *magnos*.

Tonat. Non resonantiam solam (ut ait Hubert.) verbum notat, sed horrorem atque immanitatem vocis ab Aeoli insano emissae sensibus quasi subjicit.

75. *Ut mare fit tremulum.* Sonus itaque tonitru referens Canaces nervos ita percusserat, ut toto corpore tremeret, quem tremorem ut suis quasi oculis cerneret Macareus, comparatione instituta, animum ad maris superficiem advertit, quam saepius observaverat leni aura motam, atque ad fraxinus ramulum levi vibratum noto.

Tenui cum stringitur aura. Quam auram hic Ovidius *tenuem* dixit, Metam. L. IV. vs. 136. *exiguam* vocat.

Stringere. Leviter tangere, et sic movere. Cf. Metam. L. IV. vs. 560. L. XI. vs. 711. Virg. Aen. L. VIII. vs. 63. Oud.

76. *Quatitur.* Vehementer concutitur.

Fraxina virga. Pro *fraxi-*

Sic mea vibrari pallentia membra videres.
Quassus ab imposito corpore lectus erat.
Irruit; et nostrum vulgat clamore pudorem:
Et vix a misero continet ore manus.
Ipsa nihil, praeter lacrimas, pudibunda profudi:
Torpuerat gelido lingua retenta metu.
Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Jusserat, in solis destituique locis.

nea. Ut Ep. XII. vs. 87. *Sacris maritis* pro *maritalibus*. V. ad vs. Ep. III. vs. 100.

Tepido. Utpote a meridionali plaga flante et hinc levi; atque ita semper apud Ovidium dicitur notus. Oud.

77. *Vibrari.* Tremule moveri. Cf. vs. 75. h. Ep.

Pallentia membra videres. Metu pallida membra videre, si adfuisses, potuisses.

78. *Quassus.* Cf. vs. 76. h. Ep. van Lennep ad h. vs.

79. *Irruit.* Caeco in me impetu fertur. Cf. vs. 75. Ep. XIII.

Vulgat clamore pudorem seu infamiam, quam nisi ira obcoecatus esset, tegere patrem decuisset, alta voce omnibus palam facit *Vulgare*, inquit Burm. ad Quinctil. J. O. L. VII. c. 3. p. m. 618, eleganter dicitur pro *celebrare*, *in ora hominum mittere.*

80. *Et vix* etc. Ac parum abest, quin in me involet, os unguibus dilaniat, oculos eruat. *Vix* nominativi absoluti exemplum praebet. Vid. W. Bilderdyk Taal- en Dichtkundige Verscheidenheden D. I. bl. 130.

81. *Nihil, praeter lacrimas.* Has solas habeo, scribit Ep. VIII. vs. 63. Hermione Orestae.

Pudibunda. En causam, quare solas haberet lacrimas. Quod ita fieri in gravioribus animi commotionibus solet. Pudor hic et metus Canacen vi sua obruunt atque invadunt, ut lingua officium neget.

Profudi. Cf. Ep. VIII. vs. 61, 62. Ep. X. vs. 55.

82. *Torpuerat* etc. Metus, frigoris causa (V. Ep. I. vs. 22. Ep. V. vs. 37.) linguam ita vinxerat, ut loco moveri non posset. Cf. Ep. X. vs. 44.

Retenta. Quia retinebatur. Participia enim verbis addita vel causam indicare vel effectum alio me loco observare memini.

83. *Jamque.* Postquam, inquit Hubert., Canace exposuit dolorem, quem ex diffi-

Vagitus dedit ille miser: (sensisse putares)
Quaque suum poterat voce rogabat avum.
Quid mihi tunc animi credas, germane, fuisse:
(Nam potes ex animo colligere ipse tuo)
Cum mea me coram silvas inimicus in altas
Viscera montanis ferret edenda lupis?

cultate et periculo pariendi accepit, deinde ex infante cognito et deprehenso a patre: nunc dicit multo majorem dolorem, quo perculsam se ait, cum audivit patrem suum jussisse illum infantulum innocentem exponi dilacerandum canibus et feris.

Dare. Rem quamdam alicui in possessionem tradere, ut de ea pro lubitu statuere queat. Cf. Argum. §. 3.

Parvum nepotem. Recens quippe natum. Nec *parvum* temere positum puta; infantia enim per se hominum animos capit, atque ad sui amorem adtrahit; hinc parvuli male habiti nos miseret. Ad hanc vero misericordiam augendam facit solitudinis mentio, in qua imbecillis infans et canibus et avibus praeda relinquitur. Cf. not. ad Ep. I. vs. 97. Ep. X. vs. 129.

Destituere. Cf. not. ad vs. 78. Ep. V. Broukh. ad Tib. L. I. El. 1. vs. 15.

85. *Vagitus dedit*, edidit. Cf. vs. 30. h. Ep. *Ille miser.* Demonstrative.

(*Sensisse putares*). Videbatur sensisse crudele illud jussum, ita in tempore, cum avus jubebat, vagivit. Hubert.

86. *Qua — poterat voce.* Vagitu scil., quo solo poterat.

87. *Quid — animi.* Cf. vs. 32. h. Ep. et not. ad h. vs.

88. (*Nam potes*) etc. i. e. potes *enim* (i. e. sane, certe) scire, qualem animum habuerim, si feceris conjecturam de tuo ad meum. Hubert. *Colligere.* Intelligere, scire, subducta ratione deprehendere. V. Cic. ad Att. Ep. 23. L. II. Drakenb.

89. *Me coram*, matre: Cui quodnam majus vulnus infligi potuit?

Silvas — in altas. Cf. vs. 84. h. Ep.

Inimicus. Optime ad materni animi sensum Ovidius patris famulum dixit *inimicum.* Mitius enim in matris, cujus infans rapitur, ore *famuli* nomen; in quoque enim, qui infantem malo adficiebat, *inimicum* videbat.

90. *Mea — viscera*, filium meum, quem utero gesseram. Cf. not. ad vs. 90. Ep. I. Burm. ad Quinct. J. O. praef. L. VI.

Exierat thalamo: tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.
Interea patrius, vultu moerente, satelles
Venit, et indignos edidit ore sonos:
Aeolus hunc ensem mittit tibi: (tradidit ensem)
Et jubet ex merito scire, quid iste velit.
Scimus, et utemur violento fortiter ense:
Pectoribus condam dona paterna meis.

91. *Exierat thalamo*, Pater meus. Cf. vs. 79. h. Ep.

Tunc demum. V. not. ad vs. 71. Ep. V.

Pectora plangi. V. not. ad vs. 15. Ep. III.

92. *Contigit.* Verum est, inquit Gesn. in Thes. L. Lat. in v., *contingere*, plerumque certe, quod ait Agroet de Orthogr. pag. 2269. med., *contingunt* bona, *accidunt* mala, *eveniunt* utraque. Et hic *bonum* Canacae contingere nemo non intelligit, qui, quantum in miseriis levamen adfectibus indulgendi libertas adferat, usu expertus noverit.

Ire. V. not. ad vs. 13. Ep. I.

93. *Patrius, vultu moerente, satelles.* Patris corporis custos armatus, ex cujus adventu ipso aliquid mali (a patre enim quid boni exspectarem!) augurari poteram; jam vero durus ille miles tristi adcedebat vultu, ut nuncio, quem adlaturus esset, motus videretur. Quaevis ergo mala ad ejus adventum mihi portendebam; nec temere.

94. *Indignos — sonos*, ἀίσχεα μῦθον Hom. verba horrenda, quae filiae e patre audienda non erant, et patre et me indigna.

95. *Hunc.* Demonstrative dixit, dum ensem tradebat.

96. *Ex merito scire.* Ex malo facinore, quod commisisti, intelligere. V. not. ad vs. 7. Ep. V.

Quid iste velit. Quid iste significet. Indicabatur scil. isto gladio vitam sibi esse eripiendam. Cic. de Senect. c. 18. nº. 65. extr. Ruhnk.

97. *Scimus.* Ad patris mandata per satellitem ad se delata respondet Canace, ex signo signatam rem probe sese intelligere, atque ad usum destinatum se ferrum adhibituram.

Fortiter. Magno animo, constanter, non timide hoc ense me interficiam. Ita *fortiter sustinere*, *desiderare*, *ferre*, locutiones sunt, de quibus egit Burm. ad Quinct. Decl. 337. (pag. m. 638.) Liv. L. XIV. c. 5. §. 9. Drakenb. qui ad d. Liv. l. observat « vocem *fortis*

His mea muneribus, genitor, connubia donas?
Hac tua dote, pater, filia dives erit?
Tolle procul decepte faces, Hymenaee, maritas:
Et fuge turbato tecta nefanda pede.
Ferte faces in me, quas fertis, Erinnyes atrae,
Ut meus ex isto luceat igne rogus.

de animi potius, quam *corporis* fortitudine saepe usurpari notat Gudius ad Phaedr. L. I. fab. 4. Graev. ad Cic. pro Quinct. c. 2."

98. *Condam.* Haec, quae patrem scilicet produnt, dona pectore claudam meo, tanquam rem mihi carissimam, ne visa cujusquam cupiditatem excitet, periculumque sit, ne mihi pereat, atque eripiatur.

Dona paterna, a patre scil. missa vel paterni animi signa.

99. *His.* Hujus generis. Demonstrative.

Genitor. Non temere pro *patre* dictum puto, sed significanter positum pro *Tu, qui me genuisti, quo vitae meae auctor es* tali me donis munere, quo mihi, quod dederis, edimas. Interrogativa oratio indignationis habet significationem. V. not. ad vs. 41. Ep. VI.

Mea — connubia. Abstractum pro concreto, *me nuptam.*

110. *Dote — dives.* Pp. tanta dote, tam insigniter lauta. Quae dotis *magnitudo* voce *dives* indicatur. Perperam, me quidem judice, vocem explicat Hubert. "Quia nulla re unquam egebit, quia hoc ense se interficiet."

Pater, pietatem, credo, in filiam designat.

101. *Faces, Hymenaee, maritas.* Cf. vs. 44. Ep. VI. et not. ad h. vs. et ad vs. 41. Ep. II.

102. *Fuge turbato — pede.* Scelere permotus celeriter hinc te eripe; locum quam citissime relinque incestu foedatum, ubi consistere numinis tui sanctitas vetat.

103. *Ferte faces* etc. V. not. ad vs. 120. Ep. II.

Ferte — quas fertis. Quasi dicat: Recte fecisti quod tuleris. Cf. vs. 41. Ep. VI.

Nubite felices — sorores. Feliciores, sitis in matrimonio. Sorores perhibentur ab Apollod. Bibl. L. I. c. 7. Halcyone, Pisidice, Calyce, et Perimede.

Parca meliore. Fato feliciore, ac prosperiore vitae cursu. Ut Ovid. ex Ponto L. III. Ep. VII. vs. 20. *Melior* poni pro feliciore et magis fausto ad h. l. docet Burm. Oud.

Nubite felices, Parca meliore, sorores: 105
Admissi memores sed tamen este mei.
Quid puer admisit, tam paucis editus horis?
Quo laesit facto, vix bene natus, avum?
Si potuit meruisse necem, meruisse putetur.
Ah miser admisso plectitur ille meo! 110
Nate, dolor matris, rapidarum praeda ferarum,
(Hei mihi!) natali dilacerate tuo:
Nate, parum fausti miserabile pignus amoris,
Haec tibi prima dies, haec tibi summa fuit.
Non mihi te licuit lacrimis perfundere justis: 115
In tua non tonsas ferre sepulcra comas.

106. *Admissi* etc. V. van Lennep in Animadv. ad h. va

107. *Quid puer admisit?* Tralatitia, inquit Burm. ad h. l., declamatorum et poëtarum in excitanda misericordia sententia, de qua vid. Lutatium et Barth. ad Stat. Theb. II. vs. 305.

Tam paucis etc. Tam paucis horis natus.

108. *Vix bene natus.* Cf. not. ad vs. 24. Ep. VI.

109. *Si potuit.* At non potuit recens natus infans. Quae notio Indicativo modo inest.

110. *Admisso — meo.* Scelere matris, quae, si fieri posset, eius nece illius salutem redimeret.

111. *Nate, dolor matris.* Cf. vs. 47, 48, 51. h. Ep.

Rapidarum praeda ferarum. Cf. vs. 83, 84. h. Ep.

113. *Parum fausti.* Cf. vs. 103, 105. h. Ep. Per litoten

115 — 117. *Non mihi te licuit* etc. Pathos, inquit Anton., excitatum, si, quod aequum est fieri nobis, negatum dicimus.

Officia mortuis praestanda his versibus continentur, quae *justa* proprie dicuntur, de quibus v. Pitiscus, Lexic. Antiq. Rom. in v. *cadaver*, et Kirchmannus de Funeribus.

115. *Lacrimis perfundere.* Lacrimarum flumine corpus mortuum quasi inundare. *Fundere* enim per se copiae notionem habet, quam inundi praepositio *per* ...

Justis. Jure debitis tibi filio mortuo. Uti cuncta, quae fiunt in hominem mortuum et ad testandum dolorem vocantur *justa*, ita *justa* saepe simpliciter *ultima* officia et munera denotant, quae mortuo, ejusque funeri debentur. Oud. Cf.

Non superincubui: non oscula frigida carpsi.
Diripiunt avidae viscera nostra ferae.
Ipsa quoque infantes cum vulnere prosequar umbras:
Nec mater fuero dicta, nec orba diu.
Tu tamen, o frustra miserae sperate sorori,
Sparsa, precor, nati collige membra tui:
Et refer ad matrem, socioque impone sepulcro;
Urnaque nos habeat, quamlibet arta, duos.
Vive memor nostri, lacrimasque in vulnera funde;
Neve reformida corpus amantis amans.

Pitiscus Op. l. in v. *justa* auctoresque ibi cit.

116. *Non tonsas* etc. Non licuit ferre desectas meas comas in tuum tumulum pro more. Kirchm. de Funeribus L. II. c. 15. Oud.

117. *Non superincubui* etc. Nam, inquit Hubert., parentes ex affectu naturali solent incumbere cadaveribus filiorum et sic eos mortuos osculari. V. Kirchm. Op. l. L. I. c. 5.

Oscula — carpsi. Cf. Ovid. Am. L. II. El. 12. vs. 45. Metam. L. IV. vs. 358. In verbo *carpere* frequentativi inest significatio.

118. *Diripiunt avidae.* Cf. vs. 111. h. Ep.

Viscera. Cf. vs. 90. h. Ep.

119. *Cum vulnere prosequar.* Per vulnus, quod mihi infligam.

Prosequar ad orcum scil. et inferos. Est autem verbum exsequiis proprium. Kirchm. Op. l. L. II. c. 10. Oud.

120. *Nec mater* etc. Quia privabor filio. *Nec orba diu.* Cito moriar et sic non dicar orba. Hubert.

121. *Miserae sperate sorori.* Speratus hic notat *sponsum*, quem soror maritum habere *speraverat.* Cf. Ovid. Ep. XXI. vs. 59. Drakenb.

122. *Sparsa* etc. V. Kirchm. Op. l. L. III. c. 7.

123. *Socio — sepulcro.* Communi mihi cum filiolo.

124. *Urna — quamlibet arta.* Cf. Ovid. Am. L. III. El. 9. vs. 40. et not. Burm. ad h. vs. Kirchm. Op. l. L. III. c. 7. pag. 366. Edit. Brunsvig. anni 1661. Pag. 362. disquiritur, quomodo cineres et ossa, quibus honorem habitum vellent, a cineribus ex ligno natis ossibusque animalium, quae cum cadavere saepe cremabantur, dignosci potuerint.

125. *Lacrimasque in vulnera funde.* Et hoc ex more, inquit Oud., ut vulnera amico-

[Tu (rogo) projectae nimium mandata sororis
Perfer. mandatis perfruar ipsa patris].

rum mortuorum lacrimis suis detergerent et proluerent. Cf. Ovid. Metam. L. IV. vs. 140. L. XIII, vs. 490.

126. *Amans.* Cum amans sis.

127. *Tu, (rogo)* etc. Videtur, inquit Oud., hoc distichon esse adulterinum vel saltem corruptissimum, cui adsentit van Lennep, quem vid. in Animadv. ad h. l.

Projectae, a patre abdicatae, et indignae et degeneris, pro re vili ac sordida habitae, et hinc ad necem destinatae. V. Graev. ad Epist. ad famil. L. XIV. Ep. 2. Lucan. Phars. L. IV. vs. 516. Ovid. ex Ponto L. II. Ep. 3. vs. 30. Qud. Cf. Ep. II, vs. 135.

128. *Perfer.* Si sanum est, inquit Oud., positum erit pro *persequere*, *effice*, ut Sil. Italic. L. I. vs. 250. Alioquin est *mandatum ferre alteri*, *nuncium esse mandati*; quare malim cum Mss. *perfice*, *mandatum perficit ipsa patris*. Fingendum est Canacen sese inter haec verba occidere.

Perfruar. Aliquando in malam partem ponitur, Ep. VIII. vs. 106, sed in bonam in comparatione majoris mali, quod additur. (Cf. not. ad vs. 1. Ep. VIII.). Sed vel sic melius foret saltem *persequor*, ut est in aliis. Plaut. e. g. Amphitr. Act. II. Sc. 1. vs. 39 et 75. Oud. Cf. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

EPISTOLA XII.

MEDEA IASONI.

ARGUMENTUM.

Argumentum huius Epist. hic, pluribus exponere, quam in Epist. VI. Argum. §. 4. sq. et adn. ad ipsam Epist. explicitum dedi, mihi supervacaneum, adeoque inutile videtur.

Medea ab Iasone repudiata, postquam Creüsam, Creontis, regis Corinthiorum, filiam sibi sumserat uxorem, hanc ad illum epistolam scripsisse censenda est.

De hac Ovidii Epistola quid judicet Quinct. vid. J. O. L. X. c. 1. pag. 912.

At tibi Colchorum (memini) regina vacavi,
Ars mea, cum peteres, ut tibi ferret opem.
Tunc, quae dispensant mortalia fila sorores,
Debuerant fusos evoluisse meos.

Vs. 1. *At.* Eleganter sic ex abrupto incipit Medea, irata et altos spiritus gerens, ac vehementer *indignans* se domo Iasonis esse expulsam ob novas ejus nuptias cum Creüsa Corinthia. Oud. Tu cum in Thessaliam redisses, essesque in omnium favore, me domo pepulisti, at ego, ut recte memoria colligo, etsi fuerim regis filia, te fovi in Colchide. Hubert.

At enim, ut ait Oud., vel *indignantis* est vel *imprecantis*, vel *jubentis*. Cf. Ruhnk. in dict. ad Terent. Andr. Act. IV. sc. 1. vs. 42.

Colchorum. V. Argum. Ep. VI. § 7.

(*Memini*) Ostendam per vindictam me probe meminisse meritorum in te conlatorum. Cf. Ep. XV. vs. 43.

Colchorum — regina. Ego tam potens femina tum non dedignata fui tibi precanti opem ferre, pro qua jam tam indigniss sime habeor. Oud.

Vacavi. Inservivi et tota tibi soli dedita omne auxilium contuli. Vellej. Paterc. L. II. c. 40. Phaedr. L. III. Proleg. Quinct. J. O. L. I. c. 2. *Vacare*, inquit Drakenb., pp. is dicitur, qui, occupationum liber, tempus vacuum habet. Hinc *vacare amicis* transfertur ad eum, qui, reliquis abjectis, id unice operam dat, ut negotia amicorum gerat, eorumque utilitati studeat.

2. *Ars mea.* V. Argum. Ep. VI. §. 8. et Goguet. Op. l. tom. II. pag. 251.

3. *Dispensant mortalia*, i. e. mortalium *fila*, humani generis fata.

Sorores. Plutonis, Inferorum regis, administrae, Clotho, Lachesis et Atropos. Fatalem colum manu tenere dicuntur, modo nigra involutam lana, modo alba, ex qua filum ducebant, quo reciso pereundum erat. V. Dorn Seiffen Op. l. in v. *Parca.*

Dispensant. *Dispensare* dici-

Tunc potui Medea mori bene, quidquid ab illo
Produxi vitae tempore, poena fuit.
Hei mihi! cur umquam juvenilibus acta lacertis
Phryxeam petiit Pelias arbor ovem?
Cur umquam Colchi Magnetida vidimus Argo,
Turbaque Phasiacam Graja bibistis aquam?

tur, qui non uno impetu omnia simul effundit, sed per partes dividit, et quodque apto tempore attribuit. V. not. ad Sil. Ital. L. XVI. vs. 342. Ita recte h. l. Parcae dicuntur *dispensare fila humana*, quia fila haec non semel et simul nentur, sed procedente tempore. Drakenb.

4. *Fusos evoluisse.* (Per Dialysin *evoluisse*) abrupto, inquit Oud., stamine vitae meae. Cum enim nentes fecerant glomum, quantum volebant, et fusum operoso satis stamine cinxerant, ut ait Ovid. A. A. L. I. vs. 695, glomum illum devolvebant fuso, et sic finiebatur opus. Virgil. Georg. L. IV. vs. 348. sq. *Fusos* itaque *evolvere* est vitam finire.

5. *Medea.* V. not. ad vs. 84. Ep. I. Peerlkamp. V. Cl. ad Xenoph. Ephes. pag. 24. vs. 29.

Mori bene. Sine culpa, cum gloria. Cf. Ep. II. vs. 60. Ep. III. vs. 106. et not. ad h. vs. Gisb. Cuperi Observ. L. I. c. 8.

Ab illo — tempore. Ab i. q. *post.* V. Turselt. Op. l. in v.

6. *Produxi*, porro duxi. Omnis vita, quae mihi fuit post illud tempus, fuit poena, quia semper vixi in magnis curis et doloribus. Hubert. V. not. ad vs. 82. Ep. X.

7. *Juvenilibus acta lacertis.* Impulsa, promota remigando. Oud. Cf. vs. 47, 48. Ep. VI. et not. Est autem *agere* verbum *aurigis* proprium, qui *currum*, *equos agere* dicuntur.

8. *Phryxeam* etc. V. Ep. VI. vs. 101, 104. et not.

9. *Magnetida.* Magnetis Argo, i. e. Thessala s. Magnessa; quod illam navem Demetriade, urbe in Magnesiae et Phthiotidis confinio, fabricatam nonnulli volunt. Dorn Seiffen Op. l. in v. *Magnetis.* Cf. vs. 47, 65. Ep. VI.

10. *Phasiacam.* V. not. ad vs. 103. Ep. VI.

Turba — Graja sive Graeca. Cf. vs. 80, 81. Ep. VI. Quod ad v. *Turba.* vid. not. ad vs. 88. Ep. I.

Bibistis aquam. Nomen collectivum *Turba* habet pluralem vim. Sensus est: qui Graeci appulere ad flumen Phasida, et illic consederunt. *Bibere fluvium.* Poëtica est descriptio adcolendi ac demorandi circa illum. Heins. ad Ep. VII. vs.

Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli;
Et decor, et linguae gratia ficta tuae?
Aut (semel in nostras quoniam nova puppis arenas
Venerat, audaces attuleratque viros)
Isset anhelatos non praemedicatus in ignes
Immemor Aesonides, oraque adunca boum.

143. Claudian. in Rufin. L. I. vs. 313. Lucan. L. VII. vs. 188. L. VIII. vs. 213. Horat. L. III. Od. 10. vs. 1. L. IV. Od. 15. vs. 21.

11. *Cur* etc. V. not. ad vs. 23. 24. Ep. XI.

Flavi. Hi nempe ut Diis, sic etiam semideis atque heroïbus juvenibus passim tribuuntur a poëtis. V. Joh. Arntzen: de colore et tinctura comarum c. 3. Commendantur in muliere Ep. V. vs. 122.

12. *Linguae* etc. Facunda et amabilis suavitas vocis, cujus grata jucunditate capi et moveri quis potest, sed quae non fuit tibi naturalis ac vera, at ficta et falsis lenociniis fucata. Ita *gratia lyrae* A. A. L. III. vs. 400. Metam. L. XIII. vs. 127. Oud.

13. *Nova puppis*. Inusitata, non nota, neque visa nobis et hinc miranda. Manut. ad Cic. L. XI. ad Famil. Ep. 21. Broukh. ad Tib. L. II. El. 7. vs. 19. Oud. Broukh. verba sunt: « Saepe Latinis *novum* dicitur id quod cum aliquo terrore animum percellit; aut forma, ac modo inusitato metum incutit atque horrorem."

Puppis. V. not. ad vs. 59. Ep. I.

Arenas — venerat. Cf. vs. 1. Ep. VI.

14. *Audaces*. V. not. ad vs. 41. Ep. I. Temerarios, inquit Oud., et humanis viribus majus tentantes, ut amant poëtae nautas describere. V. Broukh. ad Prop. L. III. El. 5. vs. 40.

15. *Isset*. V. not. ad vs. 10. Ep. VI.

Anhelatos — in ignes. Ignes per anhelitum efflatos naribus taurorum, quos domare debuit Ilson. Ovid. Metam. L. VII. vs. 104. 115. Oud.

Praemedicatus. Medea enim, inquit Oud., magicis herbis sive medicamentis antea eum praemuniverat quod nunc quasi optat se non fecisse. Ut autem *anhelatur* passive, sic et active *anhelare rabiem* Lucan. L. VI. vs. 92.

Immemor. Ingratus, qui animum memorem erga me bene meritam non praestat, ut ait Cic. ad Famil. L. I. Ep. 9. Edit.

Semina jecisset; totidem sensisset et hostes:
Ut caderet cultu cultor ab ipse suo.
Quantum perfidiae tecum, scelerate, perisset!
Demta forent capiti quam mala multa meo!
Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas.
Hac fruar: haec de te gaudia sola feram.

Ern. tom. IV. pag. m. 18. Ovid. Metam. L. X. vs. 682. Oud.

16. *Aesonides.* V. not. ad vs. 25. Ep. VI.

Oraque adunca. Graphice. Sunt enim, inquit Oud., boves aduncis, seu incurvis sursum naribus; quales etiam de homine usurpantur. Lucan. Phars. L. II. vs. 183. Horat. L. I. Sat. 6. vs. 5. Aliter dicitur *nasus adunctus*, qui est grypus sive aquilinus; aquilarum enim rostrum est aduncum sed deörsum.

17, 18. *Semina — ut.* Cf. vs. 11, 12. Ep. VI. et not. ad vs. 12.

Sensisset. Magno suo malo expertus esset. *Sentire* saepe habet significationem *damni* aut *mali* (*praesentis* scil.) Ruhnk. ad Terent. Eunuch. Act. I. sc. 1. vs. 21. Cf. vs. 46. Ep. IX.

18. *Cultu cultor.* De agricultura et de colono dicitur. Cf. Ep. X. vs. 59.

19. *Quantum perfidiae* etc. Cf. vs. 41. 109. Ep. VI.

20. *Capiti.* Sive corpori et vitae meae, cujus praecipuo munere fungitur caput, quod etiam maxima sentit incommoda ex malis et infortuniis; hinc passim *capiti* hominis illa incidere dicuntur. Terent. in Hecyr. Act. III. sc. 1. vs. 54. ad. q. l. vid. Dict. Ruhnk., qui Ovid. l. citat Ep. XV. vs. 127. ad q. Heins. « Graeca imprecatio, apud quos frequenter occurrit, Aristophanem praesertim, εἰς κεφαλήν σοι. Oud.

21. *Est aliqua* etc. Est haec ab hominis natura, adfectibus turbata, petita observatio, quae et apud Euripid. in Medea obcurrit vs. 473. Ed. Jo. Lenting.

ἐγώ τε γὰρ λέξασα κουφισθήσομαι
ψυχὴν κακῶς σε, καὶ σὺ λυπήσει κλύων.

Voluptas. Est laetitia ab opinione *praesentis* alicujus boni. Quidquid cum suavitatis et delectationis sensu animum demulcet, *voluptas* dicitur. Gesn. Thes. L. L.

22. *Hac fruar.* Pp. enim *frui* est capere delectationem ex re quadam et ex ejus usu. Donat. ad Heautont. Act. I. sc. 1. vs. 97. Ovid. ex Ponto L. I. Ep. 1. vs. 12. Perizon. ad Sanctii Minerv. L. III. c. 2 pag. m. 281.

Jussus inexpertam Colchos advertere puppim,
Intrasti patriae regna beata meae.
Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est.
Quam pater est illi, tam mihi dives erat.
Hic Ephyren bimarem, Scythia tenus ille nivosa
Omne tenet, Ponti qua plaga laeva jacet.

Gaudia. Plurali numero temere usum esse poëtam ne putes. Significanter adjecit *sola*.

23. *Jussus.* Cf. §. 4. Argum. Ep. VI.

Inexpertam — puppim, quae mare nunquam experta erat. Oud. Cf. vs. 59. Ep. I. ibiq. not.

24. *Beata.* Ob ubertatem, divitias et potentiam, ob quas passim regio vel urbs dicitur *felix* ac *beata*. Graece εὐδαίμων. V. Euripid. Hecuba vs. 443. Lucan. L. III. vs. 15. Ovid. Ep. XVI. vs. 175. Oud.

25. *Hoc illic Medea fui* etc. Ad hospitalitatem referas. Hospitio, inquit, te subcepi in Colchide, ut Corinthi a Crëusa susceptus es. Hubert. Iäson enim, ut ajunt, Corinthum ad Crëontem regem profectus, regis filiam adamavit. At Medea, se spretam sentiens, arculam gemmis incantatis plenam Creüsae misit, quae, igne concepto, ipsam et Crëontem absumserunt. Post exprobratam vero Iäsoni perfidiam Medea subceptos ex eo duos filios in ipsius conspectu mactavit, alatisque vecta draconibus Athenas evasit ad Aegëum regem, cui cum nupsisset aç Medum filium genuisset, conata est Theseum, Aegei filium, e medio tollere veneno dato, sed deprehenso scelere fugit in eam Asiae partem, quam a filio Media est adpellata. Haec verba leguntur in fabulosa Deorum et Heroum historia supr. cit.

Hoc. Cf. vs. 32. Ep. XI.

27. *Hic* ad Creontem, ad remotius igitur praeter morem, refertur. V. ad vs. 40. Ep. I.

Ephyren bimarem. Corinthum ad mare Iönium et Aegaeum sitam in Isthmo Peloponnesi, olim dictam Ephyren. Oud. V. Vellej. Patërc. L. I. c. 3.

Scythia tenus. V. Maser. ad C. Valerii Flacci Argon. L. I. vs. 538. Edit. P. Burm.

Nivosa. Graphice. Epitheta enim hac in re pictorum colorem referre alibi observavi.

28. *Omne tenet.* Amplitudinem itaque patrii imperii demonstrat Medea.

Jaceret. Verbum est frequentatum a scriptoribus de regionis urbisque situ, praesertim plano ac maritimo Miscellan.

Accipit hospitio juvenes Aeëta Pelasgos,
Et premitis pictos corpora Graja toros.
Tunc ego te vidi: tunc coepi scire quid esses.
Illa fuit mentis prima ruina meae.
Ut vidi, ut perii: nec notis ignibus arsi,
Ardet ut ad magnos pinea taeda Deos.

Obs. Vol. VI. pag. 430. Lucan. L. IV. vs. 674. Pompon. Mela de situ orbis L. I. c. 1. §. 15. Oud. Cf. not. ad vs. 3. Ep. I.

29. *Accipit.* Ex iis, quae ad h. vs. adnotavit Burm., patet perinde esse, sive dicamus *excipere* hospitio sive *excipere* sive *suscipere*. Drakenb.

Juvenes Aeëta Pelasgos. V. §. 6, 7. Argum. Ep. VI.

30. *Premitis — toros.* Adcumbitis mensae in lectis, regie ornatis et auro purpuraque distinctis stragulis. Cf. vs. 32. Ep. XIV. Am. L. I. El. 4. vs. 15. etc. Oud.

Pictos. De pictis toris cf. vs. 52 et 179. h. Ep. Virg. L. I. vs. 698. alii. Oud. V. Pitisc. Ant. Rom. Lexic. in v. *torus*.

Corpora Graja. Grajorum sive Graecorum corpora ipsa, quibus proprie premebantur tori. Cf. infra vs. 47. Non itaque indefinite *corpora Graja* cum interpretibus *eleganti periphrasi*, *Grajos sive Graecos* notare dixerim.

31. *Tunc.* Emphatice. Eo tempore, quo decumbebas.

Quid esses. Cf. not. ad vs. 168. Ep. VII. Quam formosus, quantique aestimandus fores. Oud.

32. *Ruina.* Metaphorice. Gravior, inquit Oud., mentis lapsus, quae mihi pene excidit, ita ut ab eo inde tempore demens fuerim et insana errarerim. Cf. Ovid. Ep. IV. vs. 67. Ep. VII. vs. 93.

Mentis — ruinam Drakenb. interpretatur *mentis eversionem*, cum mens de statu ruit.

33. *Ut vidi, ut perii.* Geminatio τοῦ *ut* est exclamantis cum admiratione ad Graecorum imitationem ὡς ἴδον, ὡς ἔμανην. Simulac te vidi, quantopere perii tuo amore? V. Heins. et La Cerda ad Virg. Ecl. VIII. vs. 41. Oud. Uno eodemque tempore te vidi et amore tui capta sum. Hubert. Celeritatis itaque indicium est repetitio τοῦ *ut*.

Servius ad Virg. Ecl. VIII. vs. 41, unum *ut*, inquit, est temporis, aliud qualitatis. Nam hoc dicit. «Mox ut vidi, quemadmodum perii.»

Nec notis — arsi. Amoris aestum nondum senserat. Cf. Euripidis Medea vs. 8. Argum. Ep. VI. §. 8.

Et formosus eras, et me mea fata trahebant:
Abstulerant oculi lumina nostra tui.
Perfide, sensisti: quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma suo.
Dicitur interea tibi lex, ut dura ferorum
Insolito premeres vomere colla boum.

34. *Ardet — taeda.* Ut quodammodo amoris magnitudinem Iasonis oculis subjiciat, hac comparatione Medea utitur. *Pineam* dixit taedam; ex hoc quippe ligno fiebat plerumque taeda, quod insita resina vim ignis alit.

Ad — Deos. V. not. ad vs. 26. Ep. I. Dativus, inquit Drakenb., hoc loco per praep. *ad* circumscribitur; nam *taeda ad Deos* est taeda, quae accenditur Diis, cum sacrificia offeruntur.

35. *Et — et.* Haec repetita conjunctio vim dictis addit, quippe qua ad orationis membra ita quasi seposita animum advertere cogamur. Melius adeo intelligitur duplex causa, quae tantos in Medeae pectore excitaverat ignes.

Trahebant etiam nolentem. *Ducimus* autem *volentem.*

36. *Abstulerant.* Furati erant, ut, praeter te, nihil viderem. V. ad vs. 131. Ep. VI.

37. *Perfide, sensisti.* Meum in te amorem ita probe intellexisti, ac si eum sentires ac manibus pertrectares. Quomodo tandem de meo amore certus, in me amantem perfide agere potuisti?

Quis enim — amorem. Amoris nempe natura impedimento est. Adverbium *bene*, ait Drakenb., hic significationem *augendi* habet, ac notat *perite celare, diligenter adeo celare*, ut nemo sentiat. V. Terent. Andr. Act. I. sc. 1. vs. 105. ibiq. Ruhnk. in Dict.

38. *Eminet.* Caput quasi extollit, conspicua est.

Prodita. Cf. not. ad vs. 40. Ep. I.

Quoque magis tegitur, tanto
magis aestuat ignis.

Nam flamma, addit Hubert, indicio se detegit, et ita amor, qui flammae comparatur.

39. *Dicitur interea tibi lex.* Proponitur tibi conditio legis instar. Ovid. Cf. Ep. VII. vs. 156.

Ostensura, inquit Hubert, Medea, quam magna multaque fuerint sua erga Iasonem beneficia, commemorat singula pericula, quae Iason fuerat subiturus; a quibus cum eum liberavit, arguit eum ingratissimum esse, si eam deseruerit. Cum Loers d. spec. praefero, omnium Codd., uno Puteano

Martis erant tauri plus, quam per cornua, saevi;
Quorum terribilis spiritus ignis erat.
Aere pedes solidi, praetentaque naribus aera:
Nigra per adflatus haec quoque facta suos.
Semina praeterea, populos genitura, juberis
Spargere devota lata per arva manu,
Qui peterent secum natis tua corpora telis.
Illa est agricolae messis iniqua suo.

excepto, et veterum Edd. lectionem:

« Dixerat interea tibi Rex."

Certe ita scripsit Ovidius, inquit Loers, id quod probat omnium librorum in ea scriptura consensus et firmat vs. 51. ubi illud *dixerat rex* repetitur. Scil. vs. 39. Medea incipit leges enarrare Iasoni a patre suo datas, verbis. « *Dixerat interea tibi Rex;* quas quidem leges postquam exposuit, vs. 51. iisdem verbis finit, quibus coepit, *Dixerat Aeëtes*, solemni poëtarum more.

40. *Insolito.* Insueto; indomiti erant tauri. Hubert. Cf. §. 7. Argum. Ep. VI.

41. *Tauri* etc. Cf. §. 7. Argum. Ep. VI.

43. *Aere pedes solidi.* Pedes ex solido aere, nulla diversa materia mixto. V. Apoll. Argon. L. III. vs. 230. sq.

Praetentaque naribus aera. Munita adversus vim externam. Locutio desumta est a re militari, ubi ea *praetendi* dicuntur, quae sunt munimento ac tegumento. Oud. Cf. vs. 15. h. Ep. Aes tauris his tentum erat circa nares; quo indicat, eos etiam nares aereas habuisse. Drakenb.

44. *Haec.* Aera fumosa ac caliginosa facta per suos afflatus. Hubert.

45. *Semina.* Cf. vs. 17. h. Ep. et supra citat. Argum. Ep. VI. §. 7.

46. *Devota.* Utpote cui omnes diras et mala quaevis atque exitium inprecatus est pater et Colchi. Oud. Cf. not. ad vs. 13. Ep. II. *Devotus* hic non est *exsecratus*, sed ponitur pro eo, qui promtus ac paratus est ad *omnia* pericula ac discrimina subeunda, qui se quasi devovit ac consecravit ad aliquid faciendum. Lucan. L. III. vs. 311. Drakenb. Dubius mihi videtur Ruhnk., utram interpretationem praeferat.

Peterent. Ferirent, invaderent tua corpora. Notandum est, inquit Drakenb., *corpora* hîc numero *plurali* poni de *uno* homine. Cf. vs. 129. Ep. VIII. et not. ad vs. 30. h. Ep.

47. *Secum natis — telis.* Cf. Argum. Ep. VI. §. 7.

Lumina custodis, succumbere nescia somno,
Ultimus est aliqua decipere arte labor.
Dixerat Aeëtes: moesti consurgitis omnes,
Mensaque purpureos diserit alta toros.
Quam tibi nunc longe regnum dotale Creüsae,
Et socer, et magni nata Creontis erant?

Iniqua. Ingrata, injusta in agricolam, Iasonem, qui semina jecerat.

49. *Lumina custodis* etc. Is erat draco pervigil qui aureum vellus custodiebat. Hubert. V. Argum. Ep. VI. §. 7.

Succumbere nescia somno. Subcumbere somno eleganter dicuntur oculi, quia oculi quasi a somno vincuntur, eique se demittere ac subcumbere debent; quae verba sunt frequentia hac in re, praesertim, quando quis invitus dormit. Cf. A. A. L. III. vs. 767. Metam. L. I. vs. 714. Oud. De Adjectivis Graeco more infinitivum regentibus. vid. Vech. Op. l. L. I. c. 21.

50. *Decipere* sive fallere, ita ut clam illis auferas vellus. Ovid. Metam. L. III. vs. 431. Rem. Am. vs. 346. Oud.

Aliqua — arte sive virtute. Cortius ad Sallust. Catil. c. 2. *Artes*, inquit, sunt mores, studia, et modo virtutes, modo vitia: verbo, quod nos *media* vocare solemus. Cf. Sallust. Catil. c. 3. §. 4.

51. *Dixerat.* Supra dicta tibi esse facienda.

Consurgitis ex toro, in quo discumbebatis.

52. *Mensaque — alta*, in alto h. e. coenaculo posita. Sic *alta coenatio* apud Sid. Apoll. Carm. XXII. vs. 207.

Mensa autem poëtice dicitur *deserere toros.* In soluta oratione idem ita efferremus: mensa removetur.

Alta mensa, inquit Loers. d. spec., h. l. est multis epulis *onerata*, *exstructa*; cui explicationi, illius sensu, egregie respondet *purpureos toros.* Desidero exempla quae hanc adjectivi *alta* significationem probant.

Purpureos. Cf. vs. 30. h. Ep.

53. *Quam tibi nunc longe.* Quam nihil tunc temporis juvabat te regnum illud, quod mihi nunc praetulisti. Frequens est formula, *longe esse*, vel *abesse longe alicui*, de re, quae ad pompam et ostentationem facit, sed in periculo nihil juvat. V. Flor. Epit. L. II. c. 28. L. VI. c. 35. Gronov. ad Senec. Hippolyt. vs. 974. Oud. et Drakenb. ad Sil. Ital. L. XVII. vs. 80. Cum Hubertino equidem explicare malo « Quam longe

Tristis abis. oculis abeuntem prosequor udis: 55
Et dixit tenui murmure lingua, Vale.
Ut positum tetigi thalamo male saucia lectum:
Acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit.
Ante oculos taurique truces segetesque nefandae:
Ante meos oculos pervigil anguis erat. 60

remotum ab animo et cogitatione tua." Me unam, quae tibi auxiliaretur, tunc in animo habebas, spectabas. Cf. vs. 71. sq. h. Ep. Mecum *tunc* τῷ *nunc* praeferente facit Loers d. spec. Nam, inquit, praeter quod longe plurima pars librorum eam lectionem tuetur, eadem exclamatio, quae hic in media narratione est, in fine narrationis redit cum particula *tunc* vs. 103, 104. Nisi forte et ibi, ubi nihil variant Codd., mutare velis. Cod. Trev. *tunc*. Schol: *quia tunc non vulebat*.

54. *Socer* etc. V. Argum. h. Ep.

55. *Oculis — prosequor udis.* Verbum *prosequi* amicum prodit animum, *udi oculi* indices amoris, qui in causa erat, quod, conditionibus patris auditis, vitae Iasonis, quem jam deperibat, timeret Medea. Cf. vs. 33. h. Ep. *Prosequi oculis abeuntem* dicitur, ut ait Drakenb., qui abeuntem respicit, quamdiu visus permittat. V. Suet. in Tib. c. 7. et Burm. ad h. l.

56. *Tenui murmure.* Adfectus enim vocem premebat. Cf. Ep. VI. vs. 63. sq.

Vale dixit Medea, tanquam quae existimaret, eum certaminibus succubiturum, ac periculis periturum. Formula enim haec solennis erat, qua etiam utebantur, qui funus prosecuti erant, cum post conditum cadaver a sepulcro decederent. V. Kirchm. de Fun. L. III. c. 9. Drakenb.

57. *Tetigi.* A primo inde temporis puncto, quo in lecto jacebam.

Male saucia. In meam perniciem Cupidinis telis saucia, vulnerata. Cf. not. ad vs. 99. Ep. IX. et Virg. Aen. L. IV. vs. 1.

58. *Per lacrimas.* Per *modum* significat et *rationem*, qua noctem, quam longissimam faciebat cura, consumserat. V. Tursell. Op. l. in v. *per*. Not. ad vs. 71. Ep. VI.

Quanta fuit. Quam longa fuit. Tam longa nox fuit, ut ipsi modum statuere Medea non posset. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 193. L. VIII. vs. 86.

59. *Ante oculos* etc. Cf. vs. 39 sq. h. Ep. Adeo firmiter menti obversabantur, quasi illa omnia oculis viderem. Hoc

Hinc amor, hinc timor est. ipsum timor auget amorem.
Mane erat; et thalamo cara recepta soror:
Disjectamque comas aversaque in ora jacentem
Invenit, et lacrimis omnia plena meis.
Orat opem Minyis: petit altera; et altera habebat.
Aesonio juveni, quod rogat illa, damus.

sensu *stare*, *esse*, *ponere ante oculos* occurrunt passim. V. Ep. XI. vs. 55. Sil. Ital. L. III. vs. 140. Cic. pro Dejet. c. 7. Ovid. Metam. L. VIII. vs. 507, ubi Burm. Similiter *occurrere animo* Ep. X. vs. 81, vel simpliciter *occurrere* Ep. VII. vs. 67. Drakenb.

61. *Hinc amor.* Ab hac parte, tui, Iasonis. *Hinc timor*, ab illa parte timor, ne pereas. Sollicitudo et misericordia amori alimentum dant, quod humanae naturae convenienter dictum est. *Patris* timorem dicit Hubert.

62. *Mane erat.* Vixdum toties mihi optata lux adparuerat, cum thalamum intraret cara, unanima (Virg. Aen. L. IV. vs. 8.) soror, Chalciope, quae cum ex ancilla intellexisset Medeam acerbe lugere, confestim sororis cubile adiit, atque ita stratis summa corporis parte incubans, ex ea causam doloris quaesivit. V. Apoll. Rhod. Argon. L. II. vs. 670. sq. quibus proxime sequentia respondent.

63. *Disjectamque comas.* Per crebram corporis conversionem comae erat sparsae, amoris istiusque adfectionis effectum. Juvenal. Sat. L. III. vs. 278. Ovid. Am. L. I. El. 2. vs. 4. Oud.

Aversaque in ora jacentem. In faciem cubantem, prae pudore et moestitia, inquit Burm., ut solent in hac animi adfectione saepe mutare corporis statum crebris jactationibus, laudans Juven. l. s. cit. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

64. *Omnia*, omnem lectum; qua dictione lacrimarum copia innuitur. V. not. ad Ep. X. vs. 55.

65. *Minyis.* Cf. vs. 47. Ep. VI. Cur, inquit Heinsius ad h. vs., Chalciope Argonautis faverit, in promptu causa est, quod filii ejus quatuor ex Phrixo geniti in illorum essent numero. V. Hyg. Fab. 3. Cf. Apoll. Rhod. L. III. vs. 256. Apollod. L. I. c. 9.

Petit altera; et altera habebat. De Heinsii conjectura, et de lectione, quae Nodellio adrisit, ac Lennepii judicium vid. in Hujus Animadv. ad h. l. Cod. Trev. *habebat*, scripsit Loers in d. spec., quod recte revocavit van Lennep, quamquam in hujus lectionis defensione, quod

Est nemus, et piceis, et frondibus ilicis atrum:
Vix illud radiis solis adire licet.
Sunt in eo, fuerantque diu, delubra Dianae:
Aurea barbarica stat Dea facta manu.
Nostin', an exciderunt mecum loca? venimus illuc.
Orsus es infido sic prior ore loqui:

maxime debebat, ad vs. 66. non respexit. Equidem locum ita interpungere malo.

« Petit altera et altera. Habebit."

Habebit promittentis est. Debuisset Medea Chalciopae Minyis opem roganti respondere *habebunt opem;* illa vero, Iasonis amore capta, hunc solum cogitat, adeoque respondet, *Habebit. Altera et altera* Chalciope, et ego ipsa; Medea nempe divisum habebat animum, alter opem ferre suadebat, alter dissuadebat; ab hoc itaque Medeam Poëta petentem facit, ut consentiret. Hunc ergo adsensum significat verbum proxime sequens *Habebit*, ita ut totus Medeae animus ad Minyis opem ferendam ferretur.

67. *Est nemus* etc. Describit locum, inquit Hubert., in quo cum Iason locutus est cum Medea, et eam rogavit in auxilium suum. Habet haec loci descriptio, quod Iasonis animum sacro horrore percellat, quem incutiebat et nemoris obscuritas et Dei praesentia, quibus effectum iri sperabat Medea, ut Iason cogitatione se in iisdem locis sistens in promissorum et jurisjurandi memoriam optime rediret.

Piceis, et frondibus ilicis atrum. Ob effectum *atrum* dixit nemus. Causam adtigit Ep. XVI. vs. 54. « Piceis ilicibusque *frequens.*"

68. *Vix* etc. Ita atrum, ut vix — liceat. Cf. Lucan. L. III. vs. 399. sq. ab Oud. laud.

69. *Fuerantque diu.* Quo vetustius templum erat, eo majore religione colebatur. V. Virg. Aen. L. II. vs. 713. ibique Interpr. Ruhnk.

Delubra Dianae. Hecatae triformis, quae solet dici *triplex Diana.* V. vs. 79. h. Ep.

70. *Barbarica.* Non Graeca, Colchica.

71. *Nostin', an exciderunt* etc., animo scil. Haec interrogatio habet vehementem oblivionis reprehensionem, et ad adfectus movendos valet plurimum. Adfectus quomodo movendi sint, nos docet Quinct. Inst. Or. L. VI. c. 2.

Exciderunt. Cf. vs. 105. Ep. II. Perfectorum in tertia plurali penultimam corripientium

Jus tibi et arbitrium nostrae Fortuna salutis
Tradidit: inque tua vitaque morsque manu.
Perdere posse sat est, si quem juvet ipsa potestas:
Sed tibi servatus gloria major ero.
Per mala nostra precor, querum potes esse levamen;
Per genus et numen cuncta videntis avi;
Per triplicis vultus, arcanaque sacra, Dianae:
Et si forte alios gens habet ista Deos:

plura exemplа conlegit Heins. ad vs. 166. Ep. VII.

72. *Orsus es — prior.* Sponte adeo atque ultro. V. van Lennep in Animadv.

Infido — ore. Corporis partibus a poëtis adfectus tribui, qui animo proprii sunt, saepius antea me observare memini.

73. *Jus — et arbitrium.* Potestatem sive facultatem pro arbitrio statuendi de mea salute. Cf. vs. 54. Ep. VII. vs. 32. Ep. VIII. Oud. ad Lucan. Phars. L. I. vs. 2.

74. *Tradidit* ita, ut nihil juris sibi reliquum faceret.

75. *Perdere — potestas.* Si quis delectatur potestate, satis ei debet esse, quod *possit* nocere; non autem *debet* nocere. Hubert. Tragoediae, cui titulus Medea, cujus auctor Ovidius dicitur, duo fragmenta exstant, quorum alterum quandam cum his habet similitudinem. Est vero ejusmodi.

« Servare potui, perdere an possim, rogas?"

Quibus verbis ad nutricis quaestionem respondere videtur, quae, utrum lusonem perdere vellet et posset, dubitaret. Cum altero,

« Feror huc illuc, ut plena Deo."

cf. vs. 209. h. Ep.

76. *Servatus.* Ego tuo auxilio liberatus. Hubert. Est *σφμα* simile Ciceroniano de Caesare pro Marcello c. 1. §. 3. Oud.

78. *Avi.* V. Ep. VI. Argum. §. 7.

79. *Per triplicis* etc. Cf. vs. 69. et not. ad h. vs. *Triplices* mavult Loers, ut et *vultus* suum epitheton habeat.

Arcanaque sacra, quae noctu peragi solebant.

80. *Et si forte — gens — ista Deos.* Per istos Deos vestrae gentis, si forte aliquos habetis. Hubert. *Aliquis*, inquit Oud. ad h. vs., *semper* et *proprie* sua vi notat *alium quem*. Temere hoc in *alium* ubivis mutant. V. Oud. ad Caes. de B. Civ. c. 71. Sueton. Tib. c. 47. Lucan. L. V. vs. 283. Terent.

O virgo, miserere mei: miserere maorum!
Effice me meritis tempus in omne tuum.
Quod si forte virum non dedignare Pelasgum,
(Sed mihi tam faciles unde, maosque Deos?)
Spiritus ante meus tenues vaneseat in auras,
Quam thalamo, nisi tu, nupta sit ulla meo.
Conscia sit Juno, sacris praefecta maritis,
Et Dea, marmorea cujus in aede sumus.
Haec animum (et quota pars haec sunt?) movere puellae
Simplicis; et dextrae dextera juncta meae.

Heaut. Act I. sc. 1. vs. 17. (ad q. vs. 11. vid. Ruhnk. Dictata) Phaedr. L. II. Proleg.

Si forte, inquit Medea, ne quem Deorum inscia praetermitteret. Invidum enim veteres credebant Deorum genus.

82. *Meritis* V. ad vs. 5. Ep. VII.

Tuum. Devinctissimum, tibi deditum. V. ad vs. 1. Ep. I.

83. *Quod si forte virum* etc. Si me hominem Graecum non indignum censes, quem tuum virum habeas, prius moriar, quam tuo matrimonio aliam mulierem praeponam. Apollon. quoque idem scribit Argon. L. III. (vs. 1128. sq. Ed. Brunck.) Ciofanus.

84. *Faciles*. Qui facile se exorari patiuntur et facile concedunt preces. Ovidius semper *Di faciles*, *faciles puellae*. Serv. ad Virg. Ecl. III. vs. 9. Oud. Ovid. Ep. XVI. vs. 280. Ep. XVIII. vs. 3.

Unde. Eleganter per ellipsin huic interrogationi solet jungi accusativus. V. Lucan. Phars. L. VII. vs. 28. Oud. Orationem ita supplet Hubert. » unde Deos tam faciles mihi sperem, tam *meos*, tam obsequentes mihi. Romani saepe cum affectu rem aliquam in accusativo casu ponunt, quam abesse dicunt, cupiunt vel dolent. Peerlk. V. Cl. ad Taciti Agric. c. 9.

85. *Spiritus* etc. V. not. ad vs. 79. Ep. I. Cf. Ep. X. vs. 121.

86. *Nisi tu*. V. ad vs. 27. Ep. II.

87. *Conscia sit Juno* etc. Cf. vs. 41. Ep. II. et not. ad h. vs. *Sacris — maritis*. V. ad vs. 76. Ep. XI. *Praefecta*. V. Ep. II. vs. 41.

88. *Dea*. Cf. vs. 69. sq.

Cujus in aede. Ad quod substantivum Hubert. notat » in singulari *templum* significat, in plurali *domum*.« Ratio hujus differentiae est, quod templa *unius* tantum conclavis esse solebant, domus *plurium*.

Vidi etiam lacrimas. an pars est fraudis in illis?
Sic cito sum verbis capta puella tuis.
Jungis et aeripedes inadusto corpore tauros,
Et solidam jusso vomere findis humum.
Arva venenatis, pro semine, dentibus imples;
Nascitur, et gladios scutaque miles habet.
Ipsa ego, quae dederam medicamina, pallida sedi,
Cum vidi subitos arma tenere viros.
Donec terrigenae (facinus miserabile) fratres.
Inter se strictas conseruere manus.
Pervigil ecce draco, squammis crepitantibus horrens,
Sibilat: et torto pectore vertit humum.

89. (*Et quota pars haec sunt.*) Quantulam partem rerum faciunt haec verba, cum multa alia accesserint, quibus moveri potuerim. Oud.

Puellae — simplicis, nihil mali suspicantis, credulae. Cf. vs. 63. sq. Ep. I. ibiq. not.

90. *Dextera.* V. ad vs. 31. Ep. II.

91. *Vidi etiam lacrimas.* Etiam, i. e. adhaec. Cf. Ep. II. vs. 51. not. ad h. vs.

92. *Puella.* Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 95.

93. *Jungis* meo beneficio. *Inadusto corpore.* Cf. vs. 15. et 43. h. Ep.

94. *Solidam*, duram. Hubert. Cf. not. ad vs. 43. h. Ep.

Jusso vomere. V. not. ad vs. 72. h. Ep.

95. *Arva venenatis* etc. Cf. vs. 17. et 45. h. Ep.

97. *Ipsa ego*, κούρη Αἰήτεω πολυφάρμακος qualem adpellat Apoll. Rhod. L. III. vs. 27. Medeam. Habet emphasim, inquit Hubert. Vult autem dicere. « Quanto magis tu et reliqui debuistis timere? » Cf. Lucan. L. IV. vs. 555. a Burm. cit.

98. *Subitos.* Subito natos. Hubert.

100. *Inter se strictas.* Exsertas, in se invicem armatas. Oud.

Conseruere. Verbum metaphorice e re rustica desumtum denotat *conjungere*, *committere*.

101. *Ecce*, i. e. subito, ex inproviso, quo major esse horror solet. Cf. vs. 49. h. Ep.

Squammis crepitantibus horrens. Duo posteriora verba ipso sono horrorem nobis injiciunt. *Horrens*, asper. Hubert. Cujus de verbi significatione propria, alio, nescio quo, loco egi.

102. *Sibilat*, a sono factum verbum. Hinc proprie, inquit

Dotis opes ubi tunc? ubi tunc tibi regia conjux?
Quique maris gemini distinet Isthmos aquas?
Illa ego, quae tibi sum nunc denique barbara facta,
Nunc tibi sum pauper, nunc tibi visa nocens,
Flammea subduxi medicato lumina somno:
Et tibi, quae raperes, vellera tuta dedi.
Proditus est genitor. regnum patriamque reliqui.
Munus in exsilio quolibet esse tuli.

Hubert., de serpentibus dicitur, ut Virg.

« Sibila lambebant linguis vibrantibus ora."

Torto. Per gyros et nodos, in quos se contorquet serpens. Claud. in Rufin. L. I. vs. 66. Burm. ad Nemesian. Ecl. IV. vs. 40. Oud.

Verrit humum sive perstringit repens super longo tractu. Oud. Nonne haec legentes nosmet ipsi iratum ac sibilantem draconem et videre et audire videmur?

103. *Dotis opes ubi tunc — conjux?* Medea, inquit Hubert., ita amplificat beneficium suum, ut doti illud anteponat. Tunc certe non quaerebas opem, nec regio sanguine creatam, ut nunc jactas esse istam tuam. Cf. not. ad vs. 53. h. Ep. et ad vs. 31. Ep. II.

104. *Quique — aquas. Isthmus* dicitur pro Corintho in Isthmo sita. Cf. vs. 69. Ep. VIII.

105. *Illa ego.* Cf. not. ad vs. 97. Köppen Erklär. Anm. zum Homer, L. III. Il. vs. 391. Drakenb. ad Sil. Ital. L. IV. vs. 128.

Nunc denique. Antea cum de sola salute tibi cogitandum putabas, non eram barbara. Cf. vs. 81. sq. h. Ep.

106. *Nunc — pauper.* Cf. vs. 103. h. Ep.

Nunc — nocens. Scelerata, venefica. Hubert. *Nunc* habet emphasin. Post tot beneficia in te conlata.

107. *Flammea* etc. Tunc temporis clam ademi Draconi visum flammiferum (oculos micantes) immittendo ei soporem medicaminibus meis. V. Lucan. L. II. vs. 475. Metam. L. XIII. vs. 61. (Cf. vs. 15. h. Ep.) Oud.

Medicatus — somnus est veneno injectus, excitatus.

108. *Vellera tuta.* Cf. not. ad vs. 72. h. Ep.

109. *Proditus.* V. not. ad vs. 40. Ep. I.

110. *Munus* etc. Aliis exilium est sua poena, sed ego existimavi in illo maximum esse munus et beneficium, dum-

Virginitas facta est peregrini praeda latronis:
Optima, cum cara matre, relicta soror.
At non te fugiens sine me, germane, reliqui.
Deficit hoc uno litera nostra loco.
Quod facere ausa mea est, non audet scribere, dextra:
Sic ego, sed tecum, dilaceranda fui.
Nec tamen extimui (quid enim post illa timerem?)
Credere me pelago femina, tamque nocens.

modo tecum semper esse mihi liceret. Senecae Medea vs. 492. Oud.

Quolibet. Longo etiam et miserrimo. Oud. Cf. not. ad vs. 98. Ep IV.

Esse tuli, pertuli, passa sum, non recusavi.

111. *Peregrini latronis.*

« Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat."

Virg. Aen. L. III. vs. 324. Medea, inquit Drakenb., Iasonem habet pro praedone, quia ideo Cholchos profectus erat, ut Aeëtae vellus aureum eriperet; et ita *praedo* vocatur apud Val. Flacc. L. VIII. vs. 267.

112. *Cum cara matre.* Idyia Oceani filia. Ita enim, teste Hesiodo (in Theogonia vs. 958.) vocata est mater Medeae, licet quidam dicant filiam fuisse Aeëtae et Hypseae, et Diodorus dicat fuisse filiam Aeëtae ex Hecate. Hubert. Laudat Drakenb. Apollod. L. I. c. 9 et 23. Hygin. fab. 25. et Munck. ad h. fab.

Soror. Cf. not. ad vs. 62. h. Ep.

113. *Non te — germane*, Absyrte. Habet, quod quisque facile observet, Apostrophe varietatis adeoque suavitatis et gravitatis non parum.

114. *Deficit — loco.* Litera, quam exarare mihi animus erat, hoc solo loco, stili ductum sequi non vult, rebellat quasi. De quo verbi *deficere* significatione consule Gesner. in Thes. L. L.

115. *Quod facere*, i. e. dilacerare, tuos artus, qua pater instabat, dissipare, quibus conligendis mihi fugiendi spatium daret.

Ausa — est ad nefandum facinus spectat.

Audet ad seram poenitentiam, pudorem. Cf. not. ad vs. 41. Ep. I.

116. *Sic ego, sed tecum* etc. Non ad germanum Absyrtum jam amplius loquitur, sed rursus ad Iasonem. « Sic ego debueram dilacerari, sed tecum perfide Iason. Oud.

117. *Post illa.* Maxima pronomini inest emphasis.

118. *Credere me pelago fe-*

Numen ubi est? ubi Di? meritas subeamus in altō,
Tu fraudis poenas, credulitatis ego . . 120
Complexos utinam Symplegades elisissent.
Nostraque adhaererent ossibus ossa tuis!

mina, eaque *tam nocens*. Committere me (natura timidam eamque) tam noxiam et tot criminum ream in fidem maris, quod solet sceleratos punire, vindicta Divina eos ibi maxime persequente. Oud. Cf. Horat. Od. L. III. Od. 2. vs. 28. sq. et ad h. vs. Mitscherl.

Credere a re pecuniaria petitum verbum. Credimus pp. pignus, vel depositum aliud, quod adeo nobis *debetur*, suoque tempore *reddi debet*. Proprio sensu haec tria verba occurrunt apud Horat. Od. L. I. Od. 3. vs. 5. sq.

119. *Numen ubi est? ubi Di?* Laesae nempe Dianae numen et Dii, per quos tu juravisti, ubi sunt? *Esse* enim non videntur, qui injuriam sibi inlatam non vindicent. Quare meritam ab illis poenam non subimus? Cf. not. ad vs. 31. Ep. II. Virg. Aen. L. III. vs. 208. seq. Solennis, inquit Drakenb., est exclamatio veterum, cum viderent probos malis, scelestos bonis affici, quasi indicarent, aut nullos esse Deos, qui pro cujusque merito vel praemia vel poenas distribuerent, vel Deos non curare humana. Pluribus eadem de re egit idem V. Cl. ad Sil. Ital. L. VI. vs. 87.

121. *Complexos — elisissent.* Utinam nos nautis in amplexibus periissemus, compressis et elisis corporibus nostris per Symplegadas sive Cyaneas, quae velut duae scopulosae insulae supra Bosporum Thracium in ora Ponti Euxini inter se concurrere et confligi dictae sunt; unde et nomen habent: sed stabiles factae finguntur per fatalem navis Argo transitum; ea enim inter illas prima navigasse fertur. Vid. Pompon. Mela L. II. c. 7. §. 20. Edit. A. Gronov. Lucan. L. II. vs. 715. Ovid. Metam. L. XV. vs. 337. Theocrit. Idyll. XIII. vs. 22. Oud. Tempestiva, inquit Burm. ad h. vs., hîc mentio complexuum et venereae voluptatis in tam infausto conjugio, ut voveat se in mediis amplexibus fuisse elisam inter Symplegadas.

Versus spondiacus, meo quidem sensu, ab Ovidio hic elegantter adhibitus est, ac caesura post quintum pedem, qua mihi vis exprimi videtur et parva mora, quae Symplegadibus fuit in corporibus, quae parumper resistebant, frangendis.

122. *Adhaererent.* Observa iterum caesurae speciem, pentheminerim dictam, quae cum

Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos!
(Debuit ingratis Scylla nocere viris.)
Quaeque vomit fluctus totidem, totidemque resorbet,
Nos quoque Trinacriae supposuisset aquae!

pronunciandi verbi difficultate, ex repetito post priorem compositi partem spiritu nata arctissimam membrorum junctura ac conlisionem sentiendam praebeat.

123. *Scylla rapax.* Adjectivum naturam Scyllae aperit. In mari Siculo nempe, ut ait Hubert, nautae magnis pelagi desidentis vorticibus territi undas, ut Justinus L. IV. c. 1. scribit, latrare putaverunt; quas sorbentis aestus vorago collidit. Hinc fabulae Scyllam et Charybdim peperere.

Canibus misisset edendos. Ob versum spondaicum 121, nunc facilitatis ac celeritatis notio, quam adfert in penultima sede dactylus, melius percipitur: quo fit, ut Scyllae vires ac inpetus adpareant. Eleganter enim, inquit Oud., Poëta ait *misisset* sive *projecisset* instar offae canibus edendae. V. Phaedr. L. I. fab. 20. vs. 12. L. III. fab. 3. vs. 2.

Canibus. Glaucus nempe, Deus marinus, cum Scyllam Phorci et Lamies vel Crataeidis filiam frustra amaret, Circes opem inploravit, cujus magica arte ad inferiorem corporis partem, quum se prope mare lavaret, canes enatae sunt. Dorn Seiffen Onom. Poët. in v. *Scylla.*

124. *Debuit.* Iis, quae a Deo Glauco passa est, tenetur, lege quasi obligatur ad omnibus viris ingratis nocendum.

125. *Quaeque vomit* etc. Charybdis significatur. Cf. not. ad vs. 123. h. Ep. Fuit autem Charybdis, ut Servius scribit, mulier voracissima, quae, quia Herculi boves rapuit, a Jove fulminata est, et in mare praecipitata. Unde naturam pristinam servat; nam sorbet universa, et secundum Sallustium ea circum litus Tauriminitanum egerit. Hubert.

126. *Nos quoque*, ut alia omnia. Hubert.

Trinacria terra scil. Sicilia a tribus promontoriis sive ἀκρους Pachyno, Lilybaeo, et Peloro ita dicta.

Supposuisset. Mersisset. Cf. Ovid. Metam. L. XIII. vs. 953. Scyllae, inquit Burm. ad h. vs., et Symplegadum hic mentio fit, vel, quia (ut Orpheus Argon. vs. 1246 tradit, notante jam Volsco) Argo illa loca penetravit, vel, quia Ovidius finxit Medeam voventem, ut illa loca transisset, quo locus ipsi esset devotionum et dirarum horrorem augendi.

Sospes ad Haemonias, victorque, reverteris urbes.
Ponitur ad patrios aurea lana Deos.
Quid referam Peliae natas, pietate nocentes,
Caesaque virginea membra paterna manu?
Ut culpent alii, tibi me laudare necesse est,
Pro quo sum toties esse coacta nocens.
Ausus es o, (justo desunt sua verba dolori)
Ausus es, Aesonia, dicere, cede domo.
Jussa domo cessi, natis comitata duobus;
Et, qui me sequitur semper, amore tui.
Ut subito nostras Hymen cantatus ad aures
Venit, et accenso lampades igne micant,

127. *Sospes ad Haemonias* etc. Cf. vs. 1. Ep. VI.

128. *Ponitur*. Cf. not. ad vs. 26. Ep. I.

129. *Peliae*. V. §. 4. Argum. Ep. VI.

Pietate nocentes etc. In patrem amore. V. Ovid. Metam. L. VII. vs. 336. Cf. not. ad vs. 85. Ep. I.

131. *Ut* (quamvis) *culpent alii, tibi* etc. Necesse est, aliter fieri per rei naturam non potest, quin tu quidem ea, quae fecerim, laudes; tui enim amantissima haec facinora perpetravi.

132. *Esse coacta nocens*, amore. Invita crimen committere supplicio dignum.

133. *Ausus es — ausus es*. Et ejusdem verbi repetitio et ipsa verbi significatio (de qua alibi dixi) Medeae animi indignationem prodit, et inpetum; dolor vero jure conceptus prohibebat, quo minus dicta factis exaequaret: gravius verbum invenire infans dolor nequivit.

134. *Aesonia — cede domo*. Patris mei Aesonis; nam Iason spontaneum divortium Medeae persuadere conatus erat. Hubert. Cf. not. ad Ovid. A. A. L. III. vs. 587. *Cede domo*. Formula repudii apud Romanos. Heins. et H. Grotius ad Matthaei c. 5. §. 31. pag. m. 143. Edit. an. 1826. Brisson. de formul. et Auctt. cit. a Pitisco in Lexico Ant. Rom. ad v. *Divortium* et *Repudium*.

135. *Natis comitata*. Passive. V. ad Ep. III. vs. 29. *Natis*. Apollod. Bibl. L. I. c. 9. extr. vocat Mermerum et Pheretem.

136. *Et, qui — semper*. Amoris in Iasonem vehementissimi et constantissimi indicium.

137. *Hymen cantatus*. Cf. not. ad vs. 33, 34. Ep. II. et

Tibiaque effundit socialia carmina vobis,
At mihi funerea flebiliora tuba.
Pertimui; nec adhuc tantum scelus esse putabam:
Sed tamen in toto pectore frigus erat.
Turba ruunt; et, Hymen, clamant: Hymenaee frequen-
Quo propior vox est, hoc mihi pejus erat. (tant.
Diversi flebant servi, lacrimasque tegebant.
Quis vellet tanti nuntius esse mali?

vs. 44. Ep. VI. Plautus Cas. Act. IV. sc. 4. init.

138. *Accenso — micant.* Cf. not. ad vs. 120. Ep. II. et vs. 103. Ep. VI.

139. *Tibiaque.* Hoc dicit, inquit Oud., quia nuptiarum solenni pompa per tibicines carmina canebantur. V. Plaut. Cas. Act. IV. sc. 3. init. Apulej. Metam. L. IV. in fine; hinc *nuptiales tibiae* Auctor ad Herenn. L. IV. c. 33.

Effundit sive edit sonos musicos; ut lingua passim *verba fundere* apud poëtas dicitur. Oud. Nec tamen, meo quidem sensu, ejusdem significationis sunt phrases *edere* et *fundere* verba; posterior enim semper verborum *copiam* designat.

Socialia carmina. Nuptialia, V. Pitisci Lexic. Antiq. Rom. in v. *Tibia*, ubi hic ex Ovid. Metam. L. IV. vs. 757. excitatur locus.

——— Taedas Hymenaeus, Amorque
Praecutiunt: largis satiantur odoribus ignes;
Sertaque dependent tectis, lotique, lyraeque
Tibiaque, et cantus, animi felicia laeti
Argumenta, sonant.

140. *Funerea — tuba.* Ante enim mortui ad tubam deducebantur. Serv. ad Aen. L. XI. vs. 129. Propert. L. II. El. 6. vs. 11. L. II. El. 10. vs. 19. alii laud. a Pitisco Op. l. in v. *Tuba* inter quos et Kirchm. Op. l. L. II. vs. 4. ubi et hujus loci auctor meminit. Cf. Ep. II. vs. 117. etc.

142. *Sed tamen — frigus erat.* Cf. Ep. I. vs. 14, 22.

143. *Hymen.* V. not. ad vs. 137.

Frequentant. Iterant, saepius repetunt, saepius dicunt. V. Heins. ad Ep. XIV. vs. 27. Auctor ad Herennium (incerti enim auctoris illud opus est, inter Ciceroniana de arte dicendi relatum) L. IV. c. 19.

144. *Hoc mihi pejus erat.* Tan-

Me quoque, quidquid erat, potius nescire juvabat:
Sed tamquam scirem, mens mihi tristis erat.
Cum minor e pueris, jussus studioque videndi,
Constitit ad geminae limina prima foris;
Hic mihi, Mater, abi; pompam pater, inquit, Iäson
Ducet; et adjunctos aureus urguet equos.

to magis dolebam, tanto pejus me habebam. Terent. Adelph. Act. IV. sc. 5. vs. 21. Drakenb. Donat. ad h. Terent. vs.

145. *Diversi flebant servi.* Huc illuc, in diversa et varia loca se recipientes ex oculis meis, ne viderem eos lugentes, neve cogerentur mihi annunciare has nuptias, fletus sui causa. Oud. Ex animo itaque lugebant servi, qui enim vere dolet, non in turba, sed in solitudine dolet: adcedebat vero et altera causa in vs. 146. memorata eaque ex hominis ingenio petita; malum enim quis lubens nunciet? praesertim ubi animum dolore quasi obrutum ipse habeat.

148. *Sed tamquam* etc. Quasi scirem, aliam nunc te uxorem ducere. Sic sane ex post facto judicare homines perverse solemus, cum animus ad suae conditionis vel praeteritae vel praesentis investigationem semper feratur. Omnium rerum quippe ad se pertinentium causas indagare amat, in malis praesertim, ubi a rebus sub sensus cadentibus in se convertitur ac redit.

149. *Jussus.* V. van Lennep V. Cl. in Animadv. ad h. vs. quocum, quod in duobus suis scriptis legit Heinsius, praefero *lusu.* Lusus enim et videndi studium in pueri naturam cadunt. Lusu itaque ac studio videndi hoc a puero factum esse scribit Medea.

150. *Constitit*, ut videret, quid fieret. Hubert.

Geminae — foris. Substantivum in genitivo singulari positum rarius obcurrit. Bifidae enim fores in majoribus aedibus ac templis aperiri solebant; hinc *fores* latine dicuntur, Graece, apud Homerum πύλαι.

151. *Hic mihi.* Nunc, hoc temporis statu, hac rerum conditione. Oud., qui Ciceronem laudat ad Famil. L. I. Ep. 9. L. V. Ep. 15. Terent. Andr. Act. II. sc. 3. vs. 15. Heaut. Act. II. sc. 5. vs. 38. alios, quos omnes adscribere supervacuum judico. In indicibus enim auctoribus subjunctis quaeras, si tanti est. Vid. D. Ruhnk. Dict. ad Terent. Andr. Act. II. sc. 3. vs. 15.

Aperitur vero nobis a Poëta

Protinus abscissa planxi mea pectora veste:
Tuta nec a digitis ora fuere meis.
Ire animus mediae suadebat in agmina turbae,
Sertaque compositis demere rapta comis.
Vix me continui, quin sic laniata capillos
Clamarem, Meus est: injiceremque manus.

scena, in qua suas partes egregie ad misericordiam agunt filius et mater. Puer enim, natura duce, cum patrem eximie ornatum in curru conspexisset, nihil mali suspicans, ad matrem laetus adcurrit, quam sui gaudii participem faciat, quo ipso pueri gaudio, matris adfectibus contrario, haec non potuit non dolore atque indignatione ardescere. In tristibus enim laeta animum vehementissime percellunt, tristitiamque gravant.

Mihi, inquit puer. Hoc ac similia pronomina dativo casu dictionibus addita invenimus, quae ne tanquam superflua rejicias, cave. Habent quippe, quamvis, quomodo vertamus, saepius nesciamus, gravitatis plurimum. *Mihi* h. l. interpretor *meam in gratiam*, qui gratissimum mihi spectaculum praebere velim.

Abi foras, ut videas, uti explicat van Lennep in Animadv. ad h. vs. addens, sibi futurum *ducet* vs. seq. non incongruum videri. Nam est idem, ac si scripsisset. « Et, pompam scil. ducturus, curru jam conscenso, equos urguet. » Quare *ducit* spretum sit, inquit Heins., exputare non possum; pompam enim non *ducturus* erat Iason, sed jam ducebat. Ejusdem sententiae est Loers in d. spec. qui *abi* explicat *hunc mihi locum concede, ut spectare possim.* Qui est sermo ludentis et nihil mali his verbis suspicantis. Quam explicationem *vel; studio videndi* respondere sibi videri ait V. Doct.

152. *Adjunctos* currui nempe aureis vestibus indutus, equos premit, incitat, impellit. *Aureus* eodem modo explicuisse Ruhnk. et Loers vidi superioribus jam scriptis; Coll. Ep. XIII. vs. 57. et Am. L. I. El. 2. vs. 42.

153, 154. *Protinus.* Cf. vs. 71. sq. Ep. V.

155. *Ire.* V. not. ad vs. 13. Ep. I.

156. *Sertaque compositus* etc. V. not. ad vs. 10. Ep. VIII.

158. *Meus est, injiceremque manus.* V. Ep. VIII. vs. 16. ibiq. not. ad h. vs.

Laese pater, gaude: Colchi gaudete relicti.
Inferias, umbrae fratris, habete mei.
Deseror (amissis regno, patriaque, domoque)
Conjuge: qui nobis omnia solus erat.
Serpentes igitur potui, taurosque furentes,
Unum non potui perdomuisse virum?
Quaeque feros pepuli doctis medicatibus ignes,
Non valeo flammas effugere ipsa meas?
Ipsi me cantus, herbaeque, artesque, relinquunt?
Nil Dea, nil Hecates sacra potentis agunt?

159. *Laese pater, gaude* etc. Convertit jam Medea, inquit Hubert., sermonem ad eos, quos videtur laesisse, dicens, nunc factam esse eorum vindictam. Cf. vs. 109. h. Ep.

160. *Inferias* etc. Cf. vs. 113. sq. h. Ep. Inferiae, inquit Oud., pp. sunt sacra parentalia, quae offerebantur umbris et manibus mortuorum ad eos placandos, arisque inponebantur, ac constabant aqua, lacte, vino et sanguine. Kirchm. de Funer. L. III. c. 22. Cerda ad Virg. Georg. L. IV. vs. 545. Inproprie inferiae *vindictam* designant, quae datur aliquibus injuste vel crudeliter caesis, quia manes non credebantur posse quiescere, nisi placati vindicta, tanquam inferiis sibi oblatis. V. Ovid. Metam. L. XII. vs. 367. Just. L. XIV. c. 4.

161. *Deseror* (*amissis* etc. Cf. vs. 110. h. Ep. Eurip. Medea vs. 258. sq. Edit. Lenting.

162. *Conjuge*. V. ad vs. 75. Ep. V.

Omnia solus. Cf. Hom. Il. L. VI. vs. 411. sq. vs. 429. sq. Ovid. Ep. III. vs. 51. sq.

163. *Serpentes igitur*. Inest, meo quidem sensu, in conjunctione indignationis significatio. Cf. vs. 149. Ep. V.

164. *Unum*. Expresse addidit Poëta, ut obpositi *serpentibus* et *tauris* adjectivi vis melius sentiretur.

Perdomuisse pro *perdomare*, de qua temporum heterosi alibi dixi. Observa intensivum *per*.

165. *Docti medicatus* unde poëtica ratione dicantur ex supra dictis adparere mihi persuadeo. Cf. vs. 107. h. Ep. et Ep. XX. vs. 210. V. Broukh. ad Propert. L. II. El. 15. vs. 12.

166. *Flammas effugere*. Amoris ignes. De verbo vid. Broukh. ad Propert. L. I. El. 9. vs. 30.

167. *Ipsi me cantus* etc. Cf.

Non mihi grata dies. noctes vigilantur amarae:
Nec tener in misero pectore somnus adest.
Quae me non possum, potui sopire draconem.
Utilior cuivis, quam mihi, cura mea est.
Quos ego servavi, pellex amplectitur, artus:
Et nostri fructus illa laboris habet.
Forsitan et, stultae dum te jactare maritae
Quaeris, et injustis auribus apta loqui,
In faciem, moresque meos, nova crimina fingas:
Rideat, et vitiis laeta sit illa meis.
Rideat, et Tyrio jaceat sublimis in ostro:
Flebit; et ardores vincet adusta meos.

vs. 85. Ep. VI. vs. 97, 107. h. Ep.

168. *Nil Dea.* Cf. vs. 69. sq. h. Ep. et vs. 79. et not. ad h. vs.

Hecates. Cf. vs. 89 Ep. VI. et vs. 79. h. Ep. et not. ad h. vs.

Nil — agunt? Nihil efficiunt in meam gratiam sacra, ut tuum animum frangam.

169. *Noctes vigilantur amatae.* Neutrum verbum active usurpatur ex Graecorum more, de quo vid. Vechn. Hellenol. c. 7. *Noctes* metaphorice a gustu dicuntur *amarae*, sollicitudinis atque angoris plenae.

170. *Tener — somnus*, ut persona, *adest.* Est Homeri γλυκὺς ὕπνος. Cf. vs. 22. Ep. XI.

171. *Draconem.* Cf. vs. 101. h. Ep.

172. *Cura, Curatio, Curare* propria sunt verba Medicorum. V. Celsus de Medicina L. II. c. 10. Drakenb. ad Liv. L. II. c. 17. Ruhnk.

173, 174. *Quos ego* etc. Cf. vs. 59, 60. Ep. V. et vs. 75. Ep. VI.

175. *Forsitan* etc. Idem orationis color in Ep. I. vs. 75. not. ad h. vs.

Jactare. Gloriando et extollendo placere. Oud.

176. *Quaeris.* Cupis. Ovid. Trist. L. V. El. 4. vs. 7. Justin. L. II. c. 11. §. 13. Drakenb.

Injustis auribus apta. Uxoris auribus convenientia, utpote quae, cum injusta sit, vitia mea libenter audiet.

177. *Fingas.* Fingere pp. rei formam dare, qua antea carebat; hinc in crimine aliquid ponere, quod laudem potius meretur.

179. *Rideat.* Hoc concedentis est per indignationem, et subauditur *licet.* Hubert.

Tyrio jaceat sublimis in ostro. Alto toro mensae et epu-

Dum ferrum flammaeque aderunt, succusque veneni,
Hostis Medeae nullus inultus erit.
Quod si forte preces praecordia ferrea tangunt,
Nunc animis audi verba minora meis.
Tam tibi sum supplex, quam tu mihi saepe fuisti:
Nec moror ante tuos procubuisse pedes.
Si tibi sum vilis, communes respice natos.
Saeviet in partus dira noverca meos.
Et nimium similes tibi sunt; et imagine tangor:
Et, quoties video, lumina nostra madent.

lis adcubet ornata pictis purpureisque vestibus. *In ostro esse* dicitur, ut in *veste esse*, vestita. V. Tibull. L. I. El 9. vs. 70. Propert. L. II. El. 22. vs. 26. Oud.

180. *Flebit* etc. Cf. vs. 100. sq. Ep. V.

Vincet. Multo majores Crëusae fore ardores verbum innuit. Alterum qui vincit, majoribus viribus gaudeat necesse est. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

181. *Dum ferrum* etc. En ultionis ac vindictae instrumenta!

182. *Medeae.* V. not. ad vs. 84. Ep. I.

184. *Nunc animis audi* etc. Quia sum superba, et alto animo, licet humilibus verbis tibi subplicem. Significat adeo se esse, qualem Horatius praecipit. « Sit Medea ferox, invictaque." in Epist. *ad Pisones* vulgo inscripta vs. 123. de qua V. Hier. de Bosch. Diss. de Q. Horatii Flacci Epist. ad Pisones ad Instit. Reg. Scient. Lit. ac Bon. Art. Socios. Comment. Lat. tertiae Cl. Vol. I.

185. *Tam tibi sum supplex* etc. Cf. vs. 73. h. Ep.

186. *Nec moror — procubuisse*, per heterosin pro *procumbere*. De quo Vechn. Op. l. c. 14. Quin statim *procumbo*, ut subplices solent.

187. *Si — vilis.* Cf. vs. 41. Ep. III.

Communes respice natos, intellige *saltem*, *quaeso*. V. not. ad vs. 113. Ep. I.

188. *Saeviet in partus* etc. V. ad vs. 126. sq. Ep. VI.

Partus pp. pariendi nisus; hinc pro ipsis foetibus partu editis, filiis. Oud.

189. *Nimium similes.* Non modo notat simillimos, ut deinceps apud argentei aevi scriptores *nimis* et *nimium* tantummodo pro *valde*, *maxime* usurpatur, V. Burm. ad Lucan Pharsal: L. IV. vs. 696, sed innuit Medea, illos nimis Iasoni esse

Per superos oro, per avitae lumina flammae,
Per meritum, et natos, pignora nostra, duos:
Redde torum; pro quo tot res insana reliqui.
Adde fidem dictis: auxiliumque refer.
Non ego te imploro contra taurosque virosque:
Utque tua serpens victa quiescat ope.
Te peto, quem merui, quem nobis ipse dedisti:
Cum quo sum pariter facta parente parens.
Dos ubi sit, quaeris: campo numeravimus illo,
Qui tibi, lauro vellus, arandus erat.

similes, quia per illorum imaginem nimis cogebatur recordari sui erga Iasonem amoris, atque illorum nimis misereri et se deplorare. Oud.

191. *Per superos* etc. Hujus obtestandi formulae exempla in singulis literis obcurrunt.

Avitae lumina flammae. Cf. vs. 78. h. Ep. Argum. Ep. VI. §. 7.

192. *Per meritum.* V. ad Ep. VII. vs. 5.

Pignora nostra. Mutui amoris, Veneris, praemia, ut Heynius quidem explicat in not. ad vs. 33. Aen. L. IV. Cf. Ep. VI. vs. 130.

193. *Redde torum*, matrimonii jura, quae mihi ademisti, ut Crëusae contra jus ac fas concederes. V. Ep. XVI. vs. 84.

Pro quo etc. cum, ut ejus potirer amore, amans tot mihi cara reliquerim. Cf. vs. 10. sq. h. Ep.

194. *Auxiliumque refer.* Cf. vs. 93. sq. h. Ep. *Refer.* Vicissim fer.

195. *Non ego* etc. Dicit se praestitisse auxilium in majori re, quam ipsa petat. Hubert. Cf. vs. 73. sq. h. Ep. *Implorare.* Auxilium cum miseratione deposcere, ut ait Serv. ad Aen. L. X. vs. 19. Liv. L. XXIX. c. 9. ubi Interpr. Ruhnk.

196. *Victa quiescat.* Cf. vs. 107. h. Ep. et not. ad h. vs. Notandum est, inquit Hubert., posuisse Ovidium serpentem feminino genere, sicut et Juvenalis. « Et movisse caput visa est argentea serpens." Nam utriusque generis est.

197. *Quem merui, quem nobis ipse* (sponte) *dedisti.* Cf. vs. 82. sq. h. Ep.

198. *Cum quo* etc. Ex quo suscepi liberos. Hubert.

199. *Dos ubi sit, quaeris* Forte nunc tibi sum vilis, quod nullam adtulerim dotem: At vero, *campo numeravimus illo.* Cf. vs. 93. sq. h. Ep.

Aureus ille aries, villo spectabilis aureo,
Dos mea: quam, dicam si tibi, redde; neges.
Dos mea, tu sospes: dos est mea, Graja juventus.
I nunc, Sisyphias, improbe, confer opes.
Quod vivis; quod habes nuptam socerumque potentem:
Hoc ipsum, ingratus quod potes esse, meum est.
Quos equidem actutum! sed quid praedicere poenam
Attinet? ingentes parturit ira minas.

200. *Laturo.* V. ad vs. 4. Ep. X.

201 *Aureus ille* etc. Cf. vs. 40. Ep. VI. et not. ad h. vs.

202. *Quam, dicam si tibi, redde, neges.* Si quis enim uxorem dimiserat, dotem reddere lege tenebatur; nisi redderet, usuram menstruam novem obolos pendat, et tutori mulieris pro ea de victu ad Odeum detur actio. Petit. Comm. in Leg. Att. L. VI. Tit. 2. pag. 556. Et apud Romanos in divortio uxor, quae mariti in domum adtulerat, secum auferebat. V. Pitisc. Op. l. in v. *divortium.*

Neges. Eleganter pro, sine dubio negabis. V. Ep. III. vs. 112. Oud. Vid. Vechn. Hellenol. L. I. c. 14.

203. *Dos mea, tu sospes.* Tua salus, tua vita servata, ceterorumque juvenum Graecorum, qui in comitatu tuo fuerunt, dos mea habenda est.

204. *I nunc.* V. not. ad vs. 26. Ep. III.

Sisyphias. Crëon Crëusae pater, filius erat Licaëbi, qui successit Bellerophonti filio Glauci, filii Sisyphi, qui condidit Ephyren seu Corinthum. Oud. *Sisyphias*, inquit Hubert, contumeliose dixit, quoniam constat eum fuisse latronem, qui suis latrociniis maximas opes cumulavit, quarum heres fuit Creon.

Improbe confer, compara. Improbus cum adpelletur, qui in quacunque re modum superaverit *inprobum* hic intelligas *perfidum.*

205. *Nuptam socerumque potentem.* Crëusam Crëontemque, regem opibus potentem, divitem.

206. *Quod potes.* In legendo tonus in verbum cadere debet. Haec enim ingrati animi significandi facultas beneficium Medeae erat.

Meum est puta beneficium, opus. Meo enim beneficio vivis.

207. *Quos equidem actutum!* Te scilicet, Crëusam et Crëontem confestim digna poena adficiam. Figura subticentiae, Grammaticis et Rhetoribus à-

Quo feret ira, sequar, facti fortasse pigebit.
Et piget infido consuluisse viro.
Viderit ista Deus, qui nunc mea pectora versat.
Nescio quid certe mens mea majus agit.

κατάρτυσις dicitur quae in minis praesertim efficacissima est. Cf. Virg. Aen. L. I. vs. 135. Terent. Andr. Act. I. sc. 1. vs. 137. et Heyn. ac Ruhnk. ad utrumque l.

208. *Adtinet*, opus est, pertinet. Hubert.

Ingentes etc. Quas scil. jam dudum irato animo concepi, eas parere sive edere et effundere cogito per iram. V. Cic. Philip. II. in fine. Oud. *Parturire* metaphorice dicuntur, qui aliquid proferre conantur. V. Sil. Ital. L. IX. vs. 284. Drakenb. Qui rem, quam cogitant, tanquam maturam, mox in lucem prolaturi sunt. Cic. pro Murena c. 39. Ruhnk.

209. *Quo feret ira, sequar.* Hunc vs. laudavit I. Lenting, ad vs. 1075 Medeae Euripidis, quam edidit. *Feret* est impellet, aget.

Facti fortasse pigebit. Terret, inquit Hubert., ipsum Iasonem, dicens, se esse facturam id, cujus fortasse postea eam pigebit. Ex quo ostendit id futurum et *magnum* et *crudele*.

210. *Et piget* etc. Si pigebit facti, pigeat: quia etiam piget me consuluisse, i. e. profuisse et rem utilem fecisse. Hubert.

211. *Viderit ista Deus.* Cum furore enunciandum est, inquit Antonius. Deus prévideat, equidem non curo. Formula est, inquit Oud., qua declaramus, nos, omnibus neglectis, quae a praeposito nos abstrahere et revocare possint, decrevisse id exsecuturos esse atque eventum aliis Diisque permisisse. Oud. Cf. Ruhnk. in Dictat. ad Terent. Adelph. Act. III. sc. 3. vs. 83.

Qui nunc mea pectora versat, seu variis cogitationum aestibus agitat, et nunc in hanc, nunc in illam sententiam continuo impellit. V. Ovid. Amor. L. I. El. 2. vs. 8. et Burm. ad h. vs. Oud. Cort. ad Sallustii Jugurth. c. 14. §. 9. extr.

212. *Nescio quid* etc. Nunc? natim dicere, quid mens mea agat, moliatur, ira abrepta nequeo; at majoris certe momenti aliquid agitat, secum volvit. V. Suet. in Caes. c. 44. Liv. L. I. c. 56. ab Oud. cit.

Post hanc epistolam, inquit Oud., ficto dono seu pyxide novae nuptae, Creusae, missa, in qua inclusae erant magicae flammae, incendit totam

regiam, quo incendio Crëusa, ejusque pater perierunt; quo facto, filiisque in patris Iaso-nis conspectu interfectis, Dracone vecta Athenas ad Aegëum regem avolasse Medea fertur.

EPISTOLA XIII.

LAODAMIA PROTESILAO.

ARGUMENTUM.

§. 1. Trojani belli causam quo minus hic supra repetam, Epistolae primae, tertiae et quintae argumenta faciunt. Id tantum monere subficiat, omnis Graeciae classem in Aulidem, Euboeae insulae portum, convenisse, unde conjuncta in Troïdem tenderet. Agamemnonis vero ducis temeritas in causa fuit, quare id suo arbitrio Graeci nequirent.

§. 2. Venatum enim cum exiisset totius Graeciae dux, in cervam incidit Dianae sacram, quam praedae cupidine abreptus telis confodit, superbiusque in Dianam locutus est; quo facto ira in Agamemnonem adeo exarsit Diana, ut tempestatem excitaret, cujus vi in portu retineretur. Calchas

——————— οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,
Ὃς ἤδη τά τ' ἐοντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρὸ τ' ἔοντα,

consultus respondit, Dianam, nisi immolata Iphigenia, Agamemnonis filia, expiari non posse.

§. 3. Primo, quod jubebatur, exsequi recusavit pater. Effecit tamen Ulyssis eloquentia, ut sententiam Agamemnon mutaret, ac filiam, tanquam rem pulcram facturus, si natae vitam utilitati publicae postposuisset, in piaculum Dianae mactare paratus esset. Quam filiam ut matris Clytemnestrae amplexibus eriperet pater, Ulyssem cum Diomede misit, qui illam Achilli in matrimonium datum iri ementirentur. Mater, hac arte decepta, filiam legatis comitem dedit, quam in Aulidem perductam cum immolare Agamemnon vellet, Diana, virginis misericordia tacta, praesentibus Agamemnoni ceterisque caliginem objecit, qua dum premerentur, in Iphigeniae locum cer-

vam substituit, ipsamque per aëra in Tauricam Chersonesum delatam, templi, quod hac in regione habebat, fecit sacerdotem.

§. 4. Haec dum in Aulide fierent, Graeciae classis mora hujusque causa per famam in Thessaliam ad Laodamiam, Acasti ex Laodothea filiam, Protesilai ex Iphiclo, Phylaces in Thessalia rege, et matre Diomedea nati uxorem delata est; qui quidem Protesilaus, magni animi vir, cum ceteris Graecis Agamemnonis in Trojam tendentis signa sequebatur. Qui nuncius ubi ad Laodamiae aures pervenit, tantus, ne in hoc bello maritus periret, uxoris animum obcupavit metus, ut has, quas explicaturi sumus, literas ad illum scriberet, quibus, quam enixe posset, maritum a periculis temere subeundis dehortaretur.

§. 5. Variae autem erant causae, quae conjugis amantissimae uxoris animum anxium tenebant. Prima causa fuit ipsa haec in Aulidis portu retenta Graecorum classis. Omnibus enim cum tantum tribuerent Graeci, aliter fieri non poterat, quin Deae ira omnia mala ipsi portenderet, quae classi atque adeo quo conjugi inminerent. Altera erat oraculum vulgi sermonibus exagitatum, quod illum ex Graecorum exercitu morti addicebat, qui primus in terram Trojanam descendisset; qui ne Protesilaus esset, Laodamia, viri virtutis gnara, jure merito timebat.

Tertia, animi deliquium, quod, marito solvente, passa erat, quod quidem quid boni praesagiret feminae superstitionis, quam nos dicimus, anxietate pressae? quam augebat in somno ipsi adparens jam mortui conjugis imago.

Quarta Hectoris, fortissimi Trojani ducis eximia fortitudo. Nec vero hic solus sollicitudinem adferebat Laodamiae; noverat enim in Trojanorum exercitu plures esse Hectori fortitudine pares.

Quae quidem omina, suasque inde ortas curas ita ad maritum perscribit uxor, ut suum suavissimis verbis testetur amorem, qui, re amata privatus, omne omnino solatium repellat; Paridem, suarum miseriarum auctorem, diris devoveat, cum dubium ei non sit, quin Priamides ille, tale facinus ausus, satis ad se defendendum virium habeat.

Menelai dein causam, quare pugnet, cum Protesilai comparat, qui idoneam pericula subeundi rationem habere illi non videtur, cum conditionem suam Trojanis conjugibus multo deteriorem conqueratur.

§. 6. Rationibus itaque ex amore in Protesilaum petitis, illi persuadere adnititur, ut ne primus in terram descendat, in pugnando sui sit memor, atque inter belli tumultus ac pericu-

in meminerit, Laodamiam, nisi salvo marito, et ipsam salvam esse non posse. Quo facto vividissimis coloribus gaudium depingit, quo fructura sit, si quando incolumis ad se conjux redierit, atque in lecto securus ac tutus suas in bello praeclare gestas sit narraturus.

Media inter haec, quae fingit, gaudia, in memoriam redit malorum ominum, atque ejus animum invadit metus, ne omnis bona spes, qua sese laetat, evanida futura sit, quibus rebus permota Protesilaum per amorem, quo in eum fertur, orat atque obsecratur, ut, omni mora subtracta, quam citissime in conjugis desertae amplexus revertatur.

Mittit, et optat amans, quo mittitur, ire, salutem,
Aemonis Aemonio Laodamia viro.
Aulide te fama est vento retinente morari.
Ah! me cum fugeres, hic ubi ventus erat?
Tum freta debuerant vestris obsistere remis.
Illud erat saevis utile tempus aquis.

Vs. 1. *Mittit — salutem.* Ordo verborum haec est, inquit Burm. « Amans Aemonis Laodamia mittit salutem viro Aemonio, et optat eo ire, quo mittitur salus, h. e. epistola. » Cf. not. ad vs. 1. Ep. IV. van Lennep in Animadv.

Antonius observat, hoc principium a benevolentia sumtum esse, quoniam nulla moveretur indignatione. Benevolentiam vero illam, ad suum amorem refert atque ad eamdem patriam Aemoniam sive Thessaliam ab Aemone rege ita dictam.

3. *Aulide* etc. V. Argum. §. 2.

4. *Ah!* Mariti desiderium moleste ferentis est, ex quo animi adfectu repetendum est verbum *fugere*. Proprie enim *fugam* non capessiverat Protesilaus, in Trojanam bellum profecturus.

Hic ubi ventus erat? Per interrogationem (de qua vid. Longinum Op. k.) quaeritur, istum ventum, eo, quo abiret, tempore non contrarium fuisse sed secundum; quod simul meriti amorem arguebat.

6. *Saevis — aquis.* Cf. vs. 73. Ep. VII. et not. ad h. va.

Utile autem *tempus* idem fere sonat, quod *aptum*, *commodum*, nisi quod utilitatis notionem habet, ad Laodamiam inde redundaturae, cujus vs. seq. mentionem ipsa facit.

Oscula plura viro, mandataque plura dedissem:
Et sunt quae volui dicere plura tibi.
Raptus es hinc praeceps: at, qui tua vela vocaret,
Quem cuperent nautae, non ego, ventus erat.
Ventus erat navibus aptus, non aptus amanti.
Solvor ab amplexu, Protesilaë, tuo:
Linguaque mandantis verba imperfecta relinquit.
Vix illud potuit dicere triste Vale.
Incubuit Boreas, arreptaque vela tetendit:
Jamque meus longe Protesilaus erat.

7. *Mandata — dedissem.* *Mandata dari* dicuntur peregre proficiscentibus, erantque ultima ferme verba, quae proficiscentibus dicebantur. Drakenb.

8. *Quae volui dicere.* Formula est, qua uti licet, quoties, quod dicendum erat, memoria excidit. V. Terent. Andr. Act. V. sc. 1. extr. ibiq. Donatus.

Sunt, quae. V. Vechn. Hellen. l. II. c. 20.

9. *Raptus es.* Celeritatem notat, quo referri debet vs. 4. h. Ep. verbum *fugere*; uti et h. vs. *praeceps* individuo, ut ita dicam, temporis puncto.

Qui tua vela vocaret — ventus. Eleganter, res inanimatae vocare dicuntur, cum tempus rebus gerendis idoneum adsit. V. Burm. ad Val. Flac. L. III. vs. 341. Silius Ital. L. X. vs. 112. Virg. Ecl. I. vs. 49. Ovid. Ep. VII. vs. 1. Drakenb. V. ad vs. 55. Ep. VII.

10. *Quem.* V. not. ad vs. 168. Ep. VII. vs. 31. Ep. XII. Qualem ventum.

11, 12. *Ventus* etc. Hi duo versus ob proxime praecedentia mihi certe frigent.

13. *Solvor.* Solvit amplexum, qui aliquem dimittit, quod Ovid. Metam. L. XI. vs. 246. *solvere brachia a corpore* dixit. Emphatice verbum *passivi* ponitur, ut indicet Laodamia se non sponte dimisisse maritum, sed ex manibus suis ereptum esse. Drakenb.

13. *Mandantis — imperfecta.* Cf. not. ad vs. 7. h. Ep.

14. *Vix* etc. Cf. vs. 52. Ep. V. not. ad vs. 56. Ep. X.

15. *Incubuit.* Corpus totum quasi in mari posuit, totis viribus flare coepit. Cf. Horat. L. I. Od. 3. vs. 31. et Mitscherlich ad h. vs. Burm. ad Valer. Flac. L. I. vs. 684.

Boreas. Pro quolibet vento, inquit Ciofanus, propitio euntibus e Graecia in Phry-

Dum potui spectare virum, spectare juvabat:
Sumque tuos oculos usque secuta meis.
Ut te non poteram, poteram tua vela videre:
Vela diu vultus detinuere meos.
At, postquam nec te, nec vela fugacia vidi,
Et quod spectarem, nil, nisi pontus, erat;

giam. Alioqui boreas contrarius est. Male omnino. V. van Lennep ad h. vs.

Synecdochen vero, si Boreas revera adversus ventus fuisset, non admittam, quam superstitiosa veterum admiratione abrepti Grammatici effinxerunt, ut ea, tanquam emplastro corporis vitium chirurgi, antiquorum scriptorum errores tegerent. Tantum itaque abest, ut orationis lumen habeam, ut sermonis potius tenebras ducam, adeoque Ovidium, si falsus fuisset, errasse fatear. Cf. quae de tropis et figuris scripsi in disputatione „de optima in scholis, Latinis dictis, docendi methodo" quae argento ornata est ab Hollanda Doctrinarum societate, quae Harlemi est. pag. 151. Vol. III. Tom. I.

Arreptaque vela tetendit. Impetuosam venti vim nobis quasi ob oculos ponit Poëta cum Boream describat vela et adripientem et statim omnino explicantem. Cf. vs. 30. Ep. X. Quae causa est, quare, ut in seq. vs. canit Poëta, *jam*, (mox, subito) *meus longe* (procul) *Protesilāus erat.* De pronominis *meus* vi vid. not. ad vs. 1. Ep. I.

17, 18. *Dum potui* etc. Cf. vs. 55. Ep. V.

18. *Usque* temporis continuationem notare docet Tursell. Op. l. in v.

19. *Poteram tua vela videre.* Quod adcidere in litore stanti et navem abeuntem oculis prosequenti solet, unde rotunda fere orbis efficitur forma.

20. *Detinuere.* Intendit praepositio vim verbi, ut sit, *valde tenere*, dum possumus, alio oculos non deflectere. Cf. not. ad. vs. 56. Ep. V. Brouk. ad Tibull. L. I. El. 1. vs. 40. interpretatur *solito longius tenere.*

21. *Fugacia. Fugax* plus est quam *fugiens.* Nam *fugiens* est, qui fugit, (infugam se conjicit) *fugax*, qui non desistit fugere, qui semper fugit. Similem observa differentiam inter *vivens* et *vivax.* V. Ep. XI. vs. 43. Drakenb. Cf. vs. 4 et 9. h. Ep.

Lux quoque tecum abiit; tenebris exsanguis obortis
Succiduo dicor procubuisse genu.
Vix socer Iphiclus, vix me grandaevus Acastus,
Vix mater gelida moesta refecit aqua.
Officium fecere pium, sed inutile nobis.
Indignor miserae non licuisse mori.
Ut rediit animus, pariter redière dolores:
Pectora legitimus casta momordit amor.

23. *Lux abiit.* Scil. ex oculis meis. Hubert.

Tenebris exortis. Celeriter et praeter expectationem mihi factis atque offusis, ut fit iis, qui animo deficiunt et linquuntur. V. Ovid. A. A. L. II. vs. 88. Metam. L. II. vs. 81. Trist. L. I. El. 3. vs. 91. *Obortae* lacrimae, quae *cito* profluunt. Oud.

24. *Succiduo — genu.* Inclinato, et flexo. A *sub* et *cado* venit *succiduus*, antepenultima brevi; cum vero longa est a *sub* et *caedo*, unde dicitur *arbor succidua* quasi *sub caedua*. Hubert.

Dicor. Eleganter ex aliorum narratione hoc amanti perscribit; ipsa enim deliquium animi passa erat. Cf. van Schelle Michal aan David pag. 11. media.

25. *Iphiclus — Acastus.* V. Argum. §. 4. et van Lennep in Animadv.

26. *Vix — refecit.* Maximo cum labore me mihi ac vitae reddidit. Van Stayeren in Nep. Agesilaum c. 7. ad v. *se nunquam refecerunt* haec commentatus est. „Translatum ab iis, qui a deliquio aut gravi morbo se recolligunt" h. vs. laud.

27. *Pium.* V. not. ad vs. 89. Ep. I.

28. *Indignor.* Irascor, doleo, indignum et non ferendum puto. Cf. Ep. III. vs. 99. et Ep. XVI. vs. 371. Drakenb.

29. *Ut rediit* etc. Presso quasi pede naturam hic secutus est Poëta. Vid. honestissima Cottin, in opere, cui titulus, Mathilda, ex Gallico sermone in Belgicum verso Vol. II. c. 33. pag. 248. Ovidium ultimam vocis *rediit* syllabam producere plerumque solere notat Drakenb. ad h. vs. Cf. vs. 31. Ep. VI.

30. *Legitimus casta.* Adjectiva causam in se habent *mordendi*. Cum *mordere*, inquit Oud., proprie sit dentibus laedentis, transfertur ad omne, quidquid acerrime non modo corpus, sed et animum tangit, urit et dolore afficit. Cf. dictata D. Ruhnk. ad Terent. Eunuch. Act. III. sc. 1. vs. 21. Ovid. Ep. XIX. vs. 114.

Nec mihi pectendos cura est praebere capillos:
Nec libet aurata corpora veste tegi.
Ut quas pampinea tetigisse Bicorniger hasta
Creditur: huc illuc, quo furor egit, eo.
Conveniunt matres Phylaceïdes, et mihi clamant:
Indue regales, Laodamia, sinus.
Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes:
Bella sub Iliacis moenibus ille gerat?

31. *Nec mihi — praebere capillos.* Quam curam, qui vere dolet; respuit. Laodamia autem a Poëta dicitur *praebere capillos pectendos*, quia, ut ait Drakenb., veteres habebant servas, quibus cura pectendi capillos erat commissa, quae *ornatrices* inde dictae sunt. V. Ovid. Am. L. I. El. 14. vs. 16. et A. A. L. III. vs. 239. Pignorius de Servis pag. 390. C. A. Böttiger. Sabina.

32. *Nec libet* etc. V. Ovid. A. A. L. III. vs. 137. sq.

33. *Ut quas* etc. V. Ovid. Ep. XV. vs. 24. Ep. IV. vs. 47. et not. ad h. vs. Ep. X. vs. 48. not. ibiq. Broukh. ad Tibull. L. II. El. 1. vs. 3.

Pampinea. Ovid. Metam. L. III. vs. 666. de Baccho.

Ipse, racemiferis frontem circumdatus uvis,
Pampineis agitat velatam frondibus hastam.

Cf. Val. Flacc. L. II. vs. 269.

34. *Huc illuc* etc. Cf. Ep. X. vs. 19.

35. *Matres.* Matronae vel nuptae, etsi non peperérint. Ovid. ad Ovid. Ep. VIII. vs. 66. qui citat Heins. ad h. vs, ubi plura loca invenias, in quibus vox *Matres* obcurrit.

Phylaceïdes. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs. Jahn in Disputatione de Nasonis et Sabini Epistolis pag. 43.

Clamant. Unde animi adfectum intelligas.

36. *Regales — sinus.* Vestes regias. Vid. Ep. V. vs. 71. Drakenb.

37. *Scilicet.* Videlicet, profecto. *Indignationem* magis, quam *ironiam*, haec particula, hoc quidem loco, ostendere mihi quidem videtur, Drakenborchio secus. *Ipsa* emphatice opponitur τῷ *ille* in vs. seq.

Saturatas. Ut illa, quae colore aliquo inficiuntur, dicuntur bibere colorem, ita saturata vocantur, quae colore illo plane tincta sunt, ita ut magis tingi nequeant; praesertim autem haec vox usurpatur de purpura. Ovid. Metam. L. XI. vs. 166 Martial. L. VIII. Epigr. 48. Drakenb. De tinctoriae artis origine Vid. Goguet Op. l.

Ipsa comas pectar: galea caput ille prematur?
Ipsa novas vestes: dura vir arma ferat?
Qua possum, squalore tuos imitata labores
Dicar: et haec belli tempora tristis agam.
Dux Pari Priamide, damno formose tuorum,
Tam sis hostis iners, quam malus hospes eras.
Aut te Taenariae faciem culpasse maritae,
Aut illi vellem displicuisse tuam.
Tu, qui pro rapta nimium, Menelaë, laboras,
Hei mihi, quam multis flebilis ultor eris!

tom. I. L. 2. art. 1.

38. *Bella.* Repetita praelia subeat periculi plenissima, quippe *sub moenibus*, ad inferiorem moenium partem.

41. *Qua possum.* Cf. vs. 56. Ep. V.

Squalore. Cultu sordido et neglecto. Ut in luctu tristes, in judicio rei, vestiti esse apud Graecos solebant.

42. *Tristis agam* sive peragam omne illud tempus, per quod abes, ut omnibus palam faciam, quanto te amore prosequar. Nulla enim, amata re absente, amanti queunt esse gaudia, praesertim ubi adsiduis eam laboribus et periculis quotidie expositam noverit. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs. Cf. Ep. X. vs 58.

43. *Dux Pari* non *Dyspari.* V. van Lennep ad h. vs.

Non solet Ovidius, inquit Oud. ad h. vs., hibridam agere et latinis Graeca miscere contentus Graecis terminationibus, ut omnes boni poëtae. *Duces* autem saepe vocantur *heroës* et *reges bellicosi* atque exercituum *veri duces.* Testes hujus rei a Burmanno citantur Valer. Flacc. L. I. vs. 101. Stat. L. X. carm. 356. Barth. ad Stat. L. II. Theb. vs. 202 et 687. Ovid. L. III. Art. vs. 119. Phaedr. L. II. fab. 5. vs. 23.

Damno formose. Cujus forma in *damnum*, perniciem tuorum, Helenae ita placuit, ut tecum Trojam aufugeret, bellique, quo Trojani perierunt, causa existeret.

44. *Tam sis — iners.* Utinam tam sis inbellis, quam malus, perfidus hospes eras apud Menelaum, cui fidem non servasti. V. not. ad vs. 73. Ep. VIII.

45. *Taenariae.* V. not. ad vs. 72. Ep. VIII.

Culpasse. Culpam, vitium in Helenae facie observasse, quo minus tibi placeret.

47. *Nimium — laboras* sive sollicitus es, et enixe omnia agis, et contendis nimium. Oud.

Di, precor, a nobis omen removete sinistrum:
Et sua det reduci vir meus arma Jovi.
Sed timeo: quotiesque subit miserabile bellum,
More nivis, lacrimae, sole madentis, eunt.
Ilion et Tenedos, Simoïsque, et Xanthus, et Ide,
Nomina sunt ipso pene timenda sono.
Nec rapere ausurus, nisi se defendere posset,
Hospes erat: vires noverat ille suas.
Venerat (ut fama est) multo spectabilis auro,
Quique suo Phrygias corpore ferret opes.

48. *Multis flebilis ultor eris. Flebilis* est, *qui fletur.* Alias *flentem* notat. V. Burm. ad Ovid. Am. L. III. El. 6. vs. 68.

49. *Omen removete.* Averruncate malum omen, quod addit Laodamia, quia dixerat, Menelaum multis flebilem fore ultorem. V. not. ad vs. 65. Ep. VII. Oud. Cf. J. C. Bulengerus de Ominibus L. III. c. 1. pag. 449. Graev. Thes. Antiq. Rom. tom. 5.

Sinistrum. V. not. ad vs. 115. Ep. II.

50. *Sua det — arma Jovi.* Solebant milites, inquit Burm., confecto bello, quae gesserant arma ad Deos suspendere. Ovid. L. IV. Trist. El. VIII. vs. 21. Lucan. L. I. vs. 240. Sil. Ital. L. X. vs. 600.

Reduci. Redux Jupiter dicitur pro *reducente* ut *fortuna redux;* nec haec per hypallagen explicari debent. Ita Sabinus Ep. I. vs. 78. huc alludit. Burm.

51. *Sed timeo.* V. §. 5. Argum. h. Ep.

Subit. Animo scil. In mentem venit. Usitatius est, *subit me*, vel *animum meum.* Burm. ad Ep. XVIII. vs. 62. Ruhnk.

52. *More nivis — eunt.* Priora verba lacrimarum copiam poëtis solita comparatione indicant; posterius verbum communem omnibus parum excultis hominibus morem repraesentat, quo rebus anima carentibus et vitam tribuunt et actionem. Vid. J. F. L. Schröder. Orat. laud. pag. 25.

55. *Nec rapere ausurus* etc. V. Argum. h. Ep. §. 5. ad fin.

57. *Spectabilis.* Qui spectari *potest* Ovid. Trist. L. III. El. 8. vs. 35. Ponitur et pro eo, qui *dignus* est, ut spectetur, quo sensu h. l. accipienda vox est. Drakenb.

58. *Quique suo Phrygias* etc. Quia, inquit Hubert., qui vidisset eum ita ornatum, po-

Classe virisque potens, per quae fera bella geruntur?
Et sequitur regni pars quotaquaeque sui?
His ego te victam, consors Ledaea gemellis,
Suspicor: haec Danaïs posse nocere puto.

tuisset judicare, quam dives esset Phrygia.

59. *Per quae.* Ita placuit Ovidio magis, quam *per quos*, quia per genus neutrum plus dixit; eo enim Latini solent *universum quid* exprimere post quaecunque genera. Vid. Vossius de Construct. c. 4. Cort. ad Sallust. Jugurth. c. 14. nº. 16. Drakenb. ad Liv. L. I. c. 53. §. 11. Alii. Oud.

60. *Pars quotaquaeque sui?* Per interrogationem haec legenda esse et Burm. censet, et Hubert. *quotaquaeque* explicat *minima*. At Oudendorpius, adsentiente Ruhnk, exponit *quotquot sunt*, *omnes cives sui*, in testimonium adhibens Ovid. l. ex L. III. Art. Am. vs. 103. Non autem, inquit, eo sensu hoc exprimendum est per interrogationem; tunc enim *quotusquisque* significat *paucos* vel *neminem*. Van Lennep V. Cl. Burmanni sententiam probat, quae et mihi verior videtur. Dixerat enim vs. praeced. *viris potentem*, qui quamvis permultos tamen *paucos* secum duxerat, ratione habita maximae civium multitudinis, quam domi reliquerat.

61. *Victam.* In amorem pellectam interpretatur Drakenb. Amore captam Hubert. Permotam et ad sequendum Paridem adductam Oud. Nec, meo quidem sensu, veram verbi vim aperiunt.

Vincere enim, cum sit pp. armorum vi, et majori robore resistentem et nolentem ad sui obedientiam et obsequium cogere; Helenam adeo Laodamia mihi depingit, cum primum Paridis pulcritudine movebatur, hujus inlecebris repugnantem et fidem marito Menelao datam servare conantem. Quod honestum consilium, quo minus exsequeretur, maxima, qua Paris conspicuus erat, effecit pulcritudinis vis, cui par esse imbellis, sine viribus uxor nequibat.

Consors Ledaea gemellis. Soror geminorum, Castoris et Pollucis, uno partu ex Leda editorum. Cf. Ovid. Ep. III. vs. 47.

62. *Suspicor.* Quid Helenam perpulisset certo non sciebat Laodamia, et suspicabatur; quae quidem suspicio ipsum Laodamiae animum eleganter nobis declarat.

Haec. Divitiae, potentia, pulcritudo, quae maximam in feminarum animum vim exercere solent.

Hectora nescio quem timeo. Paris Hectori dixit:
Ferrea sanguinea bella movere manu.
Hectora, quisquis is est, si sum tibi cara, caveto.
Signatum memori pectore nomen habe.
Hunc ubi vitaris, alios vitare memento;
Et multos illic Hectoras esse puta:
Et facito dicas, quoties pugnare parabis,
Parcere me jussit Laodamia sibi.

63. *Hectora nescio quem.* V. not. ad vs. 117. Ep. V. et §. 5. Argum. h. Ep.

Paris Hectori etc. Probatio; inquit Hubert., fortitudinis Hectoris testimonio Paridis.

64. *Ferrea. Ferreus*, ut ait Drakenb., non modo ponitur pro *durus*, quia ferrum duritie omnia vincit: verum etiam, quia ferro omnia contunduntur et franguntur; hic *ferreus* ponitur pro *fortis*, *cui resisti non potest*, *qui non potest superari*.

Sanguinea. Adjectivum hic, ut saepius, picturae, manum sanguine aspersam exhibentis, colorem refert.

Bella movere. Non tantum belli initium, sed et ejusdem tumultus indicat repetitos, quo fiebat, ut experientia et usu magis etiam valeret Hectoris virtus.

65. *Si* in rogando obtestandoque usurpari docet Tursell. Op. l. in v.

66. *Signatum.* Signatorio quasi annulo impressum, ne nomen excidat. *Signatum — habe.* Idem, inquit Drabenb., quod signa, cit. Cic. loc. ex lib. de Senect. c. 19. et de Amic. c. 15. Nec tamen Viri Cl. auctoritate adducar, ut credam *signatum habe* et *signa* eandem parere sententiam. Nullane est participiorum perfecti Imperativo additi significatio, neque ulla vi gaudet verbum *habe*, nisi imperante? Mihi quidem *signatum habe* haec significant. Fac, ut Hectoris nomen, quod *jam* pectori tuo quasi signo *infixi*, et nunc et dein memineas; ne elabi sinas, ut ita eum semper caveas.

68. *Hectoras.* V. not. ad vs. 84. Ep. I.

69. *Facito dicas.* Miror equidem, et Drabenb. ad h. vs. et Ruhnk. in Dict. ad Terent. Eun. Act. III. sc. 2. vs. 48. scripsisse, eleganti periphrasi dici *Facito dicas* pro *die. Facito cures* pro *cura*. Ubi, quaeso, haec elegantia cernitur? An in *facito* ex superabundanti praeposito? Per periphrasin scriptum ajunt. Quo valet Periphrasis? Nullum equidem in ea dispicio vim atque efficaci-

Si cadere Argolico fas est sub milite Trojam,
Te quoque non ullum vulnus habente, cadat.
Pugnet, et adversos tendat Menelaus in hostes:
Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi.
Irruat: et causa quem vincit, vincat et armis.
Hostibus e mediis nupta petenda viro est.
Causa tua est dispar. tu tantum vivere pugna,
Inque pios dominae posse redire sinus.

tatem. Delirasse igitur dicendus Ovidius, qui *facito*, nulla verbo significatione subjecta, praemiserit? Immo vero praecipuam, meo quidem sensu, in Imperativo vim posuit, ut Laodamia amoris in Protesilaum fervore abrepta *juberet*, ut *faceret* i. e. *ne negligeret, ut semper meminerit, quo posset modo, curaret*, ut diceret, quoties etc.

70. *Jussit.* Cf. ad vs. praec. modo a me notata.

71. *Cadere.* V. not. ad vs. 3. Ep. I.

Argolico. V. not ad vs. 25. Ep. I.

Fas est. Fata, divinae leges sinunt, Trojam cadere *sub milite. Sub*, inquit Drakenb., *instrumentum* notat, laud. ad h. vs. Burm. ad Ovid. Metam. L. V. vs. 62. Et hic a Viro Cl. dissentire mihi liceat. Praepositionum enim significationes temere augere, ubi nulla cogit necessitas, nefas duco. Mihi itaque *sub milite cadere Trojam* notat, urbem sub pedibus militum, moenia ac tecta destruentium, cadere. Cf. Ovid. Metam. L. I. vs. 260.

72. *Cadat.* Est optandi verbum. Ciofan. V. ad Sanct. Minerv. L. I. c. 13. nº. 1. Perizon.

73. *Pugnet* etc. V. Argum. h. Ep. §. 5.

75. *Irruat.* V. not. ad vs. 79 Ep. XI. *Causa quem vincit.* Qui habet causam meliorem, justiorem. *Causa* id. qd. *lis*, sive id, de quo disputatur. Cf. vs 76. Ep. XVI. Drakenb.

76. *Hostibus* etc. Cf. Ovid. Ep. VIII. vs. 17. sq.

77. *Pugna.* V. not. ad vs. 25. Ep. III.

78. *Inque pios dominae — sinus.* Poëtarum more saepius jam observato pro *piae* i. e. tui amantis dominae sinus. Hinc, inquit Oud., discimus, tempore Augusti *dominas* vocatas esse non modo *amicas* ab amatoribus, sed et *uxores* a viris per blanditias, uti et *dominos* maritos; quod deinceps fuit usurpatum. Sic Ovid. Remed. Am. vs. 663. conl. vs. 666. De voce *dominus* agit Munck. ad

Parcite, Dardanidae, de tot (precor) hostibus uni;
Ne meus ex illo corpore sanguis eat.
Non est, quem deceat nudo concurrere ferro,
Saevaque in oppositos pectora ferre viros.
Fortius ille potest multo, cum pugnat amore.
Bella gerant alii: Protesilaus amet.
Nunc fateor; volui revocare, animusque ferebat:
Substitit auspicii lingua timore mali.
Cum foribus velles ad Trojam exire paternis,
Pes tuus offenso limine signa dedit.

Fulgentii Mythol. pag. 2. et Auct. ab illo cit.

79. (*Precor*) Hoc verbum passim cum Imperativo pro *quaeso* tanquam in parenthesi utuntur poëtae et saepius Ovidius Ond. vi g. Ep. XVIII. vs. 45. Ep. XX. vs. 117.

80. *Ne meus* etc. Quia illum vulnerando, Trojani, me maxime laedetis, mihique gravissimum vulnus infligetis, atque in ejus corpore ego peribo. V. Ovid. Fast. L. III. vs. 231. Metam. L. II. vs. 362. Trist. L. I. El. 2. vs. 44. Ond.

Eat. Poëtarum more, de quo dixi saepius. Cf. vs. 146. Ep. II.

81. *Non est, quem deceat* i. e. non is est quem deceat. Graeco more. De particularum periphrasi vid. Vechn. Hellenol. L. II. c. 10.

Concurrere. Vulgo pro *pugnare* ponitur, quamvis pp. significet *praelium auspicari*, quod cursu fere fieri solebat, ut telorum jactum anteverterent.

83. *Fortius ille* i. e. Protesilaus —, *cum pugnat amore.* Multo fortius ille potest scil. pugnare, in negotio amoris ac Veneris certare, et, uter nostrum vehementius amet, acrius certare. Ond. *Ille*, inquit Drakenb., referendum est ad Protesilaum, ut innuat Laodamia, eum non tam in bello contra hostem, quam in amore ad amicam expugnandam fortem esse, et ita *cum* ponitur pro *quando*.

85. *Nunc fateor.* Quod antea dicere non sum ausa. Hubert.

Volui revocare, ne ires ad bellum Trojanum. Hubert.

Animusque ferebat. Voluntas mea me ad id impellebat. *Ferre* pro *aliquo impellere* etiam usus est Ovid. Ep. XII. vs. 209.

86. *Substitit — lingua* etc. Haesit, retenta est. Tacui. Ond. Destitit. Drakenb. cit. vs. 8. Ep. IV. et Hubert. qui addidit, cessavit timore mali auspicii i. e.

Ut vidi, ut gemui; tacitoque in pectore dixi:
Signa reversuri sint, precor, ista viri.
Haec tibi nunc refero, ne sis animosus in armis:
Fac meus in ventos hic timor omnis eat.
Sors quoque nescio quem fato designat iniquo,
Qui primus Danaum Troada tangat humum.
Infelix, quae prima virum lugebit ademtum!
Di faciant, ne tu strenuus esse velis!

. . . . . .

metu, ne darem tibi malum auspicium, et augurium revocando: quod solet vulgo credi.

87. *Paternis.* Ergo, inquit Drakenb., vivebat adhuc Iphiclus Protesilai pater, cum filius ad expeditionem Trojanam proficisceretur, quod maxime constat ex vs. 25. Adversatur tamen, quod Iphiclus tempore expeditionis Argonautarum jam ejus aetatis fuerit, ut omnium operum nauticorum immunis habitus sit, teste Valer. Flacco L. I. vs. 474. Cum autem demum diu post expeditionem Argonautarum gestum sit bellum Trojanum, vix verum esse potest, Iphiclum tum adhuc superfuisse. Verum recte observat Burm. in Catal. Argon. ex Iphiclo altero hunc Iphiclum Thestii filium, qui ambo fuerunt inter Argonautas, a Valerio Flacco confusos fuisse.

88. *Per tuas* etc. Vid. J. C. Rulengerus de Prodigiis L. IV. c. 13. pag. 473. Thes. Ant. Rom. Graev. tom. 5.

89. *Ut vidi, ut gemui.* V. not. ad vs. 33. Ep. XII. Ut omnes Codd. ita Trev. exhibent *ingemui.* Vid. Loers ad h. vs. Ep. XVI. vs. 253.

90. *Signa reversuri* etc. Auguria utinam sint, quod maritus reverti possit a bello Trojano. Hubert.

91. *Animosus.* Ad Ep. VIII. vs. 3. vidimus, inquit Drakenb., *animosus* malo sensu poni pro *superbus*; hic contra poniter bono sensu pro *strenuus*, *fortis*. Ut Horat. L. I. Od. 19. vs. 11. et L. II. Od. 10. vs. 21.

92. *Fac — eat.* V. not. ad vs. 69. h. Ep.

In ventos. V. not. ad vs. 79. Ep. I.

93. *Sors.* V. Argum. §. 5. Drakenb. ad h. vs. laudat Liv. L. II. c. 15. L. VIII. c. 24. Graev. ad Justin. L. XII. c. 2. §. 4.

Fato — iniquo, saevae morti.

94. *Qui primus* etc. V. Argum. §. 5.

95. *Ademtum.* Occisum, mortuum. Drakenb. ad Liv. L. III. c. 50. n°. 6.

96. *Di faciant.* V. not. ad vs. 66. Ep. II.

Inter mille rates tua sit millesima puppis,
Jamque fatigatas ultima verset aquas.
Hoc quoque praemoneo: de nave novissimus exi.
Non est, quo properes, terra paterna tibi.
Cum venies, remoque move veloque carinam:
Inque tuo celerem litore siste gradum.
Sive latet Phoebus, seu terris altior exstat:
Tu mihi luce dolor, tu mihi nocte, venis.
Nocte tamen, quam luce, magis. nox grata puellis,
Quarum suppositus colla lacertus habet.

Velis. Firmum arguit animi consilium. Cf. Ep. I. vs. 80.

97. *Inter mille.* V. not. ad vs. 23. Ep. VIII.

Puppis, quae scil. litori adverratur, quod in adpellenda nave fieri soleat.

98. *Jamque fatigatas* etc. Locutio est poëtica; fingunt enim poëtae, loca, quae *saepius exercentur*, fatigari. Ita silvae saepe fatigantur venatu, in quibus *frequenter* venatio *exercetur*. Aqua hic fatigatur, per quam *frequenter navigatur*. V. Burm. ad Val. Flacc. L. IV. vs. 20. L. V. vs. 142.

Versare autem *aquas* dicitur navis, quae impellitur remis; aqua enim remis quasi vertitur, et ex parte inferiori in superiorem attrahitur. Locutio iterum est poëtica. Ita Val. Flacc. L. I. vs. 450. et L. III. vs. 473. Drakenb.

99. *Novissimus.* Cf. Ep. IX. vs. 67.

100. *Non est — terra paterna tibi.* Tum vero multae, eaeque gravissimae causae essent, quae te inpellerent, ut primus in terram desilires, patria scil., parentes, Laodamia.

101. *Venies.* Redibis. Cf. Ep. V. vs. 57. Oud.

Remo — veloque. Quin potius citissime naviga, adhibens utrumque armamentorum genus, velificium et remigium; quibus simul instructae erant naves veterum; inde passim, *remis velisque* in proverbium dicitur de actione, quae fit omnibus adhibitis viribus ac velocitate. V. Erasmi Proverb. in *velis remisque*. Dukerus ad Flor. L. II. c. 2 §. 18. Oud. Sil. Ital. L. I. vs. 568.

102. *Celerem* pro *celeriter*. Cf. Ovid. Ep. I. vs. 8 Drakenb. Si huc usque celeriter recurreris, inhibe iter ulterius et hic remane. Oud. Alioquin *sistere* notat cursum alterius inhibere. Ovid. Ep. VI. vs. 87. Id.

104. *Tu mihi luce dolor* i. e. causa doloris, uti in vs. 111. Ep. XI. Drakenb.

Aucupor in lecto mendaces caelibe somnos.
Dum careo veris, gaudia falsa juvant.
Sed tua cur nobis pallens occurrit imago?
Cur venit a verbis multa querela tuis? 110
Excutior somno, simulacraque noctis adoro.
Nulla caret fumo Thessalis ara meo.
Tura damus, lacrimamque super; qua sparsa relucet,
Ut solet adfuso surgere flamma mero.

105. *Puellis.* Cf. vs. 3. Ep. I. et ad h. vs. not.

106. *Quarum* etc. Quae dormiunt in amplexu mariti, sive quarum colla mariti lacertos subpositos habent.

107. *Aucupor.* V. not. ad vs. 43. Ep. IX.

Mendaces. Somniabat enim, maritum, qui aberat, sibi adesse. Drakenb.

Caelibe. Cf. vs. 9. et 10. Ep. I. et vs. 14. Ep. X.

108. *Gaudia.* Cf. vs. 112. Ep. III.

109. *Sed — pallens.* V. Argum. §. 5.

110. *Venit a verbis — querela* Loquens quereris. *Querela venire* dicitur ab Ovid. Ep. II. vs. 8. Drakenb.

111. *Excutior somno.* Vi ac terrore expergefio penitus et subito. Cf. Ovid. Metam. L. IX. vs. 694. Fast. L. I. vs. 547. L. IV. vs. 556. Alio modo adhibetur in Ep. X. vs. 13. Oud.

Simulacraque noctis adoro. Somnia, quorum causa faciebat sacra expiatoria. Oud. Vid. not. ad vs. 39. Ep. IX. et Broukh. ad vs. 89. Ep. II. L. II.

112. *Nulla caret fumo.* Cf. vs. 25. Ep. I.

113. *Lacrimam.* Numerum singularem pro plurali adhibuit Ovid. more poëtis usitato. Virg. Georg. L. IV. vs. 166. Horat. L. II. Od. 6. vs. 22. (ad quem vs. vid. Doering.) et L. I. Ep. 19. vs. 50. Drakenb. V. not. ad vs. 24. Ep. I.

Relucet. Hic nempe locus docet, inquit Drakenb., verum esse observationem Broukh. ad Tibull. L. I. El. 1. vs. 4. *Lucere* et *relucere* semper usurpari de magnis et late splendentibus rebus.

114. *Surgere flamma*, quasi homo, qui a lecto levat corpus. Hinc *crescere*, altiorem fieri. Quoniam vero, inquit Ruhnk ad h. vs., in flamma vehementius relucente veteres laetum omen esse credebant, semper vinum in aram effundebant, unde millies junguntur *thus* et *merum*. V. Suet. in Aug. c. 35. et not. ad h. l.

Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,
Languida laetitia solvar ab ipsa mea?
Quando erit, ut lecto mecum bene junctus in uno,
Militiae referas splendida facta tuae?
Quae mihi dum referes, quamvis audire juvabit,
Multa tamen capies oscula, multa dabis.
Semper in his apta narrantia verba resistunt.
Promtior est dulci lingua retenta mora.
Sed cum Troja subit, subeunt ventique fretumque:
Spes bona sollicito victa timore cadit.
Hoc quoque, quod ventis prohibent exire carinas,
Me movet: invitis ire paratis aquis.

115. *Quando*: V. not. ad vs. 19. Ep. VII. Argum. §. 6.

116. *Languida laetitia* etc. Ut tristitia plerumque hominum pectus constringit, ita contra laetitia solvit; ergo *solvar a laetitia* h. l. erit *gaudebo*: Drakenb. Addendum equidem sentio *quam maxime*, ita ut Laodamia dicat, omnes nervos suos prae maxima laetitia (quod et vox *languida* innuit) solutum iri. V. van Lennep in Animadv. Sensus, inquit Ruhnk., quem vidit Gesn. in Thes. L. L. hic est, interficiar nimio gaudio, deficiam prae nimio gaudio. V. Ovid. A. A. I. II. vs. 317. Metam. L. XI. vs. 648.

117. *Bene*: Feliciter.

118. *Militiae referas* etc. Ut solent mariti a bellis reversi. Hubert. Cf. vs. 30. Ep. I.

Militiae — facta. Militaria, bellica facinora.

120. *Capies*. V. van Lennep in Animadv.

121. *Apta*. Convenienter, grate. Hubert.

Narrantia verba resistunt. Narrantis verba remorantur. Cf. vs. 30. Ep. I.

122. *Promtior est* etc. Si lingua refinciatur parumper, et sic a lassitudine loquendi quodammodo reficiatur, promtior, paratior atque expeditior est ad reliqua enarranda. Oud.

Dulci — mora. Cf. vs. 120. h. Ep.

123. *Subit*. Scil. animo: Cf. vs. 51. h. Ep.

124. *Spes — timore*. V. not. ad vs. 42. Ep. IX. et Ep. I. vs. 12.

Cadit. Interit, perit. Locutio desumta a rebus animatis, quae dicuntur *cadere*, dum moriuntur. V. Ep. IX. vs. 36. XIV. vs. 12. XX. vs. 176. Drakenb. ad vs. 96. Ep. XVII.

125. *Hoc quoque* etc. V. Argum. §. 5.

Quis velit in patriam vento prohibente reverti?
A patria pelago vela vetante datis.
Ipse suam non praebet iter Neptunus ad urbem.
Quo ruitis? vestras quisque redite domos.
Quo ruitis, Danai? ventos audite vetantes.
Non subiti casus, numinis ista mora est.
Quid petitur tanto, nisi turpis adultera, bello?
Dum licet, Inachiae vertite vela rates.
Sed quid ego revoco haec? omen revocantis abesto,
Blandaque compositas aura secundet aquas.

Exire. Cf. vs. 66. Ep. III.

126. *Me, monet.* Terret et turbat me. Hubert.

127. *Quis velit.* V. not. ad vs. 96. h. Ep.

128. *Vela — datis.* Cf. vs. 25. Ep. II.

129. *Ipse suam — Neptunus.* V. Ep. III. vs. 151. et not. ad h. vs.

130. *Quo ruitis?* Caeco impetu ferimini, ut alibi vidimus. Quam vim interrogatio, eorundemque verborum in seq. versu repetitio habeat, ipse, Lector! sentis.

131. *Ventos audite vetantes.* Eleganter, inquit Drakenb., *audire* cum emphasi is dicitur, qui monenti paret. Cic. ad Famil. L. II. Ep. 7. Hoc loco *audire ventos vetantes* dicitur, qui, ventis adversis flantibus, navigare recusat.

132. *Non subiti casus* etc. Semper casum fortuitum et Numinis divini prudentiam opponunt veteres: hinc dubitatio eorum frequens, casu fortuito an divinitus, seu sorte, seu numine divum? V. Graev. ad Suet. Caes c. 1. Oud.

Casus, numinis. Intelligitur adversativa particula *sed.* V. Oud. ad Lucan. L. II. vs. 86. Drakenb. ad Liv. L. I. c. 25. §. 3. Mora ista, quam in Aulide facitis, non est fortuita, sed divinitus injecta.

133. *Turpis.* Infamis adultera. V. not. ad vs. 70. Ep. V.

134. *Inachiae.* Per Apostrophen *rates* tanquam res animatas adloquitur Laodamia, id quod gravitatis et ob varietatem suavitatis multum habet.

135. *Sed quid ego revoco haec?* Versus, inquit Oud., est sine dubio corruptus; nunquam enim ab aurei aevi poëtis producitur ultima in *ego*, sed vel corripitur vel eliditur. V. Voss. de Gram. L. II. c. 27. Praeterea *revoco haec* h. l. ne latinum quidem est. Debuisset Ovidius dicere: «Revoco *te* vel

Troësin invideo? quae si lacrimosa suorum
Funera conspicient, nec procul hostis erit.
Ipsa suis manibus forti nova nupta marito
Imponet galeam, barbaraque arma dabit; 140
Arma dabit; dumque arma dabit, simul oscula sumet,
(Hoc genus officii dulce duobus erit.)
Producetque virum, dabit et mandata reverti,
Et dicet: Referas ista, face, arma Jovi.

vos, ut vs. 85. Ex variis lectionibus conjicere licet Ovid. scripsisse.

„Sed, quid ego haec? revocone? omen revocantis abesto."

Ita semper Ovidius, et alii; *sed quid ego haec?* scil. *dico*. Cf. vs. 67. Ep. XIV. Heins. ad Ep. XV. vs. 297. Locum corrumpendi ansam dedit vs. 143. Ep. IX.

Hubertinus legere mavult

„Sed quid ago revocans."

Omen revocantis abesto. Irritum sit malum omen, quod huic facto inest. V. Quinct. Declam. L. VI. c. 5.

136. *Blandā — aura.* Placidus ventus, remissa saevitia, qua hactenus furebat tempestas et Graeci Aulide retinebantur. Oud.

Compositas. Sedatas, jacentibus fluctibus. Oud.

Secundet aquas. *Secundus* saepe idem, quod *favens*. Ep. XVII. vs. 163. Hinc *secundare* neutraliter est *favere*, *propitium esse*, quo sensu, *vento secundante* dixit Justin. L. XXVI. c. 3. §. 4. Verum hic *secundare* usurpatur *active* pro efficere, ut id, quod erat adversum, deinceps faveat. V. not. ad Sil. Ital. L. VIII. vs. 124. Drakenb.

137. *Troïsin invideo.* Ita Heinsius edidit ex conjectura Salmasii, ut *Troïsin* sit dativus Graecus, de quo pluribus ad h. l. egit Drakenb.

Alii legerunt *Troïdas*, inquit Oud., sed *invideo te* latinum non est, at *invideo tibi hanc rem* vel *hac re*. V. not. ad Lucan. L. VII. vs. 98.

Utrum recte adfirmaverit Oud. *invidere te* male dici latine, nec ne, lectorem docebit Peris. in not. ad Sanct. Minerv. L. III. c. 3. n°. 81.

139. *Nova nupta.* Cf. vs. 25. Ep. I.

140. *Barbara*, utpote Phrygia. Cf. vs. 86. Ep. I.

Arma dabit — arma dabit. Eorumdem verborum repetitio, ut Tibullo ita Ovidio in deliciis fuit. V. Wyttenb. Bibl. Critic. Vol. I. P. III. pag. 72.

143. *Producetque virum.* Pro-

Ille, ferens dominae mandata recentia secum,
Pugnabit cautè, respicietque domum.
Exuet hâbc reduci clypeum, galeamque resolvet,
Excipietque suo pectora lassa sinu.
Nox summus incertae: suo anxius omnia pogit,
Quae possunt fieri, facta putare timor,
Dum tamen arma geres diverso miles in orbe,
Quae referat vultus est mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus: amplexus accipit illa meos.
Crede mihi: plus est, quam quod videatur, imago.
Adde sonum cerae: Protesilaus erit.
Hanc specto, teneoque sinu, pro conjuge vero:
Et, tamquam possit verba referre, queror.

sul ad hostes ducet. In hostes eustem comitabitur. Virg. Aen. L. IX. vs. 487. Burm. ad Val. Flacc. L. V. vs. 382. Drakenb. Honoris adeo et amoris significationem h. l. verbum habet.

Mandata reverti. Graeci carebant gerundiis, eorumque loco utebantur infinitivis, quos h. l. imitatur Ovid. Drakenb. V. Vechn. Hellenol. L. I. c. 7.

144. *Referas — face.* Cf. vs. 69. h. Ep. not. ad vs. 98. Ep. II. et ad vs. 50. h. Ep.

146. *Respiciet que domum.* V. not. ad vs. 113. Ep. I. *Domum.* Eos adeo, qui aedibus continentur, familiam.

149, 150. *Nos summus* etc. Cf. vs. 11. sq. Ep. I.

151. *Diverso — in orbe.* In diversa et remota parte orbis. Hubert.

152. *Quae referat vultus — cera* Imago cerea, quae accurate adeo oris tui lineamenta mihi repraesentet, ut vultus tuos ex orbe diverso ad me *referre* videatur. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. I. vs. 634.

158. *Tibi debita verba.* Quae tibi debueram dicere, si ipse adesses. v. c. dulcis conjux, et similia verba. Hubert.

156. *Adde sonum* etc. Cf. vs. 24. Ep. XV.

157. *Hanc specto* etc. Ea uxorem mariti amantissimam desiderii tristitiam praesentiae cogitatione lenire studentem. Cf. not. ad Sil. Ital. L. I. vs. 634.

159. *Mea numina.* V. not. ad vs. 105. Ep. VII.

Per reditus, corpusque tuum, mea numina, juro;
Perque pares animi conjugiique faces;
Perque, quod ut videam canis albere capillis,
Quod tecum possis ipse referre, caput;
Me tibi venturam comitem, quocumque vocaris:
Sive, (quod heu timeo!) sive superstes eris.
Ultima mandato claudetur epistola parvo:
Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.

160. *Perque pares* etc. *Per faces animi*, inquit Drakenb., intelligatur *amor*. *Facem pectoris* dixit Ovid. Ep. XVI. vs. 50. De facibus conjugii ad Ep. II. vs. 120. *Conjugii* faces ipsum conjugium indicant. Cf. Ovid. Ep. IX. vs. 159.

161. *Quod ut* pro *utinam*. Eo sensu apud comicos saepius obcurrere τὸ *ut* notat Drakenb. ad h. vs. laud. Terent. Eun. Act. II. sc. 3. vs. 20. Adelph. Act. IV. sc. 6. vs. 1.

162. *Quod tecum possis ipse* etc. τὸ *ipse* non vacat hic, quia virorum, qui bello ceciderunt, cadavera in patriam ab *aliis* solebant referri, ut notissimum. Laodamia vero vovet, ut *ipse* salvus referat caput. Burm. ad h. vs.

164. *Sive (quod heu timeo!)* etc. Propter omen Laodamia hic omittit mentionem *mortis*. Vult enim dicere: sive morieris sive superstes eris. Verbis omen inesse credebant Gentiles. V. not. ad Sil. Ital. L. IX. vs. 55. Drakenb.

165. *Claudetur*. Finietur, terminus ponetur, ultra quem non procedat. Cf. vs. 242. Ep. XX.

EPISTOLA XIV.

HYPERMNESTRA LYNCEO.

ARGUMENTUM.

§. 1. Habet profecto, quod omnium, quorum pectus ex meliore luto factum est, favorem ac benevolentiam sibi conciliet, Hypermnestrae, suo periculo, maritum, invito parente, servantis egregium facinus, quae, ut canit Horatius Od. L. III. Od. 11. vs. 33.

Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis aevum.

§. 2. Erat autem Hypermnestra Danaï, ex Belo geniti, superiori Aegypto imperantis filia. Qui quidem Danaus ex oraculo didicerat, fore, ut a fratre Aegypto, alteram Aegypti partem gubernante totique paterno regno inhiante, interficeretur. Quod consilium ut Aegyptus exsequeretur, hanc artem machinatus erat.

§. 3. Ut Danaus ex pluribus uxoribus quinquaginta filias habebat, ita Aegyptus totidem filios. Hos ut generos sibi adsciseeret Danaus, Aegyptus poposcit, quo facto et nurus interficeret earumque parentem, qui, ex oraculi monitu, filias in matrimonium tradere non tantum negavit, sed, Minerva adjutrice, cum his in Peloponnesi urbem, Junoni sacram, Argos aufugit.

§. 4. Vixdum fratris fugam et in Peloponnesum adventum audiverat Aegyptus, cum praedam, quam captam tenere sibi videbatur, manibus esse elapsam, aegerrime ferens, filios, parata classe, in Danaum mitteret his mandatis: « Ut aut Danaum interficerent, aut ad se non reverterentur." Quinquaginta igitur Aegypti filii imperata statim faciunt, naves solvunt, ad Peloponnesum adpellunt, atque Argos obsidione cingunt, quam urbem tanta vi obpugnant, ut Danaus ad urbis dedendae conditiones descendere cogatur.

§. 5. Conditiones, quas obsessoribus obferebat, hae fuerunt

ut ab obpugnatione desisterent, foedus amicitiae secum jungerent, ac sorores patrueles adciperent uxores.

Aegypti filii a patruo nihil mali sibi timentes conditiones adcipiunt, ac matrimonium cum Danai filiabus male ineunt. Has enim, ut periculum, quod a fratre per nepotes sibi inminere putabat, averteret, coëgerat, ut proxima post initas nuptias nocte suum quaeque sponsum medicato somno sopitum, tradito ferro, jugularet. Nefandum illud facinus inpiae hae, praeter Hypermnestram, peragunt omnes, quae in Inferis inpietati debitas poenas luerunt, quas memorat Horatius Ode laud.

Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas, et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo
Seraque fata,
Quae manent culpas etiam sub Orco,
Inpiae, nam quid potuere majus?
Inpiae sponsas potuere duro
Perdere ferro.

§. 6. Non inpune vero Hypermnestra, pietate atque humanitate insignis virgo, Lynceum sponsum servavit. Nam pater ob servatum nepotem ira exardescens filiam in vincula conjecit, quibus gravata ac pressa hanc epistolam scripsisse fingitur, qua Lynceo rationem significat, qua mota ab ejus caede abstinuerit; quis ei in tristissima illa nocte inter caedes sensus fuerit; quomodo et ipsa patris jussa exsequi, repugnante natura, incassum conata sit, qua saevitia a patriis pedibus in carcerem abstracta sit. Quas illa literas his precibus claudit: Lynceum patruelem, eundemque maritum obtestatur ut sibi vitae munus ab ipsa adceptum vel rependat ac captivitate liberet, vel interficiat atque interemtam furtim sepeliat. Audiit preces Lynceus, atque uxorem, patre Danao interfecto, vinculis exutam in Argivorum regno secum conlocavit, quod per quinquaginta annos tenuisse legitur.

MITTIT Hypermnestra de tot modo fratribus uni:
Cetera nuptarum crimine turba jacet.

Vs. 1. *Mittit.* Cf. vs. 1. Ep. I. vs. 1, 2. Ep. IV. vs. 1. Ep. XII. *De tot* etc. V. Argum. §. 4, 5.

2. *Jacet.* V. not ad vs 3. Ep. I. Violenta morte obcubuit.

Clausa domo teneor; gravibusque coërcita vinclis.
Est mihi supplicii caussa, fuisse piam.
Quod manus extimuit jugulo demittere ferrum,
Sum rea: laudarer, si scelus ausa forem.
Esse ream praestat, quam sic placuisse parenti.
Non pigét immunes caedis habere manus.
Me pater igne licet, quem non violavimus, urat;
Quaeque aderant sacris, tendat in ora faces;
Aut illo jugulet, quem non bene tradidit, ense;
Ut, qua non cecidit vir nece, nupta cadam.

3. *Clausa domo* i. e. *carcere*. Graeci οἰκήματι. Vid. Locel. et Peerlk. ad Xenoph. Ephes. pag. 14. vs. 23. Argum. §. 6.

4. *Fuisse piam*. V. Argum. §. 6.

5. *Quod manus* etc. Cf. vs. 45. h. Ep.

Demittere scribendum esse non *dimittere* recte docet Burm.; nam *demittitur*, qui ex loco superiori mittitur in inferiorem: ferrum autem, si per jugulum adigitur, descendit ad partes inferiores corporis. Drakenb.

7. *Quam sic* etc. V. Argum. §. 5.

8. *Immunes caedis*. Culpa factae caedis carentes. Sanguine vacantes, puras et innocentes. Gruter. ad h. l. V. Torrent. ad Horat. L. III. Od. 23. vs. 17. Vell. Pater L. II. c. 7. *Active* ergo sumitur: Nam et alias *passive*; v. g. *Immunis mali* dicitur, qui non *patitur* malum. Ovid. Metam. L. VIII. vs. 690. *Immunis nevis*, qui morbum non *patitur*, immortalis est. L. X. vs. 253. Ratio est quia *immunis* pp. dicitur, qui liber est a munere, onere, ac quocunque negotio. Oud.

9. *Me pater igne* etc. Male, inquit Oud., quidam confundunt hunc ignem cum facibus seu taedis nuptialibus, quae sequuntur. Intelligit primo loco Ovid. ignem sacrum arae, ad quam sacrificia in nuptiis apud Graecos aeque ac Romanos peragebantur, uti patet ex vs. 26. h. Ep. V. Brisson. de ritu Nupt. p. 79. Hotoman. de Vet. ritu Nupt. c. 18. a Drakenb. ad h. vs. cit.

Violare. Saepius dicitur de sacrilegis ac delinquentibus in Deos et res divinas.

10. *Tendat in ora*. In faciem immittat. Hubert.

11. *Non bene*, sed crudeliter et inhoneste. Anton.

12. *Cecidit*, — *cadam*. V. not. ad vs. 124. Ep. XIII.

Non tamen, ut dicant morientia, Poenitet, ora,
Efficiet; non es, quam piget esse, piam.
Poeniteat sceleris Danaum, saevasque sorores.
Hic solet eventus facta nefanda sequi.
Cor pavet admonitu temeratae sanguine noctis,
Et subitus dextrae praepedit orsa tremor.
Quam tu caede putes fungi potuisse mariti,
Scribere de facta non sibi caede timet.
Sed tamen experiar. modo facta crepuscula terris;
Ultima pars lucis, primaque noctis erat:
Ducimur Inachides magni sub tecta Tyranni;
Et socer armatas accipit aede nurus.

13. *Morientia ora.* V. not. ad vs. 121. Ep. XIII. Ovid., inquit Drakenb., hic actionem tribuit membro corporis humani, quam ipse homo perficit ministerio membrorum. Cf. vs. 81. Ep. VII.

14. *Non es, quam* etc. Ut se ipsam alloquatur, quod ἐμφατικώτερον ad adfectus ciendos. Heins. ad vs. 75. Ep. X. Non es ea, sive eo ingenio, ut te pigeat. V. Vechn. Hellenol. L. II. c. 10. Pro *es* plurimorum Codd. lectionem praefert Loers d. spec. *est* et interpretatur „nam (est universe dictum) pia non est, quam poenitet esse piam" Cod. Trev. *est.*

15. *Poeniteat* etc. V. Argum. §. 5.

16. *Hic solet eventus* etc. i. e. poenitentia semper sequitur etc.

17. *Cor pavet* etc., Sceleris narrationem aggressura, facti immanitate dictu difficile esse demonstrat, ut gravius esse videatur. Anton.

Admonitu. V. Ep. IX. vs. 135. et not. ad h. vs.

18. *Praepedit orsa.* Incepta, et ductus primos literarum seu scripturae. Oud.

19, 20. *Quam tu caede putes* etc. V. van Lennep in Animadv. Cf. vs. 109. Ep. VIII.

21. *Crepuscula* vespertina. Agitur enim, inquit Drakenb., de deductione in domum, quae fiebat sub vesperam. Post hanc autem deductionem facta sunt, quae narrantur vs. 26, 31, 52, 72. Et tamen post haec omnia additur noctem adhuc atram fuisse vs. 78. Utrumque vero tempus vespertinum et matutinum vox *crepusculum* designare potest, V. not. ad Sil. Ital. L. V. vs. 27.

23. *Ducimur Inachides.* Pronepies Inachi. Nam Inachus

Undique collucent praecinctae lampades auro.
Dantur in invitos impia tura focos.
Vulgus, Hymen, Hymenaee, vocant: fugit ille vocantes.
Ipsa Jovis conjux cessit ab urbe sua.
Ecce mero dubii, comitum clamore frequentes,
Flore novo madidas impediente comas,

genuit Iō, ex ea et Jove natus est Epaphus, ex Epapho Belus, Priscus, ex Belo Aegyptus et Danāus, cujus hae sunt filiae. Hubert.

Tyranni. Regem vox notat; ceterum Tyrannum Graeci dicebant, qui solus in civitate, quae antea libertate usa erat, reipublicae gubernacula tenebat, ut alibi me observare memini. V. van Lennep in Animadv.

24. *Socer.* Aegyptus. Ex sententia itaque Ovidii Aegyptus adfuit nuptiis filiorum. Verum Ovidius id tantum finxit colore poëtico, cum non adfuerit in Graecia, quo tempore filii filias Danai uxores ducebant. V. Apollod. Biblioth. l. II. c. 1. pag. 63. et Hygin. fab. 168. Venit quidem in Graeciam Aegyptus, sed demum post mortem filiorum. V. Pausan. in Achaïc. c. 21. Van Lennep in extr. Animadv. ad vs. 23.

Armatas. Gladiis instructas, quos Danāus nobis dederat. Hubert.

Accipit aede. Vulgo aedibus, regia.

25. *Praecinctae.* Undique vinctae et inclusae auro, sive aureis lychnuchis. Oud.

26. *Invitos impia.* Qua ratione inanimatis rebus haec ejusdemque generis alia adjectiva addantur, hic non repetam. Dii vero et Juno tam impia nuptialia sacra aversabantur.

Dantur in — focos. Focis induntur, inponuntur. *In* id. qd. *super.* V. Tursell. in v.

27. *Vulgus, Hymen.* Cf. vs. 33. Ep. II. vs. 143. Ep. XII. V. not. ad vs. 1.

Fugit ille vocantes. Cf. vs. 102. Ep. XI.

28. *Ipsa Jovis conjux cessit ab urbe sua.* Intelligitur illa Juno, quae vocatur *pronuba*. V. Ep. II. vs. 41. Ep. VI. vs. 43. *Urbem* intellige Argos, quae urbs Junoni sacra erat. V. Argum. §. 3. Horat. I. I. Od. 7. vs. 8. sq. Verum, inquit Drakenb., caedem filiorum Aegypti non Argis, sed ad Lernam factam, ibique eorum cadavera sepulta esse refert Pausan. in Corinth. c. 24.

29. *Ecce.* Emphatice, quasi digito *mero dubios* sive *ebrietate titubantes* monstrat. *Dubius*, docente Drakenb., hic

In thalamos laeti, thalamos, sua busta, feruntur:
Strataque corporibus, funere digna, premunt!
Jamque, cibo, vinoque graves, somnoque, jacebant:
Securumque quies alta per Argos erat.
Circum me gemitus morientum audire videbar:
Et tamen audibam; quodque verebar, erat.

non dicitur *active*, qui dubitat, sed quo dubitatur, utrum scilicet stare possit an casurus sit.

Clamore frequentes. An recte Latine dicatur addubitat et Burm. et Oud. ad h. vs. Hubert. interpretatur, *densati* et *circumdati*. V. van Lennep in Animadv.

30. *Flore novo — impediente.* Cf. vs. 71. Ep. IV. ibiq. not.

Madidas comas. Unguento. V. Horat. L. II. Od. 7. vs. 7. sq.

31. *In thalamos laeti, thalamos, sua busta.* Primo observanda venit repetitionis vō *thalamos* gravitas, quae hic etiam requirebatur, ut oppositionis virtus melius sentiretur. In priore *thalamus* laetitiae causa «*in thalamos laeti.*" In posteriore, quod vix exspectes, tristitiae, mortis causa «*thalamos, sua busta.*" Cf. Ep. VI. vs. 42.

Feruntur. Erant enim mero dubii vs. 29.

32. *Strataque — premunt.* Cf. vs. 54. Ep. X. Haec strata, (lecti vel vestes stragulae) dicuntur *digna funere* propter omen funestum; omnes enim in lectis interfectos esse in Argum. §. 5. et in vs. 1. Ovid. h. Ep. vidimus. Cf. vs. 42. Ep. VI. Respicitur igitur, inquit Drakenb., ad morem funebrem veterum, qui mortuos in lectis vel lecticis efferebant. V. Kirchm. de Funer. L. II. c. 9.

33. *Cibo, vinoque graves, somnoque.* Eleganter exprimit bene saturatos, ebrios et somnolentos. Oud. *Graves* iidem, quos Sallust. Jug. c. 76." vino et epulis *oneratos*" dixit, quorumque, ut canit Ovid. Metam. L. I. vs. 714. «Adoperta lumina somno"

34. *Securumque quies alta* etc. Profundissimo itaque somno sopiti Argivi nullo animi adfectu agitabantur, curas obliviscebantur. *Securum* enim animum, *Tutum* corpus spectat. *Securitatis* vero causa alta quies. Cf. Virg. Aën. L. IV. vs. 522. sq. et, quem Virgil. imitatus est, Apoll. Rhod. Argon. L. III. vs. 743. sq. Nota, inquit Drakenb., ad h. vs. hanc urbem non modo plurali numero vocari *Argi*, verum etiam singulari, genere neutro *Argos*.

Sanguis abit; mentemque calor, corpusque, relinquit;
Inque novo jacui frigida facta toro.
Ut leni Zephyro fragiles vibrantur aristae;
Frigida populeas ut quatit aura comas:
Aut sic, aut etiam tremui magis. ipse jacebas,
Quaeque tibi dederant vina, soporis erant.
Excussere metum violenti jussa parentis:
Erigor; et capio tela tremente manu.
Non ego falsa loquar. ter acutum sustulit ensem:
Ter male sublato recidit ense manus.

Horat. L. I. Od. 7. vs. 9. Valer. Flacc. L. I. vs. 359.

36. *Et tamen audibam.* Non tantum audire mihi videbar, sed revera audiebam. *Audibam* pro *audiebam* apud Catullum, Propertium, Virgilium, alios obcurrere ad h. vs. notat et Drakenb. et Oud. laud. Serv. ad Virg. Aen. L. VI. vs. 468. et Voss. Gramm. L. V. c. 34.

37. *Sanguis abit* etc. Cf. vs. 22. Ep. I. V. not. ad h. vs.

38. *Inque novo — toro.* Cf. vs. 96. Ep. VIII. ibiq. not.

39. *Ut leni Zephyro* etc. Cf. Ovid. Am. I. El. 7. vs. 55. Art. Am. L. III. vs. 693. *Vibrantur.* V. van Lennep ad h. vs.

Fragiles. Graciles, ut in aliis editionibus legitur, praefert Oud., leves, tenues agitantur continuo motu. Male Heins. et Burm. legunt *fragiles*, quae vox hic locum non habet; non enim agitur de *fragilitate* sed *fluctuatione* aristarum, quae, quo *graciliores* sunt, eo facilius a quavis aura moventur. Oud.

Si naturam aristarum spectas, recte dici *fragiles* nemo negabit. *Tũ vibrare* ratione habita cum Oud. equidem praefero *graciles.* De origine et efficacitate comparationis alibi diximus.

41. *Ipse jacebas*, somno gravis.

42. *Quaeque tibi dederant* etc. V. Argum. §. 5.

43. *Excussere.* Cf. vs. 13. Ep. X. Not. ad h. vs.

Violenti. Cf. vs. 23. h. Ep. Argum. §. 5.

44. *Trementi manu.* Ex quo manus tremore Hypermnestrae animi adfectum intelligere Lynceus poterat.

45. *Ter.* Ex hac repetita sublatione animi motiones, misericordia, timor, honor, aegritudo, elucent, atque animus nunc huc nunc illuc impulsus. Cf. Ovid. Ep. IV. vs. 7. Trist. L. I.

Admovi jugulo, sine me tibi vera fateri;
Admovi jugulo tela paterna tuo.
Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis:
Castaque mandatum dextra refugit opus.
Purpureos laniata sinus, laniata capillos,
Exiguo dixi talia verba sono:
Saevus, Hypermnestra, pater est tibi. jussa parentis
Effice. germanis sit comes iste suis.
Femina sum, et virgo; natura mitis, et annis:
Non faciunt molles ad fera tela manus.

El. 3. vs. 55. Virg. Aen. L. VI. vs. 32.

46. *Male.* Quippe in maritum. *Recidit.* Ex Grammaticorum regulis, cum *re* in compositione corripiatur, *reccidit*, ut *rettulit*, legendum esse ad h. l. monuerunt Burm. Drakenb. et Oud.

47. *Admovi jugulo.* Eorumdem verborum in seq. vs. repetito horrorem legenti incutiunt, tum ob periculi, quod Lynceo imminebat, magnitudinem, tum ob nefandum facinus, quod, refragante natura, atque invito ingenio, in eo erat Hypermnestra ut perficeret. V. van Lennep in Animadv.

48. *Tela paterna.* A patre eo consilio tradita ut te interficerem.

49. *Sed timor et pietas* mea scil. erga te. V. not. ad vs. 47. h. Ep.

50. *Mandatum — refugit opus. Refugit.* Cum horrore abnuit, detrectavit. Cf. Virg. Aen. L. II. vs. 121. Ovid. Rem. Am. vs. 604. ubi, sicut et hic, attendendum est ad contrarios animi aestus. Oud. *Mandatum.* V. Argum. §. 5.

51. *Purpureos laniata* etc. V. not. ad vs. 15. Ep. III.

52. *Exiguo — sono*, tenui, submissa voce, metuens, ne audires.

53. *Saevus — pater est tibi.* Ni enim mandatum perfeceris, crudelissima te poena manet. Hec et sequentibus versibus, inquit Drakenb., secum colloquitur Hypermnestra, ac partim ad scelus committendum se incitat, partim inde dehortatur.

54. *Germanis.* Germani, monente Drakenb., fratres dicuntur, ex eodem quidem patre, sed diversis matribus prognati. Cf. h. Ep. Argum. §. 3.

Sit comes. Hypermnestrae enim lingua refugiebat dicere. *Trucida, jugula* et istum.

55. *Femina sum.* Cf. vs. 97. Ep. I. ergo *natura mitis.* *Et*

Quin age, quidque facet, fortes imitare sorores.
Credibile est caesos omnibus esse viris.
Si manus haec aliquam posset committere caedem,
Morte foret dominae sanguinolenta suae.
Quo meruere necem, patruelia regna tenendo,
Quae tamen externis danda forent generis?

virgo. His respondent sequentia *mitis*, *et annis*. Drakenb. et Oud.

56. *Non faciunt*. V. not. ad Ep. VI. vs. 128.

Molles, *ferd*. Sibi invicem apponi perspicuum est.

57. *Quin age*. Ad solita iterum se incitat Hypermnestra.

Dunque jacet. V. not. ad vs. 33. h. Ep.

Fortes. Te meliores. Ad quarum manus tela faciunt, natura et annis superiores sunt.

58. *Caesos omnibus*. Cf. vs. 10. h. Ep.

Viros pro *maritis* simpliciter adhibere non facile crediderim. In sororum laude enim, meo quidem sensu, ponit Hypermnestra, *viros* a feminis esse superatos ac caesos.

59. *Si manus* etc. Hoc vs. et seq. in alia omnia abit, sibique necem dissuadet Hypermnestra.

Haec. Demonstrative. *Si hominem* interficere haec manus possit, in me ipsa converterem.

61. *Quo meruere*. Qua re, quam ob rem. Virg. Aen. L. II. vs. 150. Heins. ad h. l. Ruhnk.

Patruelia regna tenendo. Patrui regna. V. Argum. §. 2. Forte, inquit Hypermnestra, quisquam mihi respondeat, Lynceum et fratres scelus commisisse retinendo regnum, ex quo pater meus Danaus ejectus est. Respondet vs. sq.: cum Danaus multas filias procreavisset, partem regni, quam a fratre acceperat, perventuram fuisse ad filios, ad gentem et familiam suam non pertinentes, quibus filiae nupsissent, melius itaque esse, ut fratris filii universum regnum obtinerent, idque per nuptias communicarent cum Danai filiabus. Drakenb.

62. *Generis*. Rarissime, vel nunquam Ovidius (Catullus, Tibullus, Propertius frequenter et venustissime) de quo vid. Broukh. ad Tibull. L. II. El. 6. vs. 24.) claudit Pentametrum trisyllabo, nisi in Tristibus et ex Ponto. Unum est exemplum in Epist. Heroid. XIX. vs. 202. Sed cum illa Epistola Ovidio a multis abjudicetur, satis idonea non est auctoritas; quare lego ex aliis MSS *accipienda forent*; vel *danda forent viris*. Oud. V. van Lennep Animadv.

Finge vivos mavuisse mori: quid fecimus ipsae?
Quo mihi commisso non licet esse piae?
Quid mihi cum ferro? quo bellica tela puellae?
Aptior est digitis lana colusque meis.
Haec ego: dumque queror, lacrimae sua verba sequuntur,
Deque meis oculis in tua membra cadunt.
Dum petis amplexus, sopitaque brachia jactas:
Pene manus telo saucia facta tua est.
Jamque patrem, famulosque patris, lucemque timebam,
Expulerunt somnos haec mea dicta tuos:

63. *Finge.* Fac, pone. De verbi *fingere* significatione egi ad vs. 65. Ep. VII.

64. *Quo mihi commisso* s. culpa. *Non licet esse piae?* ut Puteanum optime scripsisse docet Heins. ad h. vs., qui, pluribus adlatis exemplis, probat, optimos scriptores hac in phrasi dativo usos esse, perraro accusativo. Sine ulla Codd. auctoritate. Omnes habent *piam*. Quam scripturam, usu optimorum scriptorum probatam, probavit Duk. ad Liv. L. XLII. c. 36. Heindorf. ad Horat. Sat. I. I. Sat. I. vs. 19. et Cod. Trev. lectione Loers. Probat et Ruhnk. laud. interpr. ad Plin. Panegyr. c. 44.

65. *Quid mihi cum ferro?* Haec cum indignatione pronunciasse Hypermnestra censeri debet, quibus indicat, ferrum a patre datum sibi inutile esse, se eo uti non posse. Cf. Ovid. Ep. XV. vs. 52. et Trist. L. III. El. 11. vs. 55. Drakenb. V. not. ad vs. 47. Ep. VI.

Quo bellica tela puellae. Cf. vs. 56. h. Ep. et not. ad vs. 53. Ep. II.

67. *Haec ego.* V. not. ad vs. 135. Ep. XIII.

Lacrymae sua verba. Sua est, quod unicuique proprium est, vel ei convenit. *Lacrymae* ergo *sua verba sequuntur*, verba sunt *luctuosa*, quae lacrymis movendis aptae sunt. Drakenb.

68. *In tua membra.* Cf. vs. 41, 44, 45. h. Ep.

69. *Dum petis amplexus.* Somnians nempe. Cf vs. 9, 10. Ep. X. Drakenb.

Sopitaque brachia. Cf. vs. 42. h. Ep.

72. *Expulerunt.* Hoc verbum significat, quanta verborum vi vix tandem Lynceum excitaverit Hypermnestra. *Somnos* meo quidem sensu dixit Ovidius, ut plurali numero *altissimum somnum* indicaret.

Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus.
Nox tibi, ni properas, ista perennis erit.
Territus exsurgis: fugit omnis inertia somni.
Adspicis in timida fortia tela manu.
Quaerenti caussam, Dum nox sinit, effuge, dixi.
Dum nox atra sinit, tu fugis: ipsa moror.

73. *Surge — Belide.* Beli nepos. V. Argum. §. 2. Cf. van Schelle Michal aan David pag. 7.

Unus pro unus. Quasi dicas. „Qui ex unus sive solus superstes." Saepe poëtae et historici nominativum pro vocativo scribunt. V. Oud. ad Luc. L. II. vs. 116. L. IV. vs. 22. Burm ad Ep. XVII. vs. 100 et ad Lucani d. vs. Graecos hac in re imitati sunt Latini. V. Vechn. Op. l. L. I. vs. 13.

74. *Nox — ista perennis erit.* Drakenb. ad Sil. Itul. L. X. vs. 173. Horat. L. III. Od. 11. vs. 37.

Surge, quae dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur: Socerum et scelestas
Falle sorores.

75. *Fugit.* Pulsa quippe. V. vs. 72. h. Ep.

Inertia somni. Gravius atque efficacius, quam *iners somnus*. Duo enim substantiva legentem quasi cogunt, ut singula verba advertat, singulorumque pondus ac gravitatem examinet: quod secus est, si adjectivum substantivi qualitatem indicans adjicitur; tum vero substantivum animum ad se praecipue advertit, cui inest, quod adjectivo significatur, unumque adeo quasi corpus cum substantivo efficit.

76. *Adspicis* etc. Cf. vs. 55, 56. h. Ep.

77, 78. *Dum nox sinit, effuge, dixi. Dum nox — sinit.* De eorumdem verborum repetitione Ovidio familiari antea vidimus. Gravitas, quae his repetendis efficitur, vel me tacente, intelligitur. Iterationis necessitas ei, qui territus exsurgebat, ex ipsa re adparet, praecipue cum prioribus verbis vocem *atra* addere omiserat, quae res omnem moram tollere suadebat. Cf. vs. 34. h. Ep.

78. *Tu fugis.* Horat. Od. 2. laud.

I, pedes quo *te rapiunt* et aurae,
Dum favet nox et Venus: i secundo
Omine, et nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

Mane erat; et Danaus generos ex caede jacentes
Dinumerat, summae criminis unus abes.
Fert male cognatae jacturam mortis in uno:
Et queritur facti sanguinis esse parum.
Abstrahor a patriis pedibus: rantamque capillis
(Haec meruit pietas praemia) carcer habet.
Scilicet ex illo Junonia permanet ira,
Quo bos ex homine est, ex bove facta Dea.

79. *Ex caede.* Post caedem factum. V. Tursell. Op. l. in v. ex.

Jacentes. Cf. vs. 106. Ep. III.

80. *Dinumerat.* Non negligenda hic est praepositio inseparabilis *dis*. Diversis, singulis in lectis interfectos generos Danäus separatim numerabat. Rationem trucidatorum quasi inibat; alterum alteri subponebat; quo facto subducebat summam, unde pateret, unum quinquaginta generum abesse. Graviter cecinit Ovidius *summae criminis*, i. e. summae generorum per flagitium interemtorum.

81. *Fert male.* Iniquo animo fert.

Cognatae jacturam mortis. Damnum consanguineorum ac patruelium fratrum, quod passus est in uno eorum, quia ille non periit, ut voluerat. V. not. vs. 10. Ep. I.

Jactura dicitur omnis res, quae deëst, sive eam *necessitate*, sive *voluntate* amiserimus. Metaphora a re nautica, ubi nautae faciunt *jacturam*, cum tempestate coacti onera quaedam abjiciunt, ne mergat navis; unde ad quaevis alia transfertur. Ovid.

82. *Facti sanguinis.* Sanguinis effusi, ac caedis perpetratae. *Facere sanguinem* apud Livium saepe occurrit pro *caedem committere*. v. c. L. IX. c. 13. L. XXXV. c. 51. Drakenb. Ovid.

83. *Abstrahor a patriis pedibus.* Quibus nihil adfusa jacebat, dein deprecari pro sponso suo eum frustra conabatur. Ovid.

Abstrahor — raptaque capillis — carcer habet. Cf. vs. 43 et 53. h. Ep.

84. *Haec meruit pietas* (in te, maritum) *praemia*, Ironice, inquit Ovid., et e dira patris Danai voluntate. Ita apud Horat. L. III. Od. 11. vs. 45.

Hypermnestra
Me pater saevis oneret catenis,
Quod vir clemens misero peperci etc.

Cf. van Schelle Michal aan David. pag. 7.

At satis est poenae teneram mugisse puellam:
Nec, modo formosam, posse placere Jovi.
Adstitit in ripa liquidi nova vacca parentis,
Cornuaque in patriis non sua vidit aquis:
Conatoque queri mugitus edidit ore:
Territaque est forma, territa voce sua.
Quid furis, infelix? quid te miraris in umbra?
Quid numeras factos ad nova membra pedes?

85. *Scilicet ex illo*, puta, tempore. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

86. *Quo bos — ex bove facta Dea.* Id Inachi filia a Jove amata, et; ne furtum hoc sciret Juno, in vaccam mutata, post varios errores in Aegypto Dea, nomine Isidis, facta. V. Ovid. Metam. L. I. vs. 568. sq. Hygin. fab. 145. Herodot. L. I. c. 1. Oud.

Ex et *de*, ut quidam hic legunt, posteriori loco, semper denotant *mutationem* conditionis, vel naturae. Sic Terent. Andr. Act. I. sc. 1. vs. 10. (Quod, et Burm. ad Lucan. L. IV. vs. 719. super praepositione *de* vid. Burm. ad h. vs. (qui laudat Justin. L. VII. c. 2. Flor. L. II. c. 6.) Oud.

88. *Nec, modo formosam, posse placere Jovi.* Vocula *nec* resolvenda est in *et non*, atque verba in hunc ordinem redigenda sunt. „Et modo formosam non posse placere Jovi." *Modo formosa* est, quae paulo ante, quum mutabatur in vaccam, formosa erat. Ita *modo* obcurrit apud Cic. in Verr. L. V. c. 3. Quod autem dicitur Io in vaccam mutata non potuisse placere Jovi, aliter tradidit Ovid. Am. L. II. El. 19. vs. 30. dicens, eo ipso gratiorem esse factam Jovi.

89. *Liquidi — parentis.* Inachi fluvii Argivorum, qui fingitur pater Jûs fuisse. Drakenb. qui citat Apollod. Bibl. L. II. c. 1. §. 3. (pag. m. 59.) Hygin. fab. 145.

Nova vacca. Uti praecedentia docent *recens* facta vacca.

90. *Non sua.* V. not. ad vs. 87. h. Ep.

Vidit, conatoque queri etc. Bovi itaque remanserant sensus ac ratio.

93. *Quid furis; infelix?* Juno enim, cum Mercurius Argum custodem Jûs jussu Jovis interfecisset, virgini in vaccam mutatae oestrum sive furorem immisit, quo exagitata per totum orbem circumeravit. V. Apollod. L. II. c. 1. §. 3. (pag. m. 60.) et Ovid. Metam. L. I. fab 10. sq. Drakenb.

Quid te miraris in umbra? Quid tuae imagini, jam vac-

Illa Jovis magni pellex, metuenda sorori,
Fronde levas nimiam cespitibusque famem.
Fonte bibis, spectasque tuam stupefacta figuram:
Ft, ne feriant, quae geris, arma, times.
Quaeque modo, ut possis etiam Jove digna videri,
Dives eras; nuda nuda recumbis humo.
Per mare, per terras, cognataque flumina curris;
Dat mare, dant amnes, dat tibi terra viam.

cae factae, *umbram* (sive imaginem) in patrio flumine Inacho specularis. Oud. Cf. vs. 89—93. Ne tamen credas *speculari* significationem *τῷ mirari* referre. *Mirari* enim est *stupere in.*

94. *Quid numeras* etc. i. e. desine numerare? res enim facta infecta jam reddi nequit. Cf. not. ad vs. 90. in v. *vidit* etc.

Finctos ad nova membra est additos ad nova membra. Locca d. spec.

95. *Illa.* V. not. ad vs. 90. Ep. II. Pronomen autem illud tam in bonam, quam in malam partem *eximii aliquid* aut *singulare* notare, antea vidimus. Hic *illa*, interpretante Oud., significat *tam pulcra, tam celebris.*

Jovis pellex. Pp. erat concubina Jovis, sed pellex Junonis. Cf. vs. 60. Ep. V. Drakenb.

Metuenda sorori. Jovis nempe, sive Junoni; cui metuenda erat, propter pulcritudinem, ne forte Jupiter, repudiata Junone, Io uxorem duceret. Cf. vs. 35. sq. Ep. IV. Drakenb.

96. *Nimiam.* Si scil. comperas cum fame, qua laborabat ante metamorphosin.

Levas. Cf. vs. 174. Ep. IV.

Cespitibusque. Gramine in cespitibus nascente; unde passim cespites *vivi* et *virides* occurrunt. Oud.

97. *Stupefacta figurum.* V. not. ad vs. 93. h. Ep. in v. *Quid — mireris.*

98. *Quae geris, arma.* Cf. vs. 90. h. Ep. Anacreon Od. 2.

99. *Etiam Jove digna.* Sive ipso Jove. Cf. vs. 95. h. Ep.

100. *Nuda recumbis. Nuda* opponitur *τῷ dives*; ergo *omnibus illis divitiis*, omni illa corporis ac cultus specie, at pulcritudine nudata atque orbata, quibus digna Jovis ipsius amore videbare.

Nuda — humo, nullis vestibus stragulis, ut ait Drakenb., suppositis, quibus incubare solebas.

101, 102. *Per mare* etc. V. not. ad vs. 86. h. Ep.

Cognataque flumina, unde

Quae tibi causa fugae? quid, Iö, freta longa pererras?
Non poteris vultus effugere ipsa tuos.
Inachi, quo properas? eadem sequerisque fugisque.
Tu tibi dux comiti: tu comes ipsa duci.
Per septem Nilus portus emissus in aequor
Exuit insanae pellicis ora bovi.
Ultima quid refero, quorum mihi cana senectus
Auctor? dant anni quod querar, ecce, mei.

dicantur, videre licet in vs. 89. h. Ep. et in not. ad h. vs.

103. *Freta longa.* Sive longe dissita, longinqua. Drakenb. V. not. ad vs. 46. Ep. VII.

104. *Non poteris vultus* etc. bovinos, qui te terrent. V. vs. 97, 98. h. Ep. quia, quocunque fugis, te sequuntur: qui sensus est verborum sequentium *eadem sequerisque fugisque.* Ceterum vid. Scheller. Praecept. Stili bene Lat. P. II. c. 3. pag. 710.

105. *Inachi* est filia Inachi. Vocativus patronymici feminini. Hubert.

106. *Tu tibi* etc. i. e. te ipsam praecedis, te ipsam comitaris. Figura orationis, quae mihi quidem non probatur, cum veritati non sit consentanea, nec verisimilitudini, quam quidem semper sequi poëtam decet.

107. *Per septem Nilus portus* etc. Per septem ostia, ubi totidem portus esse poterant, in mare mediterraneum quondam effluxisse dicitur, quorum nomina, ut ait Drakenb., Pomponius Mela de Situ orbis L. I. c. 9. habet.

108. *Exuit insanae pellicis ora bovi.* Vox *insanae*, inquit Drakenb., non jungenda est cum proximo *pellicis*, sed cum remotiore *bovi*, ut *insanae bovi* sit *vaccae furenti*, cui Juno, post interfectum Argum, furorem immiserat. V. not. ad vs. 93. h. Ep. Dein per hypallagen *exuit ora pellicis bovi* pro *exuit pellici ora bovis.* Cf. vs. 7. Ep. I. et Ep. III. vs. 51. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

109. *Ultima*, prima; antiquissima, Drakenb. Quid, inquit Oud., ab origine domus nostrae remotissima ac vetustissima refero?

Quorum — auctor. Quae a natu majoribus sive senibus audivi. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs. et not. ad vs. 3. Ep. XV.

110. *Dant anni quod querar, ecce* etc. Adcipe querendi materiam, quam mihi haec aetas, hoc tempus, quo vivo, praebet.

Bella pater patruusque gerunt: regnoque domoque
Pellimur: ejectos ultimus orbis habet.
Ille ferox solus solio sceptroque potitur:
Cum sene nos inopi turba vagamur inops.
De fratrum populo pars extinguissima restas.
Quique dati leto, quaeque dedere, fleo.
Nam mihi quot fratres, totidem periere sorores,
Accepit lacrimas utraque turba meas.
En ego, quod vivis, poenae crucianda reservor:
(Quid fiet sonti, cum rea laudis agar?)
Et, consanguineae quondam centesima turbae,
Infelix, uno fratre manente, cadam.
At tu, si qua piae, Lynceu, tibi cura sororis,
Quaeque tibi tribui munera, dignus habes:
Vel fer opem; vel dede neci, defunctaque vita
Corpora furtivis insuper adde rogis,
Et sepeli lacrimis perfusa fidelibus ossa,
Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi:

111, 112. *Bella* etc. V. Argum. §. 3, 4.

113, 114. *Ille ferox* etc. V. Argum. §. 2, 3, 4.

Turba. V. not. ad vs. 88. Ep. I.

115, 116. *De fratrum populo* etc. V. not. ad vs. 52. Ep. IX. et Argum. §. 4, 5. Cf. vs. 21. et 73. h. Ep.

118. *Utraque turba*. Cf. vs. 51. Ep. IX.

119. *En*. Mirantis. Quod minime reris. V. Argum. §. 6.

120. (*Quid fiet sonti, cum rea laudis agar?*) V. Scheller Praec. St. b. Lat. P. II. c. 3. lit. F. pag. 714. Versus Horatianus in Argum. §. 1. laud.

Manenti. Superstite.

122. *Cadam*. V. not. ad vs. 12. h. Ep.

123. *Sororis*. V. not. ad Ep. VIII. vs. 1, et mox vs. 130. *fratrem* posuit pro fratre patruele. Drakenb.

124. *Quaeque tibi* etc. V. Argum. §. 6.

126. *Insuper adde*. Interpretante Oud. est « super adde, super injice corpus rogis.

127. *Lacrimis — fidelibus* i. e. tui, fidelis, lacrymis, ut saepius observavi. Post adustionem, inquit Oud., ossilegio facto per proximos consangui-

Exsul Hypermnestra, pretium pietatis iniquum,
Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.
Scribere plura libet: sed pondere lassa catenae
Est manus; et vires subtrahit ipse timor.

nece, illi quoque ea ossa lacrimis suis adspergebant, et sic odoratis liquoribus perfusa tumulo condebant, quod vocabant *componere ossa et cineres*. V. Kirchm. de Funeribus. Virg. Aen. L. VII. vs. 228. Broukh. ad Tibull. L. III. El. 2. vs. 21.

128. *Scriptaque*. Simplex pro composito *inscripta*, *insculpta*. *Scribere* et de pictura et de sculptura dicitur.

Titulo brevi. V. not. ad vs. 193, 194. Ep. VI. cond. not. ad vs. 146. Ep. II.

129. *Exsul* etc. Titulus sive carmen sepulcrale hoc disticho continetur.

Pretium pietatis iniquum sive injustum, indignum, quod pietati, sive amori, in te servando conspicuo, non respondet. V. vs. seq. Cf. vs. 119, 120. h. Ep. Pretium, ut ait Drakenb., cum ponitur pro *mercede*, est vox media, et non tantum *praemium* sed etiam *poenam* significat. Cf. not. ad vs. 146. et D. Ruhnk. Dictata in Terent. Andr. Act. I. sc. 1, vs. 12. Act. III. sc. 5. vs. 4.

130. *Mortem fratri depulit* pro a fratre. V. not. ad vs. 123. Cf. Cic. Tusc. Quaest. L. III. c. 31. In Or. post red. in Senatu c. 8. Virg. Aen. L. IX. vs. 78.

Ipsa tulit. Passa est, subiit. Cf. vs. 119, 120. h. Ep.

132. *Et vires*. Etiam, praeterea, scribendi vires *subtrahit*, i. e. mihi nec sentienti nec volenti aufert, eripit, *ipse*, sive *per se*, timor patris.

SAPPHO PHAONI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Duae cum a veteribus scriptoribus memorentur Sapphones, altera Mitylenis, altera Eresi nata, utraeque Lesbiae, tantaque cum fuerit tam inter antiquos quam recentiores his de feminis contentio, ut certi quid statuere nequeas; equidem ab omni adseverationе abstineo, mihique verisimiliorem illorum videri sententiam dico, qui duas, ejusdem nominis, dissimilium morum, feminas fuisse statuant, altèram probam et poëtriam elegantissimam, alteram perdita nequitia infamem, illam Mityleneam, hanc Eresiam, quarum mores miscuerit Ovidius, ut ex duabus hisce unam faceret Phaönis amantissimam; quamquam, cum res ad liquidum deduci non posse appareat, equidem non video, quare, ut usu docemur, in uno homine diversissimae animi adfectiones, magnae virtutes, ac magna vitia inesse nequeant, ut, quid in utraque posset, natura experta videatur. Vid. W. D. Fuhrmann Handleiding tot de Geschiedenis der Klassische Letterkunde etc. uit het Hoogduitsch vertaald door E. C. Engelbronner D. I. St. 1. bl. 311.

§. 2. Haec itaque Sappho, quam ad Phaönem hanc epistolam scribentem facit Ovidius, circa annum sexcentesimum a C. N. adulta jam aetate fuisse videtur, forma non quotidiana, pulcerrimo ore vultuque, ut contra Ovidium adserunt plurimi, quem praeter veritatem, Antithesium amore abreptum, turpis Sapphonem faciëi exhibuisse ajunt. Ut ut est, id certe constat, Sapphonem natura ad voluptatem omni inpetu latam non tantum, sed et iis gavisam esse animi dotibus, quibus voluptatum titillationes ac gaudia quam mollissime ac lascivissime ligata oratione exprimere ac repraesentare valeret; quae carmina amatoria novo carminis genere, Sapphico ab ipsa dicto, complexa est.

§. 3. Viro matura cum esset, Cercolae cuidam Andrio, viro ditissimo nupta fuisse, multosque huic junctam annos felicissime peregisse atque ex eo filiam, Cleïdem, subcepisse legitur; quo mortuo in literas ac poësin magis etiam, quam antea, incumbentem tantus invasit in juvenem Phaönem amoris furor, ut omnis pudoris ac famae prioris oblivisceretur. Phaön

hic, quem deperibat, ex eorum genere hominum fuisse perhibetur, qui viatoribus e Lesbo in Asiae continentem trajiciendis diurnum sibi victum quaererent. Ad quem cum adcessisset Venus, anum referens, ut sese in alteram ripam transportaret, petenti, nulla mercede pacta, adnuit portitor. Majus vero donum, quam quod poscere licuisset, unde non speraret, ultro adcepit. Venus quippe naulum ei dedit alabastrum, sive vas lapideum, ansis carens, quo unguentum servare veteres maxime solebant. Unguento hoc, quod vas illud continebat, delibutus omnium aequalium longe formosissimus evasit, quo factum, ut omnes Mitylenenses feminae, in primis vero, ut videmus, Sappho, illum deamarent. V. Aelian. Var. Hist. L. XII. c. 8. Edit. Abr. Gronovii pag. 744 — 745. et Auct. in not. laud.

§. 4. Phaon autem Sapphus amorem tandem fastidiens, ut hujus ambitum evitaret, in Siciliam abiit, quo Sappho, amoris impotens, eum secuta, inmotum Juvenis animam in mutuum amorem excitare quam studiosissime tentavit. Maximis vero ejus conatibus non respondit eventus: quamobrem Sappho amoris ignibus plane ardens Ionio mari flammam exstinguere parat. Erat enim in dicto mari insula Leucas, ex cujus promontorio, Leucate, Apollinis templo insigni, in mare subjectum praecipitare se illi solebant, qui amore liberari sperabant. Ne vero dulcissimo illo amoris adfectu temere se solveret, Leucatesque, si forte quaedam Phaonis animi mutandi spes superesset, sese immergeret undis, denuo, quod desperaverat, consequi hac ad eum scribenda epistola conatur, qua absenti suae calamitatis invidiam facit, quam quidem calamitatem gravissimam esse ostendit, quippe quae ex tanta amoris spe, quam Phaon antea aluerat, exciderit. Praeterita itaque mutuae voluptatis gaudia Phaonis animo repraesentat, iisque lascive describendis, inque ejus memoriam revocandis, amoris, si forte laterent, scintillulas excitare adnititur, probe conscia, qua vi imaginatio in libidine polleat; nec meminisse supersedet, quantum in ore atque habitu decorem ac pulcritudinem gerat Phaon, ut et ardentissimum suum amorem excuset, et praestanti forma superbientem juvenis animum ad sui amorem hac praedicatione denuo perliceat.

Est autem, ut secundum Baptistam Egnatium Oudendorpius judicat, omnium fere pulcerrima haec epistola ac purissimae dictionis et lascivae Ovidii indoli ac luxurianti stilo adprime convenit.

Ecquid, ut inspecta est studiosae litera dextrae,
Protinus est oculis cognita nostra tuis?
An, nisi legisses auctoris nomina Sapphus,
Hoc breve nescires unde veniret opus?
Forsitan et, quare mea sint alterna, requiras,
Carmina: cum lyricis sim magis apta modis.

Vs. 1. *Ecquid* idem quod *num* significare exemplis ex Cicerone adlatis probavit Tursell. Op. l. in v.

Studiosae. Burmanno in not. ad h. vs. *te amantis, tibi studentis et juventis* explicanti adsentiunt Drakenb. et Oud., quorum prior addit, adjectivum *studiosus* simpliciter atque absolute positum non, ut quidem interpretantur, *literis atque eruditioni deditum* significare, sed alio demum nomine addito v. g. *studiosus juris.* Idem porro observat *studere, studium* et *studiosus* vocabula esse a *Circo et factionibus Circensibus* desumta, ubi, qui aurigae alicui favebat, ei *studere* dicebatur. V. Burm. ad Ovid. Am. L. III. El. 2. vs. 67.

3. *Auctoris nomina Sapphus.* Nisi legisses, me esse eam, quae mitteret epistolam (nam ita inscripta erat: *Sappho Phaoni*) penitus ignorares a quo mitteretur? Domit. Ex hoc, uti ex vs. 110. Ep. XIV, ut ait Drakenb., constat vocem *auctor* non tantum dici de *viro* sed et de *femina.*

4. *Breve.* De tempore proprie adhibetur. Hic vero vi *magnum* obponi quisque sentit. *Unde.* A qua. Uti *hinc* Sil. Ital. L. I. vs. 283; ita *unde* ad *personam* transtulit Sallust. Bell. Jugurt. c. 14, cetera. Drakenb. ad d. Silii vs. *Opus*, ut Graecum ἔργον, quamvis de re rustica saepius dicatur, tamen non raro, quidquid effectum sit, indicat.

Interrogatio, a qua haec epistola incipit, inquit Domit., ironiam quandam subostendit et infensa Phaonis crudelitati, sui oblivionem expostulat, atque accusat. Nihil enim aliud significant quatuor primi versus, nisi se jam deseri; dum ambigunt, utrum statim ille agnoverit literam, an nescierit, nisi legisset nomen, quod scilicet exciderat.

5. *Forsitan.* V. not. ad vs. 77. Ep. I.

Alterna. Alternis vicibus, hexametro, et pentametro constantia, Elegiaca. Cf. Ep. IV. vs. 89.

6. *Lyricis.* Quamvis Sappho Elegias, Hymnos, Epigrammata

Flendus amor meus est: elegeia flebile carmen.
Non facit ad lacrimas barbitos ulla meas.
Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accensis messibus ardet ager.
Arva Phaon celebrat diversa Typhoidos Aetnae;
Me calor Aetnaeo non minor igne coquit.

cubus sive carmina convivalia scripserit, in lyricis tamen regnavit. Omnium autem odarum, quas composuit, duae tantum supersunt, quas Dionysius Halicarn. et Longinus nobis servaverunt. Dionys. de Comp. Verb. tom. V. pag. 173. Longin. de sublimitate Sect. X. §. 1. Superiorum operum non nisi duo Epigrammata aetatem tulerunt. V. Fuhrm. l. in Argum. §. 1. laud.

7. *Flendus amor meus est.* Haec rationem reddunt, quare lyricis jam praeferat Elegiaca, *flebile carmen Elegia* enim, ut uit Voss. in Etym. in v. dicta est ab ἐ, ἐ, λέγειν, quae flentium vox apud Aristophanem. cit. Ovid. Am. L. III. El. 9. vs. 3. Heroid. h. Ep. vs. et Horat. l. I. Od. 33. vs. 2, 3. Mortuis enim deflendis instituti Elegi, mox, nomine retento, ad amores traducti sunt.

8. *Facit.* V. not. ad Ep. VI. vs. 128.

Barbitos. Proprie citharae vel lyrae genus, tribus chordis seu nervis tensum, ac grave sonans. Oud. Hic autem *barbito* lyrici modi significantur. Cf. Horat. L. I. Od. 32. vs. 5.

9. *Uror* etc. Elegantissime sane amoris aestum, qui in suo pectore fervebat, expressit Sappho; non tantum, quod verbo *uror* usus sit, amoris vehementiam indicante, sed et, cum verba ipsi deficerent, iis, quae sentiebat, satis respondentia, ad comparationem confugerit, ut oculis Phaön suis flammam videret, qua consumebatur. Quanta autem ignis quasi moles esset, qui messes depascebat, primo ex singulari *ignem* efficias, ut ager, totus quantus, flamma volvente, unus quasi ignis videatur. Adjectivi dein *indomitis* a saevis animalibus desumti vim quisque sentit. Nec quisquam magis graphice nobis ante oculos ponat *Eurorum* (unus enim Eurus ex Sapphus animi sensu non satis habebat virium) efficacitatem quam scribendo, *eos ignem exercere* sive flatibus suis ignis illius tanquam nimbum nunc huc pellere nunc illuc. Unde quanta pernicies oriri poterat! Materies denique igni illi alendo uberrima aderat, nam *fertilis* describitur ager.

11. *Arva — celebrat.* Frequen-

Nec mihi, dispositis quae jungam carmina nervis,
Proveniunt, vacuae carmina mentis opus.
Nec me Pyrrhiades, Methymniadesve puellae,
Nec me Lesbiadum cetera turba juvant.
Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno:
Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis:
Atque aliae centum, quas non sine crimine amavi.
Improbe, multarum quod fuit, unus habes.

tat. Versatur in. *Celebrare* et *celeber* proprie de *loco*, abusu de *personis* adhibetur. V. Schutzii Lexic. Cicer. in v.

Typhoidos Aetnae. Aetnae Typhoeŏ Giganti, qui cum fratribus quondam coelum obpugnasse narratur, a Jove injectae. V. Dorn Seiffen Op. l. in v. *Typhoeus.*

12. *Me calor Aetnaeo non minor igne coquit.* Vide, unde Hyperbole oriatur. Imaginatio enim, quo subsistat, non invenit; *summa* semper petit. Quam apte his verbum *coquere* adjungitur, quo de omni caloris effectu sive solis, sive coeli, sive ignis utimur; hinc notat uberiorem agitationem et afflictionem mentis corporisque prae gravissimis curis, ut ait Oud., qui Ennii versum excitat in Cic. de Senectute cap. 1. obvium. *Coquere* est ergo *sollicitare*, *affligere*, *macerare*.

13. *Nec mihi, dispositis — nervis* i. e. jungam cum sono concinnatae citharae, in qua olim quatuor erant nervi: sed Terpander Lesbius septem composuit, octavam Simonides, nonam Timotheus. Domit.

14. *Proveniunt.* Nascuntur, oriuntur. A re rustica hoc verbum transfertur ad ingenium ejusque opera. Ovid. Trist. L. I. El. 1. vs. 39. Sall. in Catil. c. 8. Ubi vid. Cortium. Ruhnk.

Vacuae curis et sollicitudinibus.

15. *Phyrriades* etc. V. van Lennep. ad h. vs. Sunt autem puellae ex Lesbi urbibus, Pyrrha et Methymna, oriundis, quae, quo delectaretur Sappho, amplius habebant nihil. V. Stephanus Byzant. de Urbibus in vv.

17. *Vilis Anactorie.* Defloruit mihi Anactorie, deformis est. Cf. vs. 41. Ep. III. vs. 187. Ep. XII. Anactorie, Cydno et Atthis puellarum a Sapphone adamatarum sunt nomina. V. Argum. §. 1.

20. *Improbe.* Perfide. Cf. vs. 77. Ep. X. vs. 104. Ep. XII. et not. ad h. vs.

Multarum quod fuit, unus habes. Affectus meos amatorios,

Est in te facies, sunt apti lusibus anni.
O facies oculis insidiosa meis!
Sume fidem et pharetram; fies manifestus Apollo.
Accedant capiti cornua; Bacchus eris.
Et Phoebus Daphnen, et Gnosida Bacchus amavit.
Nec norat lyricos illa, vel illa, modos.
At mihi Pegasides blandissima carmina dictant:
Jam canitur toto nomen in orbe meum.

quos in multas puellas dispensaveram, in te unum contuli, et quod multis satis erat, tibi uni esse non potuit. Domit.

21. *Est in te facies* etc. Facies apta lusibus, inquit Drakenb., est facies formosa; *anni apti lusibus* aetas juvenilis. *Lusus* ad voluptatem comparati sunt sine *ulla arte*, et *puerorum* pp. dicitur (V. Petron. c. 26.) contra, ubi *ars* est et *praemium*, *ludus* appellatur, ut *ludus aleae*. Domit.

22. *O facies* etc. Cum duo proposuerit jucunda in Phaone, alterum, quo magis eliciebatur, repetit et ingemiscendo auget. Domit.

23 *Sume fidem et pharetram.* Ipsis Diis immortalibus illos, qui ceteris longe praestabant inter homines, comparari maxima laus erat, scripsit Schraderus in Animadv. ad Musaeum c. 4. pag. 151. sq. ubi exemplis ex Homero aliisque petitis dicta confirmat. Cf. R. van Ommeren in deszelfs aanmerkingen op Q. Horatius Flaccus beschouwd als Burger van Rome n°. 22. pag. 177. *Fides* vero et *pharetra* Apollinis insignia sunt atque adtributa. V. Ep. V. vs. 139. Horat. L. I. Od. 21. vs. 11. Sil. Ital. L. VII. vs. 443.

24. *Bacchus* cornu insignis dicitur ab Ovid. A. A. L. III. vs. 348. a Tibullo L. II. El. 1. vs. 3. et Broukh. ad h. vs.

25. *Et Phoebus Daphnen et Gnosida Bacchus amavit. Nec norat* etc. Quidni tu, quamvis ad Apollinem et Bacchum forma adcedas, me, quae carminum Lyricorum praestantia per totum terrarum orbem summis in coelum tollor laudibus, tuo amore indignam judices? Apollinem Daphnes amatorem cecinit Ovid. Metam. L. I. vs. 452.

Gnosida. Ariadnen. vs. 68. Ep. IV. Argum. Ep. X. §. 7.

26. *Illa, vel illa.* Vulgo *haec* vel *illa*.

Lyricos — modos. Moduli sive numeri, ad quos cantantur versus Lyrici. Drakenb. laud. Ovid. Fast. L. V. vs. 386. A. A. L. III. vs. 318.

Nec plus Alcaeus, consors patriaeque lyraeque;
Laudis habet: quamvis grandius ille sonet.
Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formae damna rependo meae.

27. *At mihi Pegasides.* Pegasides, inquit Festus de Verb. signif. in v., Musae dictae sunt a fonte, quem Pegasus ictu ungulae fingitur aperuisse; ob quam causam a Graecis appellatae sunt *Hippocrenae*. De Pegaso vid. Hyginus fab. 151 et Dorn Seiffen Op. l. in v. Cum igitur Musas canendi habuisset magistras, quid mirum, si suavissimos e lyra excitaret sonos? Artem suam Phaëni probare melius non poterat Sappho.

29. *Nec plus Alcaeus.* De Alcaeo, Lyricorum praestantissimo, Sapphus popularis atque aequalis vid. Fuhrmann Op. s. cit. tom. I. P. I. pag. 307.

30. *Grandius ille sonet.* Cum et bellicas res canat, et in tyrannos intonet. Horat. L. IV. Od. 9. vs. 7. *Alcaei minaces* vocat *Camenas* L. II. Od. 13. vs. 21. sq. ita de Sapphone et Alcaeo;

« Quam paene furvae regna Proserpinae
Et judicantem vidimus Aeacum:
Sedesque discretas piorum, et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus;
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.
Utrumque Sacrae digna silentio
Mirantur Umbrae dicere; sed magis
Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus."

V. van Lennep in Animadv. ad h. vs. Larcher Histoire d'Herodote L. V. in not. ad §. 95. nº. 229.

31. *Si mihi difficilis* etc. V. Argum. §. 2. Quam naturam Ovid. hic vocat *difficilem* Nepos in Agesilao c. 1. adpellat *maleficam in corpore fingendo*. Oud. interpretatur, *avara, parca*.

32. *Rependo.* Compenso et pro forma, qua tibi grata esse nequeo, praebeo tibi ingenium meum, quod tibi inserviat. V. Burm. ad Phaedri fab. L. II. Proleg. vs. 12. Ab iis Metaphora desumta est, quae pari pondere per lancem appenso merces quasdam permutant sive aequant. Cf. vs. 78. Ep. IX. et not. ad h. vs. Val. Flacc. L. VI. vs. 580. L. I. vs. 661. et Burm. ad h. vs. Oud. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

Sum brevis: at nomen, quod terras impleat omnes,
Est mihi; mensuram nominis ipsa fero.
Candida si non sum, placuit Cepheia Perseo
Andromede, patriae fusca colore suae.
Et variis albae junguntur saepe columbae:
Et niger a viridi turtur amatur ave.
Si, nisi quae facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est: nulla futura tua est.

33. *Sum brevis.* V. Caesar de Bell. Gall. L. II. c. 30. *At — terras impleat.* Antithesin sentis qua gaudet Ovid. V. not. ad vs. 4. h. Ep. Nomen Sapphûs ergo tantum, ut, non dicam pervagetur, sed impleat omnem terrarum orbem, ut ne angulus quidem *nominis*, sive gloriae ejus vacuus supersit.

34. *Mensuram — ipsa fero:* a natura quidem brevem corporis mensuram sive staturam adcepi (vid. Maximus Tyrius diss. 24. c. 7. med. et Davisii not. ad h. l.) at quod ad nomen meum, hujus penes me est arbitrium; hoc ipsa meis animi dotibus tantum facio, quantum lubuerit.

35. *Candida si non sum.* Quid refert? μέλαναν dicit Max. Tyrius d. l. *Placuit Cepheia Perseo Andromeda*, quamvis *patriae* sive populi etc. Andromeda enim Cephei, Aethiopum regis filia, ob Cassiopeae matris superbiam, quae filiae formam Nereïdibus anteponeret, saxo adligata, ac belluae marinae objecta a Perseo, ejus amore capto, ea conditione liberata, ut sibi in matrimonium traderetur. V. Hyginus fab. 64. et Dorn Seiffen Op. l. in v.

37. *Et variis* etc. Varii, diversi coloribus maculosis. Oud. Voss. ad Catulli Epigr. 69. ad Mallium notat, columbas diversi coloris inprobiora decerpere oscula, quam faciunt ejusdem coloris.

38. *Viridi — ave.* Psittaco. V. Ovid. Am. L. II. El. 6. vs. 21.

39, 40. *Si — nulla futura tua est; nulla futura tua est.* Prior pars hujus versus sub conditione profertur, altera sub affirmatione. Si, inquit, *nulla tua futura est*, h. e. nullam amabis nisi quae *facie* i. e. praestantia formae *poterit videri digna te* i. e. convenire tuae formae: nulla futura tua est. Affirmando negat. Nullam omnino amabis; nulla enim tam formosa est, quam tu. Domit. Cf. Argum. §. 3.

At, me cum legeres, etiam formosa videbar:
Unam jurabas usque decere loqui.
Cantabam; memini: (meminerunt omnia amantes)
Oscula cantanti tu mihi rapta dabas.
Haec quoque laudabas: omnique a parte placebam.
Sed tum praecipue, cum fit Amoris opus.
Tunc te plus solito lascivia nostra juvabat,
Crebraque mobilitas, aptaque verba joco:
Quique, ubi jam amborum fuerat consumpta voluptas,
Plurimus in lasso corpore languor erat.

41. *At.* V. not. ad Ep. II. vs. 23.

Me cum legeres. Mea carmina. Cf. Ovid. Am. L. II. El. 1. vs. 5. A. A. L. I. vs. 2. Heins.

Etiam formosa. Quamvis Lennepio V. Cl. in animadv. ad h. vs. contra Wakkeri emendationem disputanti adsentiar; non tamen difficultatem sustulisse videtur, quae Wakkerum, credo, ad emendandum impulit; difficultatem nempe particulae *etiam* sibi recte interpretandi. Equidem mihi ita explico. Quamvis nulla sit femina, quae formae pulcritudine tibi par esse possit, neque prae te formosa tibi videatur: tamen, cum carmina mea legeres, non tantum ipsorum blanditiis capiebaris, sed et, *etiam*, ego, versuum illorum auctor tibi formosa videbar.

42. *Unam jurabas* etc. Cum vero meum sermonem audiebas, hic adeo tibi placebat, ut non satis haberes, quantopere eo delectareris, simpliciter dicere, sed cum adfectu, quae dixisses, jurejurando adfirmare. Cf. van Lennep ad vs. 41.

Unam — usque. Solam — semper. V. Tursell. Op. I. in v.

43. *Cantabam — (meminerunt omnia amantes).* Ratio vero, quare omnia, etiam minima meminerint, in ipso amore posita est, quo fit, ut omnia, quae ad rem amatam spectent, amanti maxima ac gravissima videantur, adjutrice imaginatione. Cf. Ep. II. vs. 7. Ep. III. vs. 101. V. not. ad vs. 1. Ep. XII.

44. *Oscula cantanti.* Dum canerem adhuc, inter cantandum, oscula delibabas. Adeo quippe tibi placebam, ut osculum ne differre quidem posses, donec canere desiissem.

45. *Haec.* Rapta, furtim sive celeriter data oscula.

46 — 51. *Sed tum praecipue* etc. V. Argum. §. 2. Aevi Ovidiani mores observetis, Inve-

Nunc tibi Sicelides veniunt, nova praeda, puellae.
Quid mihi cum Lesbo? Sicelis esse volo.
At vos erronem tellure remittite nostrum,
Nisiades matres, Nisiadesque nurus:
Neu vos decipiant blandae mendacia linguae. 55
Quae dicit vobis, dixerat ante mihi.
Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos,
(Nam tua sum) vati consule, Diva, tuae.

nes ornatissimi! ubi ita canere et Poëta auderet, et hisce describendis, quae pudor vetaret, placere posse speraret, atque aetati nostrae gratulemur, qua nemo, nisi perditissimus, talia scriptis mandaret, publicumque certe dedecus mandantem sequeretur et obprobrium.

Naturam tamen et indolem Sapphûs his versibus reddidisse dicendus est Ovidius. V. Argum. §. 2.

51. *Nunc tibi Sicelides* etc. Postquam Lesbo profugus in Siciliam perveniſti, jam ad te veniunt, ipsae feruntur puellae Siculae, tua pulcritudine adlectae, atque ita, ut ferae, in praedam tibi cedunt. Fuga ergo tua ostendisti, Lesbiades tibi sordere, praeplacere Siculas. Ne, quaeso, meum abjicias, repellas amorem, quod Lesbo orunda sim.

52. *Quid mihi cum Lesbo?* V. not. ad vs. 65. Ep. XIV. Indignabunda patriam, ne nunc Lesbiadis nomen sibi obsit, abjurat. In Siculis puellis numerari mavult.

53. *Erronem.* Sappho Phaönem leviore vocabulo appellavit, quam crimen ejus merebatur; nam *erro* est, qui sine causa vagatur et serius domum redit, quam convenerat. V. Ulp. Leg. 17. §. 14. Dig. ad *Aedilicium Edictum.* Hic autem per *erronem* intelligitur desertor perfidus; ut apud Tibull. L. II. El. 6. vs. 6. Drakenb. Haec dum scribebam, animum subit Moschi ἔρως δραπέτης. Quod elegantissimum carmen dignissimum est, quod legatur.

54. *Nisiades* dictae Megarenses, inquit van Lennep, et universe Siculae propter conditam urbem Megara Siciliae ab incolis Atticae urbis Megarorum, quae et *Nisea* dicta antiquitus ab rege Nisō. in animadv. ad h. vs.

55. *Blandae mendacia linguae.* Cf. vs. 81. Ep. VII.

57. *Erycina* ab Eryce, Siciliae sive Sicaniae monte, dicta Venus, quae in ejus cacumine templum habet omnium Siciliae templorum longe pulcerrimum atque opulentissimum. V.

An gravis inceptum peragit Fortuna tenorem,
Et manet in cursu semper acerba suo?
Sex mihi natales ierant, cum lecta parentis
Ante diem lacrimas ossa bibere meas.
Arsit inops frater, captus meretricis amore:
Mixtaque cum turpi damna pudore tulit.
Factus inops agili peragit freta caerula remo:
Quasque male amisit, nunc male quaerit, opes.

Ciofan. ad h. vs. Aderat ex veterum opinione Deus Deave semper eo in loco, ubi praesertim colebatur; ergo Venus *celebrabat* montes Sicanos. V. h. Ep. vs. 11. ibiq. not.

58. *Tua sum.* Tibi, tuis sacris dedita virgo quae sacris tuis operor, et hymnos in tuam laudem cano vates.

59. *An gravis* etc. V. not. ad vs. 112. Ep. VII. Cf. Ep. IV. vs. 61. Ep. VIII. vs. 60. *Gravis* ut vs. 60. *acerba* Metaphorice adcipienda adjectiva, alterum ab onerum pondere, alterum a fructuum, uvarum v. g. acerbitate translatum.

61. *Sex mihi natales ierant.* Sex annos natus eram. V. not. ad vs. 8. Ep. I.

Lecta parentis — ossa. V. not. ad vs. 150. Ep. X. et vs. 122. Ep. XI.

62. *Ante diem* fatalem. Ante diem mori dicuntur, qui praematura morte decedunt, vel morbo vel ferro. Cf. Hom. Il. L. I. vs. 3.

Lacrimas bibere ossa. Eleganti Metaphora res inanimatae bibere dicuntur vel combibere id, quo irrigantur. Drakenb. ad vs. 150. h. Ep.

63. *Arsit* libidine, mala voluptate. Frater vocabatur Charaxus, qui Rhodopis, Aesopi fabularum scriptoris in Cadmonis domo conservae, quam Xanthus Samius in Aegyptum detulerat, amore captus cum vinum Lesbium ad Naucratim comportaret, grandi pecunia amicam in libertatem redemit, opesque, quas comparaverat, cum illa vivens, male amisit: unde *inopem* patrem dicit Sappho. Ipse Charaxus tandem, omnibus amissis, in patriam rediit, Rhodopis in Aegypto remansit, ut corpore quaestum faceret. V. Herodot. Histor. L. II. c. 135. Wessel. et Larcher ad h. l. qui quidem nº. 432. observat praeter Charaxum duos fuisse Sapphoni fratres, Eurygium et Larichum.

64. *Mixtaque* etc. Horum verborum sensus ex superioribus efficiatur. Cf. Ep. X. vs. 38.

65. *Agili peragit freta caerula remo.* V. ad. Petronium

Me quoque, quod nonni bene multa fidelitar, odit.
Hoc mihi libertas, hoc pia lingua dedit.
Et tamquam desint, quae me sine fine fatigent,
Adcumulat curas filia parva meas.
Ultima tu nostris accedis caussa querelis.
Non agitur vento nostra carina suo.
Ecce, jacent collo sparsi sine lege capilli:
Nec premit articulos lucida gemma meos.
Veste tegor vili. nullum est in crinibus aurum.
Non Arabo noster rore capillus olet.

c. 19. Innuit vero piratam factum. Piratae enim ἀπὸ τοῦ πειρᾶν a *peragendo* et pervagando maria dicti: et hinc addit *male quaerit opes*, turpi quaestu, non, ut Domitius, multis incommodis et laboribus; nisi statuere velimus illum remigem factum. Burm.

67. *Bene multa*, plurima. *Bene* adjectivis (et verbis) junctum saepe auget atque idem valet, quod *valde*. V. Turnel. in v.

68. *Libertas* loquendi. Ignorant, inquit Quinct. J. O. L. VI. c. 2. p. m. 520, cupidi male dicendi aut affectatores *libertatis* plus invidiam, quam convicium posse; nam invidia adversarios, convicium nos invisos facit.

69. *Fatigent*. Exerceant, vexent.

70. *Adcumulat curas filia*. Tantas ergo facit, ut addi nihil queat. V. Argum. §. 3.

72. *Non agitur* etc. Vitam humanam navi, quae in cursu est, comparare, poëtis familiare est. Quo sensu ventus *suus* dicatur vid. in not. ad vs. 84. Ep. XII.

Carina. V. not. ad vs. 59. Ep. I.

73. *Ecce, jacent* etc. Cf. Ep. XIII. vs. 36. sq. De verbi *jacere* significatione evolvatur not. ad vs. 3. Ep. I.

Sparsi sine lege, incomti, inornati, non eo ordine nec forma positi, quam cultus leges sive mores praescribunt.

74. *Articulos* digitorum. Cf. Ep. X. vs. 140.

75. *Nullum est in crinibus aurum*. Solebant in rebus laetis crines conspergere ramentis aureis. V. not. Burm. ad Val. Flacc. L. VI. vs. 7, 10. Ovid. Ep. XXI. vs. 89. Drakenb.

76. *Arabo — rore capillus olet*. Unguento Arabo liquido capillis insperso, quo in secundis rebus veteres utebantur. Tibull. L. III. El. 4. vs. 28. No-

Cui colar infelix, aut cui placuisse laborem?
Ille mei cultus unicus auctor abest.
Molle meum, levibusque cor est violabile telis:
Et semper caussa est, cur ego semper amem.
Sive ita nascenti legem dixere sorores;
Nec data sunt vitae fila severa meae:
Sive abeunt studia in mores, artisque magistra
Ingenium nobis molle Thalia facit.
Quid mirum, primae si me lanuginis aetas
Abstulit, atque anni, quos vir amare potest?

tandum vero est, inquit Drakenb., antiquos non modo dixisse *olere aliquid* sed et *aliquia re*. De qua constructione ad h. vs. pluribus egerunt Heins. et Burm. tum ad h. vs., tum ad Val. Flacc. L. VIII. vs. 348. Quare pro *crinibus* van Lennep in animadv. cum Heinsio *cruribus* malit legere, videre licet in Animadv. ad h. vs.

79. *Levibus violabile telis.* Alatis Cupidinis telis vulnerabile. *Violare* saepe pro vulnerare poni, observat Drakenb. ad Liv. L. III. c. 69.

81. *Sive ita nascenti legem dixere sorores.* V. not. ad vs. 3. Ep. XII. Broukh. ad Tibull. L. I. El. 8. vs. 1. Ex hac itaque veterum persuasione intelligi licet, quare in perversorum morum ac vitae inhonestae correctionem ac mutationem non adeo incubuerint, nec morum praecepta nec bonorum exemplorum efficacitas in insipientium animos aliquid valuerint, cum quisque pessimus haberet, quo sese excusaret.

82. *Fila severa.* His verbis Sappho innuit a fatis id sibi datum esse, ut magis amori, quem rebus seriis operam daret. *Severus* enim dicitur, qui rebus ludicris, qualis amor est, non delectatur. Drakenb. atque opponitur molli, voluptatibus et amoribus dedito. V. Lennep in Animadv.

83. *Sive abeunt studia in mores.* Sive formamus mores studiis, in quibus versamur.

Artisque magistra — Thalia. Quare docuit me poësin mollem et simul tale ingenium instillavit; illa nempe praecipue praeëst amatoriis carminibus. V. Ovid. A. A. L. I. vs. 264; unde passim *lasciva Thalia*. V. Statius Sylv. L. V. carm. 2. vs. 90. Bentl. ad Horat. L. IV. Od. 6. vs. 25. Oud. van Lennep ad h. vs.

85. *Primae lanuginis aetas.* Tenera adolescentia, neque ad-

Hunc ne pro Cephalo raperet, Aurora, timebam.
Et faceres: sed te prima rapina tenet.
Hunc si conspicias, quae conspicis omnia, Phoebe:
Jussus erit somnos continuare Phaon.
Hunc Venus in coelum curru vexisset eburno:
Sed videt et Marti posse placere suo.
O nec adhuc juvenis, nec jam puer: utilis aetas!
O decus, atque aevi gloria magna tui!

huc juvenis nec amplius pueri, cum genis inerescere coepit mollior barba, dicta *lanugo*. V. Ovid. Metam. L. IX. vs. 398. L. XII. vs. 291. L. XIII. vs. 754. Oud.

86. *Abstulit.* Rapuit allectam in amorem, dejecitque mentem et consilium. Domit. V. Ovid. Ep. XII. vs. 36. et not. ad h. vs.

87. *Hunc ne pro Cephalo raperes.* Quam suavis sit apostrophe, et orationis varietate delectet et legendi studium quasi recreet, ipse lector sentiat. De Cephalo ab Aurora rapto vid. Dorn. Seiffen in v. Ovid. Ep. IV. vs. 93. sq.

88. *Et faceres.* Verbum *facere* praecedentis verbi notionem adsumere solere, alibi, nisi fallor, observavi. Est adeo, *et rapuisses.*

Prima rapina, Cephalus, *te tenet*, amore suo inretitum tenet; sive amas adhuc, quem primum rapuisti. V. Sil. Ital. L. III. vs. 65. Drakenb.

89, 90. *Quae conspicis omnia, Phoebe* etc. sive Luna cujus in Endymionem amor est notissimus. Ut autem sine infamia hoc juvene potiri posset, effecisse dicitur, ut *continuo* in Latmo Cariae monte somno opprimeretur. V. Ovid. Ep. XVIII. vs. 61. sq. Drakenb. et elegantissimum Pootii nostri carmen, quod inscribitur, De Maen by Endymion, Operum tom. I. pag. 154. Edit. An. 1759. in 4to.

91. *Curru vexisset eburno.* Omnia instrumenta, quibus Deae utuntur, plerumque aurea fingi solent; hic tamen Veneri tantum tribuitur currus eburneus; cui alibi aureum, alibi eburneum pectinem adscribi observat Spanhem. ad Callim. hymn. in Palladem vs. 31. Drakenb.

92. *Et Marti posse placere suo.* De vi hujus pronominis saepius vidimus. Addo tantum *suum* hic vocari *adulterum*. Vulcano enim nupserat. V. Dorn Seiffen in v. et Poot supra cit. tom. I. pag. 137, 143.

93. *O nec adhuc juvenis* etc. Rursus redit Sappho in memo-

Huc ades: inque sinus, formose, relabere nostros. 95
Non ut ames, oro, verum ut amare sinas.
Scribimus, et lacrimis oculi rorantur obortis.
Adspice quam sit in hoc multa litura loco.

riam, et laudem juvenilis Phaönis aetatis ad amorem utilis, ac praestantissimae formae, qua ejus aequales glorientur, ut haec cogitatio amantis animo quam firmissime insideat, unde optima quaevis sibi futura sperat. Cf. vs. 21. sq. et 85. h. Ep. et not. ad dd. vv.

95. *Huc ades.* Blandientis est mulieris et amanter gestientis. Domit.

Inque sinus, formose, relabere nostros. Rursus formam praedicat Sappho, unde efficere licet, Lesbiam, sive mavis, Ovidium ab hac parte expugnabilem maxime credidisse Phaönis animum. *Sinus*, inquit Drakenb., dicitur pp. notare *illam curvitatem sive cavitatem, quae est inter pectus et extensa brachia*; hinc ponitur pro *veste*, quae partes illas corporis tegit, et generatim pro *omni veste*. Vid. Ep. V. vs. 71. (et not. ad h. vs.). Insuper quoniam, qui aliquem amplectitur, *sinum* pp. dictum efficit; hinc etiam *sinus* ponitur pro *amplexu*, quo sensu accipi debet Ep. III. vs. 114. et alibi saepe. *Relabere* universe est *revertare*; quo quidem verbo, cum *de navigatione* (eaque celeri, in mari placido ac quieto) saepius adhibeatur, hic utitur (Sappho vel Ovidius) quia Phaön degebat in Sicilia, unde non nisi itinere maritimo ac navi in Lesbum reverti poterat. V. Ep. X. vs. 149. Drakenb.

96. *Non ut ames* etc. Praecidere ita omnem in Phaönis animo moram causam voluit amore furens Poëtria. Si, inquit, *amare* tibi fastidio sit, ideoque huc reverti nolis; hoc, quaeso, ne te moretur: non enim rogo, ut *me ames*, patiaris tantummodo *a me amari*.

97. *Lacrimis oculi rorantur obortis. Rorare*, roris instar stillare. *Neutro* sensu saepius occurrit. Rarius *activa* et *passiva* significatione *rorare et rorari* ponitur pro irrigare et irrigari. *Passive* occurrit Ep. XIX. vs. 124. *Active* apud Sil. Italic. L. X. vs. 263. Drakenb. *Neutrius* significationis exempla, vid. in not. ad Sanct. Minerv. a Viro Cl. cit. L. III. c. 3. p. m. 375.

Obortis. Inter scribendum. Domit.

98. *In hoc multa litura loco.* Animum Lector praecipue advertat ad pronomen *hoc* et adjectivum *multa*. Hunc enim locum, modo nempe exarata verba « *non ut ames, oro* etc.

Si tam certus eras hinc ire, modestius isses;
Et modo dixisses: Lesbi puella, vale.
Non tecum lacrimas, non oscula summa tulisti.
Denique non timui, quod dolitura fui.
Nil de te mecum est, nisi tantum injuria: nec tu,
Admoneat quod te, pignus amantis habes.
Non mandata dedi: neque enim mandata dedissem
Ulla, nisi, ut nolles immemor esse mei.

Phaonem vehementer amantis Sapphûs animum quam maxime commovere ac percellere necesse erat. Quae, quaeso! amantissima femina *multis*, copiosissimis, sine lacrimis Virum, cujus in amore omnis vitae felicitas sita erat, rogare poterat, ne se amaret, cum subjuncta negatione, ut se ipsi tantum praeberet amandum, quam manifestissime declararet, quo amoris aestu, quamvis ipse frigeret, in illum exardesceret. Ferreus sit necesse est, quem haec non *frangant*. Cf. Ep. III. vs. 61 ibiq. not.

99. *Modestius isses.* Non ausfugisses a me insalutata, quam me ultimo quidem adspectu valedictione dignatus es; unde nec meis lacrimis vidisti, neque oscula accepisti, neque ultima mandata audivisti, atque isto pacto non habes, quoque ullum amoris mei pignus, cujus admonitione et suggestu possis recordari tuae Sapphûs. Ovid.

100. *Lesbi puella.* Haec erat appellatio sine ullo amoris indicio saltem, si non proprio nomine, aut amicam appellans, dixisses: „Lesbi puella, vale.“ Domit.

101. *Non tecum* etc. V. Ovid. not. ad vs. 99. *Oscula summa*, ultima, suprema? V. Ep. XI. vs. 114. Drakenb.

103. *Denique non timui* etc. Non timui discessum tuum, ob quem eram dolitura. Domit. Praeter exspectationem ergo Phaonis discessus Sapphoni adcidit. Verissimum enim, quod ait Cic. Tusc. Quaest. L. III. c. 28. „Id quidem dubium non est, quin omnia, quae mala putentur, sint improvisa graviora.“

103. *Nil de te.* Praepositio *de* hic inservit circumscribendo adjectivo, ut *nil de te* sit *nil tuum*. Drakenb.

Injuria, qua abiens me adfecisti.

Nec tu, admoneat etc. V. not. ad vs. 99. cf. vs. 132. Ep. III. not. ad vs. 135. Ep. IX.

105. *Mandata dedissem.* V. not. ad vs. 7. Ep. XIII.

Per tibi, qui numquam longe discedat, Amorem,
Perque novem juro, numina nostra, Deas;
Cum mihi nescio quis, Fugiunt tua gaudia, dixit;
Nec me flere diu, nec potuisse loqui.
Et lacrimae decrant oculis, et lingua palato:
Adstrictum gelido frigore pectus erat.
Postquam se dolor invenit; nec pectora plangi,
Nec puduit scissis exululare comis.

107. *Per tibi, qui — discedat, Amorem — juro.* Adjuro tibi per Amorem, qui ut numquam longe sive procul a me discedat, ex animo opto. Ita verbum *discedat* interpretantur et Egnatius et Heinsius, cum Drakenb. ad h. vs. observet, uti saepius, in obtestationibus, sic et hic, inter praepositionem et casum, quem praepositio regit, multa verba inveniri interposita, laud. vs. 73. Ep. X.

108. *Novem — numina nostra*, nobis faventia, *Deas*, Musas Mnemosynes et Jovis filias.

109. *Nescio quis.* V. not. ad vs. 124. Ep. VII. Simplicitate narrationis fidem, quam juramento paraverat, omni ex parte implet; nam ita narrat, ut non aliter accidisse credibile sit. Domit.

Fugiunt. Quae verbo vis insit, me tacente, intelligitur.

110. *Nec me flere diu* etc. V. not. ad vs. 102. h. Ep. Cetcrum ipsa in seq. hujus rei rationem reddit.

112. *Adstrictum.* Contractum, quae contractio frigoris effectus est. Cf. vs. 22. Ep. I. et Horat. L. I. Od. 4. vs. 1.

113. *Postquam se dolor invenit.* Postquam ex subita perturbatione ad me redii, et vere sensi, quam misera essem, te in Siciliam tacite profecto: sive (quod equidem malim) postquam ipse dolor suum sensum adcepit, atque erumpere potuit, hactenus latens intus, oppressus nimis inopino casu. V. Gronov. Observ. L. II. c. 21. Oud. Cf. Ovid. Ep. XIII. vs. 29. et not. ad h. vs.

Nec pectora plangi etc. Cf. Ovid. Ep. V. vs. 1. Ep. X. vs. 145. Ep. XI. vs. 91. Ep. XII. vs. 153.

114. *Exululare.* Plus est, quam *ululare*; prius enim (ob intensivam praepositionis virtutem) significat *alta voce ululare*. Sil. Ital. L. XII. vs. 599. Drakenb. In not. ad d. Silii locum quae leguntur, modo adfirmatis pugnant. Ibi enim Vir Cl. *exululare* et *ululare*, inquit, est *flere*, *ejulare*. Quae

Non aliter, quam si gnati pia mater adempti
Portet ad exstructos corpus inane rogos.
Gaudet, et e nostro crescit moeroré Charaxus
Frater: et ante oculos itque reditque meos.
Utque pudenda mei videatur caussa doloris:
Quid dolet haec? certe filia vivit, ait.

vero ad h. Ovid. vs. adnotavit, veriora autumo.

115, 116. *Non aliter, quam si* etc. Summum itaque dolorem indicare hoc simili voluit Sappho; quare matris ejusdemque piae meminit, cujus in liberos amor omnes omnium amores superat, adeoque ob nati mortem quam maximo dolore adficiatur necesse est.

Adempti. V. ad vs. 93. Ep. XIII.

Corpus inane animi vacuum dici quis nescit?

Portet ad — rogos. Per se, quamvis. ejus non meminisset Drakenb., patet, non matrem cadaver usque ad rogos ipsam portasse, sed curasse, ut portetur, a proximis heredibus ad rogum exferatur. V. Kirchm. de Fun. L. II. c. 8. Nec vero sexus feminini cognati, ut sit idem Drakenb., funus prosequebantur sed defuncti mater in funebri pompa adesse solebat.

117. *Gaudet et — crescit*, i. e. gaudio exsultat, et invidiorum proprium est. Eandem phrasin nos Belgae adhuc habemus; *hy groeit daarin.* Heins. Moeror itaque est quasi pabulum quo gliscit ac crescit.

Charaxus. V. not. ad vs. 63.

118. *Itque reditque.* Cf. Phaedri L. II. fab. 8. vs. 12. Notavit quidem Oud. hanc formulārem esse locutionem de ejusdem loci frequentatione. Mentem vero, qua iret ac rediret Charaxus, non explicuit. Hoc scilicet faciebat, ut moerorem in sororis animo identidem renovaret ac refricaret, cujus, ipso viso, non poterat non méminisse.

120. *Quid dolet haec* i. e. propter quid? verba sunt Charaxi insultantis sorori, et acerbe objurgantis amoris turpitudinem. Domit.

Certe filia vivit. Cf. vs. 3. Ep. I. Ad id refert, inquit Domit, quod dixit antea, se non minus dolere, quam quae luget filium amissum. Cui addit testimonium fratris. Is enim cum videat tantum ejus dolorem, quantus in funere filii esse solet, (innuens eam alia de causa dolere, quae quidem turpis est) non debet, inquit, tantopere agi, nec hic moeror est, quod filium amiserit; haec saltem vivit.

Non veniunt in idem pudor atque amor, omne videbat
Vulgus: eram lacero pectus aperta sinu.
Tu mihi cura, Phaon: te somnia nostra reducunt,
Somnia formoso candidiora die:
Illic te invenio, quamquam regionibus absis;
Sed non longa satis gaudia somnus habet.
Saepe tuos nostra cervice onerare lacertos,
Saepe tuae videor supposuisse meos.
Blandior interdum, verisque simillima verba
Eloquor: et vigilant sensibus ora meis.
Oscula cognosco, quae tu committere linguae,
Aptaque consueras accipere, apta dare.

121. *Non veniunt in idem pudor atque amor.* Idem non potest pudoris habere rationem, et dare operam amori. Domit. V. van Lennep in Animadv.

In idem venire est copulari, conjungi, misceri. Cf. Ovid. Ep. IV. vs. 144.

122. *Omne videbat vulgus* scil. me, et tamen *eram lacero* etc. negligebam adeo vulgus; non enim poteram servire pudori, cum tam perditae amarem. Domit. *Sinus* vestem notat.

123. *Tu mihi cura, Phaon.* Te solum curo; prae te omnes negligo, quorum me non pudet.

Te somnia nostra reducunt e Sicilia in Lesbum scil., ut ad latus meum in eodem lecto jacere mihi videaris. Cf. Terent. Eun. Act. I. sc. 2. vs. 112. sq.

124. *Somnia* etc. De Hyperboles vi atque origine alibi egimus. *Candidus*, inquit Drakenh., hic positus pro *pulcher*, quae vocabuli significatio ex ipsa rerum natura petita est, qua pulchriora plerumque habentur, quae *candida*, quam quae *nigra* sunt. Cf. va. 316. Ep. XVI.

125. *Illic te invenio.* In somnis saltem te amplector. Domit.

127. *Saepe tuos* etc. Ostrabat Phaonis lacertos, cum in eos reclinata jacebat. Sappho; subponebat vero suos, cum ipsa ulnis amplectebatur Phaonem. Cf. Ep. XIII. va. 106.

130. *Vigilant sensibus ora meis. Sensibus meis* dativus est commodi, gratiae. *Sensus* notant *animi sententiam*. Ora ergo, sensibus meis indulgentia, sola vigilant, reliquo corpore sopito. Per somnum os animi sensa profert; loquor cum Phaone dormiens, ac si vigilem.

131. *Committere* est *jungere*.

Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiant.
Et juvat, et sine te non libet esse mihi.
At cum se Titan ostendit, et omnia secum:
Tam cito me somnos destituisse queror.
Antra nemusque peto, tanquam nemus antraque prosint.
Consciа deliciis illa fuere tuis.
Illuc mentis inops, ut quam furialis Erichtho
Impulit, in collo crine jacente, feror.
Antra vident oculi scabro pendentia topho,
Quae mihi Mygdonii marmoris instar erant.

V. Ovid. Ep. H. vs. 31. Conjuncta oscula per linguam inditat. Burm.

133. *Apta* (oscula) *dare*. Ore commode et apte applicato dare, uti explicat Heyn. ad Tibull. L. I. El. 4. vs. 54. Ad quem vs. Heynium perperam adhibuisse hunc Ovidii versum probat Wyttenb. Biblioth. Crit. Vol. I. P. 3. §. 3. pag. 71. sq. Oscula enim, inquit V. Cl., Sapphûs non erant detrectantis, qualia hic propter praecedentem et sequentem versum requiruntur, sed lascivientis in amore. De osculo vid. Ant. Hotmans de veteri ritu Nupt. c. 11. in Thes. Ant. Rom. Graev. tom. IV. pag. 1119.

134. *Et sine te* etc. V. van Lennep in Animadv.

135. *At cum se Titan* etc. V. not. ad vs. 105. Ep. VIII.

136. *Destituisse*. V. not. ad vs. 78. Ep. V.

137. *Prosint*. Lenire possint desiderium meum. Domit.

138. *Conscia deliciis*, voluptatibus, amoribus. *Loca* a poëtis saepe dici *conscia*, ab hominum natura petitum est, uti alibi me observare et explicare memini.

139. *Furialis Erichto*. Erichto, inquit Micyllus ad h. vs., Thessala venefica sive maga fuit, cujus opera (ad belli fata aperienda) Pompejus, Magni filius, quoque usus est, de qua prolixe Lucan. L. VI. (vs. 508). Sed hic Ovidius pro generali nomine veneficarum, posuisse videtur, *speciem pro genere* usurpando.

140. *In collo crine jacente*. Cf. vs. 47. Ep. X. furiosae scil. *Ferri*, inquit Burm., impulsi furiis et gravissima perturbatione mentis proprie dicuntur. Horat. L. I. Sat. 4. vs. 30. Cic. pro Quinct. c. 11.

141. *Scabro pendentia topho*. Antra arcuata, fornicata, camerata. Drakenb. *Pendentia* dicta, quod pendere videbantur,

Invenio silvam, quae saepe cubilia nobis
Praebuit, et multa texit opaca coma:
At non invenio dominum silvaeque meumque. 145
Vile solum locus est: dos erat ille loci.
Agnovi pressas noti mihi caespitis herbas;
De nostro curvum pondere gramen erat.
Incubui; tetigique locum, qua parte fuisti:
Grata prius lacrimas combibit herba meas. 150
Quin etiam rami positis lugere videntur
Frondibus: et nullae dulce queruntur aves.

nullo fulcro sustentata. Cf. Ovid. Ep. X. vs. 26. *Tophus* autem est, ut monuit Drakenh., genus lapidis asperi, qui facile in arenam resolvitur, cujus meminit Ovid. Fast. L. II. vs. 315. Tophus vero vocatur *scaber* propter calculos arenarios, quibus obsitus est; unde fit, ut scaber sive asper sit. Plin. H. N. L. 38. c. 6. Ex oppositione tandem marmoris Mygdonii in vs. seq. patet tophum fuisse lapidem minoris pretii. Eadem oppositio occurrit apud Suet. in Claud. c. 21, ubi in not. laudatur Juvenalis Sat. III. vs. 20.

142. *Mygdonium marmor*, Phrygium. Phrygius enim populus e Mygdonia, Macedoniae regione prope Thraciam, oriundus. V. Dorv. Seiffen. Op. l. in v. *Phrygius lapis.*

143. *Silvam*, *quae* etc. Cf. Ep. V. vs. 13. sq. et not. ad h. vs.

146. *Vile — dos erat ille* (emphatice) *loci.* Dequi et pretiosum ornamentum, quo uno commendabilis mihi hic est locus per se vilis. Ovid. V. Sil. Ital. L. XV. vs. 196. Tanaq. Faber ad Phaedr. fab. I. I. praef. vs. 3. Drakenh. Adscripsit autem Vir doctus: quin *dos* quoque dicatur in singulari, pro utilitate, fructu, ornamento, nemo dubitabit, qui apud Ovid. Metam. L. V. vs. 561. legerit *dotem oris* pro *eloquentia.* Unde efficere licet, quanti ab antiquissimis inde temporibus in conjuge *dotem* fecerint. Quod ideo tantum moneo, ne et hac in re tempora nostra queramur, ut acti temporis laudatores solent.

149. *Incubui.* V. Ep. X. vs. 51. et not. ad h. vs.

150. *Grata prius lacrimas combibit* etc. Gravis oppositio, tanta fortunae mutatione. Cf. vs. 62. h. Ep.

151. *Quin etiam rami* etc. V. not. ad vs. 138. h. Ep.

152. *Dulce* (dulci sono) *que-*

Sola virum non ulta pie moestissima mater
Concinit Ismarium Daulias ales Ityn.
Ales Ityn, Sappho desertos cantat amores.
Hactenus: ut media cetera nocte silent.
Est nitidus, vitreoque magis perlucidus amni,
Fons sacer; hunc multi numen habere putant:

rantur aves. V. not. ad vs. 8. Ep. X.

153. *Virum non ulta pia.* Impietate pia, quod potius non interfecerit Tereum maritum, quam Itym filium. Domit. Quem filium patri epulandum adposuit, postquam Procne, mater Pandionis, Athenarum regis filia, intellexerat, maritum Philomelae sorori stuprum intulisse, stupratamque, exsecta lingua, clausam tenere, ne injuriam sibi factam vel sorori vel patri communicaret. Omnium misertii Dii Tereum in upupam vel accipitrem, Procnen in hirundinem, Philomelam in luscinium, Itym in palumbem mutarunt. V. Ovid. Metam. L. VI. vs. 424. sq.

154. *Ismarium.* Thracium. V. not. ad Ep. I. vs. 46.

Daulias ales. Hirundo. Procne. In Daulide, Phocidis urbe, regia Terei sede, quam tum temporis Thraces, quibus Tereus imperabat, tenebant. V. Holsten. ad Stephanum de urbibus in v. Daulis, quem ad h. l. laudat Drakenb.

154, 155. *Ales Ityn, Ales Ityn.* Hujusmodi repetitionibus, ut Tibullum, ita Ovid. gaudere observat Wyttenb. V. Cl. Bibl. Crit. Vol. I. P. III. pag. 73.

156. *Hactenus.* Proprie scriptores Latini hac voce usi sunt pro adverbio *loci; usque ad hunc locum.* Vel etiam de re, *ad hanc rem usque*, non pro adverbio *temporis; ad hoc usque tempus.* V. Vorst. de Latinitate merito suspecta c. 18. His autem *hactenus* cum vocula *ut* constructa alio adhuc sensu ponitur pro *in tantum.* Cic. de Divin. c. 8. De Orat. L. III. c. 27. Drakenb. V. Turnell. in v. et Chr. Godofr. Schutzius in Lexico Ciceroniano in v.

Ut media etc. *Ut*, tanquam, quasi media essent noctis silentia. Oud. Domitius hunc versum interpretatur: „usque ad mediam noctem, donec omnia silent."

157. *Est.* Ab hoc verbo locorum apud poëtas descriptio initium capere fere solet.

Magis perlucidus amni fons sacer. V. ad h. vs. Lennepii Animadv.

158. *Numen habere.* Genium,

Quem supra ramos expandit aquatica lotos,
Una nemus; tenero cespite terra viret.
Hic ego cum lassos posuissem fletibus artus,
Constitit ante oculos Naïas una meos.
Constitit, et dixit: Quoniam non ignibus aequis
Ureris, Ambracias terra petenda tibi.
Phoebus ab excelso, quantum patet, adspicit aequor:
Actiacum populi Leucadiumque vocant.
Hinc se Deucalion, Pyrrhae succensus amore,
Misit, et illaeso corpore pressit aquas.

qui tam loci, quam hominis Deus est. Domit.

159. *Aquatica lotos*, quae aquosa loca amat, aqua gaudet. De loto *arbore* et *herba* vid. not. Burm. ad Quinct. I. Q. L. V. c. 8. init.

160. *Una nemus*. Sola lotos facit nemus ramis suis. Domit. Amplissima ergo arbor.

Tenero cespite. Gracili adeoque molli gramine in cespitibus crescente. Qud.

162. *Naïas una*. Naïas quaedam. Una ex Naïadibus. V. van Lennep ad h. vs. De hac *unius* significatione vid. Davis. ad Caes. B. G. L. V. c. 45. Naïades autem fontium Deae e Nereo et Doride prognatae.

163. *Constitit*. *Constitit*. V. not. ad vs. 154, 155. h. Ep.

Ignibus aequis ab utraque parte, paribus; mutuo *ureris*. *Ignes* et *urere* amoris vehementiam aperire, notissimum est.

164. *Ambracias*, iadis, Graeca forma. Ambracia, Pyrrhi, Epiri regis, ad sinum Ambracium sedes primaria. V. Argum. §. 4.

165. *Phoebus* etc. Qui, ut ex d. §. patet, ibi templum habebat, habitare eodem in loco censebatur; hinc *Phoebus adspicit* pro templum Phoebi jacet ad etc.

166. *Actiacum*. Post victoriam ab Augusto de Cleopatra Aegypti Regina et Antonio reportatam maris illa Iönii pars *Actiaca* dicta est ab Actio urbe ad Ambracium sinum sita, ad quam dictam cladem passus est Antonius cum sua.

167. *Deucalion*, *Pyrrhae*. V. Dorn. Seiffen. in v. v.

168. *Pressit aquas*. Ipsum nobis ob oculos ponitur temporis punctum, quo, cum praecipitem se dedisset Deucalion, maris superficiei incumbere corpore coepit. Proprie enim suo pondere *aquam pressisse* dicitur humani generis instaurator.

Nec mora: versus Amor tetigit lentissima Pyrrhae
Pectora; Deucalion igne levatus erat.
Hanc legem locus ille tenet: pete protinus altam
Leucada: nec saxa desiluisse time.
Ut monuit, cum voce abiit. ego frigida surgo:
Nec gravidae lacrimas continuere genae.
Ibimus, o Nymphe, monstrataque saxa petemus.
Sit procul insano victus amore timor.
Quidquid erit, melius quam nunc erit. aura, subito:
Haec mea non magnum corpora pondus habent.

169. *Nec mora.* Praesentissima aquarum significatur efficacitas.

Versus. Amor in Pyrrham scil., relicto Deucalione.

Tetigit, sive ut sagitta, sive ut ignis. Utrumque enim *tangere* et *contingere* saepe dicitur. Oud.

Lentissima, frigidissima. V. not. ad vs. 1. Ep. I. Petron. c. 26.

170. *Igne levatus erat.* Vehementi amore, quo premebatur, levatus, liberatus erat.

171. *Hanc legem locus ille tenet.* Illa est (*constans, immutabilis*, ob verbum *tenet*) natura, conditio, indoles istius loci. V. Ep. VII. vs. 156. Drakenb. Mecum facit Ruhnk., cum dicat ad h. vs. «In verbo *tenere* est quaedam *constantiae* et *pertinaciae* significatio.»

173. *Cum voce abiit.* His dictis, statim abiit, ac conspectum meum fugit. Ceterum ad vocem *abiit* notat Drakenb. ultimam verbi syllabam, natura brevem, ob caesuram produci. cit. vs. 31. Ep. VI.

Frigida. Cf. vs. 22. Ep. I.

174. *Gravidae — genae.* Oculi lacrimas quasi conceperant, ac jam parturientes foetum continere, complecti, exactis mensibus, non amplius poterant. De v. *Genae* signif. supra dictum est.

175. *Ibimus* etc. En Sapphûs animum persuasum, et ad quaevis pericula subeunda paratum, dum idem ipsi adcidat, quod Deucalioni adcidisse supra scripserat.

176. *Insano victus amore timor.* Vis timoris declaratur participio *victus*, vi superatus ab amore eoque *insano*. V. not. ad vs. 6. Ep. I. et vs. 53. Ep. VII. *Timor.* V. vs. 172. h. Ep.

177. *Quidquid erit.* Consolationis est formula. Cf. Ep. XIII. vs. 51. Oud. Quodcunque malum inde eveniet, levius erit, quam illud, quo nutie

Tu quoque, mollis Amor, pennas suppone cadenti!
Ne sim Leucadiae mortua crimen aquae.
Inde chelyn Phoebo, communia munera, ponam:
Et sub ea versus unus et alter erunt:
Grata lyram posui tibi, Phoebe, poëtria Sappho.
Convenit illa mihi, convenit illa tibi.
Cur tamen Actiacas miseram me mittis ad oras,
Cum profugum possis ipse referre pedem?

premor. Ep. VII. vs. 71. Drakenb.

177, 178. *Aura, subito: Haec mea* etc. Per Apostrophen poëtis et oratoribus familiarem, ad auram sermonem vertit Sappho, ut sui misereatur, ac corpus cadens sustineat; id quod facile aura posset, quia amoris cura ac sollicitudo illud extenuasset, omne fere pondus ademisset. Ne itaque operis difficultate ab ope ipsi ferenda absterreretur aura, invitationi subjecit «*Haec mea* etc."

179 *Tu quoque, mollis Amor* etc. Tenerum Cupidinem rogat, ut alas ipsi subponat, quarum beneficio *illaeso corpore promat aquas*. vs. 168. h. Ep. *De Cupidine alato*. vid. not. ad vs. 38. Ep. VIII. et Heusdii V. Cl. Initia Philosophiae Platonicae P. I. pag. 131. Cupidinem invocat Sappho, inquit ad h. vs. Domit., non tam numen propitium, quam ad historiam alludens. Nam Leucadii cum sontem demittebant, addebant pennas, ne *casu* periret.

180. *Ne sim — mortua crimen*, i. e. ne mea mors sit crimini (invidiae, infamiae) aquae Leucadiae. Cf. vs. 51. Ep. IX. et not. ad h. vs.

181. *Inde chelyn Phoebo, communia* (nobis) *munera, ponam*. Deinde citharam vel lyram — consecrabo. V. not. ad Ep. I. vs. 26.

182. *Unus et alter. Duos* significat, ut h. l.; vel indefinite, *plures*. V. Ruhnk. Dicta in Terentii Andr. Act. I. sc. 1. vs. 50. Uti et Oud. exposuit h. Terent. l. l. laud.

183. *Grata posui*. Adjectivum facti causam reddit. Cf. vs 181. h. Ep. *Grata*, inquit Domit., quod tuo nomine servata sum incolumis et amore liberata tua vates. Ex quibus postremis verbis adparet, quare Apollinem Deum invocaret. Idem patet ex seq. *Poëtria* Sappho.

184. *Convenit*. Cf. vs. 181. h. Ep.

185. *Cur tamen Actiacas — mittis ad oras*, sive me cogis

Tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda:
Et forma et meritis tu mihi Phoebus eris.
An potes, o scopulis, undaque ferocior illa,
Si moriar, titulum mortis habere meae?
At quanto melius jungi mea pectora tecum,
Quam poterant saxis praecipitanda dari!
Haec sunt illa, Phaon, quae tu laudare solebas:
Visaque sunt toties ingeniosa tibi.
Nunc vellem facunda forent! dolor artibus obstat:
Ingeniumque meis substitit omne malis.
Non mihi respondent veteres in carmina vires.
Plectra dolore tacent: muta dolore lyra est.

tam desperato amoris remedio uti, o Phaōn! ad hunc est Apostrophe, a quo erat digressa Sappho. Oud.

Actiacas. V. not. ad vs. 166. h. Ep. Argum. §. 4.

186. *Profugus pes* qui a Poëtis dicatur, in promtu est. *Profugum autem pedem referre* est, interpretante Drakenb., profugum redire.

Ipse interpretor *ultro*, tua sponte, nemine vel re vel persona impediente.

187. *Esse salubrior.* Certiorem salutem afferre. Drakenb.

188. *Et forma et meritis. Forma*, inquit Drakenb., refertur ad pulchritudinem; *merita* ad opem salutiferam.

189. *Scopulis, undaque ferocior illa.* V. Ep. VIII. vs. 9.

190. *Titulum.* V. Ep. VII. vs. 76. ibiq. not.

192. *Praecipitanda dari.* Distentio a Drakenb. V. Cl. phrasin *praecipitanda dare* aequiparante τῷ *praecipitare.* In verbo enim *dare* equidem video notionem *voluntatis.* Quid enim prohibet, quo minus nolens quis praecipitari possit? id quod hic in censum venire nequaquam potest.

193. *Haec sunt illa* etc. Nempe pectora Cf. vs. 41. sq. h. Ep.

195. *Nunc vellem* (ut) *facunda forent*, quo pacto formosa tibi viderer, atque ipse ad me redires. Cf. vs. 41. h. Ep.

Dolor artibus obstat. Ingeniumque etc. V. Ovid. Trist. L. I. El. 1. vs. 48.

196. *Substitit.* V. not. ad vs. 86. Ep. XIII. Verbo *excidere* usus est Ovid. in Trist. vs. modo cit.

197. *Non mihi respondent* etc. Non congruunt, ut antea, neque aptae sunt, nec faciunt

Lesbides aequoreae, nupturaque, nuptaque proles;
Lesbides, Aeolia nomina dicta lyra;
Lesbides, infamem quae me fecistis amatae:
Desinite ad citharas turba venire meas.
Abstulit omne Phaön, quod vobis ante placebat,
(Me miseram! dixi quam modo pene, meus!)
Efficite ut redeat: vates quoque vestra redibit.
Ingenio vires ille dat, ille rapit.

satis ad carmina componenda. Oud. Exspectationi non satisfaciunt. Drakenb.

198. *Plectra dolore* etc. Cf. vs. 195. sq. h. Ep.

199. *Lesbides aequoreae.* Insulanae quippe. Vox *Lesbides* et in principio duorum proxime sequentium versuum, ut vides, repetitur, quam repetitionem Rhetorici et Grammatici ἀνάφορὰν vocant, qua figura Ovidium usum esse quidam dicunt, ut Micyllus ad h. l., non tantum affectus causa, cui ea res servit, sed etiam ut morem Sapphûs exprimeret sive imitaretur, cui dicitur haec figura valde familiaris fuisse.

200. *Lesbides, Aeolia nomina dicta lyra.* Lesbides, quarum nomina laudata sive celebrata sunt mea lyra Aeolia. *Dicere* enim, ex observatione Drakenb., est poëtis dicta significatione familiare verbum, quod probat Horat. L. I. Od. 7. vs. 9. et Bentl. ad h. vs. Broukh. ad Propert. L. II. El. 10. vs. 12. Quo sensu etiam Graeci usurparunt verbum λέγειν. V. Anacreon Carm. I. I. vs. 1. ubi et Faber.

Aeoliam suam lyram adpellat Sappho propter dialectum Aeôlicam, qua usa est in carminibus. V. Horat. L. II. Od. 13. vs. 24. et Grucq. Schol. ad h. vs. Drakenb. Cf. et Mitscherlich et Doering ad h. Horat. vs.

201. *Lesbides, infamem* etc. V. Argum. §. 2. Horat. L. II. Od. 13. vs. 24. Ovid. vs. 19. h. Ep.

202. *Desinite* etc. Cf. vs. 15. sq. h. Ep.

204. *Dixi quam modo pene, meus!* Quam modo dixi pene, *meus* Phaön. His innuit Sappho, ait Drakenb., sese olim Phaönem ita adpellasse; quod tamen nunc non conveniebat, quia a Phaöne relicta erat. Idem fere color supra est in Ep. V. vs. 4.

205. *Vates.* Pro ingenio poëtriae et vatis vestrae; ut passim *homo* pro ejus *moribus*, affectibus atque animo ponitur. Oud.

206. *Ille dat, ille rapit.* De pronomine vid. not. ad vs. 20.

Ecquid ago precibus? pectusne agreste movetur?
An riget? et Zephyri verba caduca ferunt?
Qui mea verba ferunt, vellem tua vela referrent.
Hoc te, si saperes, lente, decebat opus.
Sive redis, puppique tuae votiva parantur
Munera: quid laceras pectora nostra mora?
Solve ratem. Venus, orta mari, mare praestat amanti.
Aura dabit cursum: tu modo solve ratem.

Ep. II. Cf. h. vs. cum vs. 195. sq. h. Ep.

207. *Ecquid ago precibus?* An *aliquid ago precando? Aliquid agere* is dicitur, qui quid facit, quod per se bonum atque utile, sibique aliquod commodum adferre potest. Cf. Cic. Tusc. Q. L. III. c. 20. extr. V. van Lennep in Animadv., qui Micylli laudat explicationem ita se habentem. « Ecquid, sive, etiamne aliquid ago, i. e. efficio precibus meis, quas modo feci, et mihi agreste istud pectus ac durum movetur, an non?

Pectus agreste. Durum, inhumanum, ferum. Drakenb. V. not. ad vs. 96. Ep. III.

208. *Riget?* Durum et inmobile cor tuum nec precibus flecti aut moveri potest. Quali indole homo passim quoque *rigidus* dicitur. Oud. V. not. ad vs. 132. Ep. II. et vs. 111. Ep. V.

Zephyri verba caduca ferunt? An verba mea foliis leviora caducis (de quibus v. Heins. ad Ep. V. vs. 110.) auferuntur a rapidis ventis, nec tibi ad aures, certe non ad animum penetrant. Semper poëtae irritas preces *a vento auferri* dicunt vel *in mare rapi*. Oud.

Verba caduca. Uti homines, qui moriuntur, et res, quae pereunt, *cadere* dicuntur; ita verba *caduca* vocantur, quae quis frustra locutus est. V. Ovid. Fast. L. I. vs. 181. et not. ad h. vs.

209. *Qui mea verba ferunt* etc. Cf. vs. 25. Ep. II.

210. *Si saperes.* Cf. vs. 99. Ep. V. Terent. Eun. Act. I. sc. 1. vs. 31.

Lente. V. vs. 69. h. Ep. et vs. 1. Ep. I.

211. *Sive redis — votiva parantur munera.* Sive jam in animo habes redire, et jam nunc comparas sive praeparas munera votiva, quae pro felici reditu Diis redux offers, et suspendis: veni celer, solve rates. Oud. V. van Lennep ad h. vs.

212. *Laceras*, i. e. maxime dolore uris, crucias.

213. *Venus, orta mari.* Cf. vs. 60. Ep. VII. et not. ad h. vs. Vere natam canit E. W.

Ipse gubernabit residens in puppe Cupido: 215
Ipse dabit tenera vela, legetque, manu.
Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sappho;
(Non tamen invenies, cur ego digna fuga).

Higt in elegantissimo in Reditum veris carmine trochaïco pag. 28. Carminum Higtiorum, quae A. Ypejus V. Cl. edidit. Harderovici anno 1803.

Mare praestat amanti. Stat prae, sive ante amantem, adest, favet, juvat. Hinc notat facere, ut quis habeat, quo uti possit, fidei et constantiae adjuncta notione. Benevolentiae, inquit Oud., ac praesentis beneficii significationem habet verbum *praestare* laud. Gronov. Observ. c. 8. V. van Lennep ad vs. 211. sqq. Burm. ad h. vs. «omen, inquit, et votum latet, ut ad se rediret amans, quod si faciat, certum est Venerem mare praestituram, quia" ut in seq. Ep. vs. 24: In mare jus habet, orta mari. Semicolon ergo post *mari* tollendum est. Vulgatam lectionem male defendit Burm.; nam Pœta haud dubie scripsit *mare sternet amanti*, ut Ep. XIX. vs. 16. *sternet et aequoreas* etc. Et hanc scripturam merito praefert. Valck ad Herod. L. VII. pag. 595. Ed. Wesseling. Ruhnk. Tom. IV. pag. 172. Adnot. Edit. Thom. Gaisford. Perperam vero ab omnibus hisce viris laudatur vs. 16. Ep. XIX. cum sit vs. 160.

214. *Aura dabit cursum.* Currendi, navigandi facultatem. Cf. vs. 59. Ep. VI. Drakenb.

Solve ratem. Ab iisdem verbis incipit vs. proxime praecedens. De qua repetitione videantur, quae in not. ad vs. 154, 155. a Wyttenh. animadversa leguntur.

216. *Ipse dabit vela — legetque manu.* Ut ventus exigit, vela vel laxius remittet, vel strictius adducet. *Vela dare*, puta *ventis*, est vela remittere. V. Virg. Aen. L. IV. vs. 546. *Vela legere*, adducere, colligere. Vela contrahere dixit Liv. L. XXXVI. c. 44. Horat. L. II. Od. 10. vs. 23. Ovid. Trist. L. III. El. 4. vs. 32. Drakenb.

Tenera — manu. Veneris quippe.

217 — 220. *Sive juvat* etc. Horum versuum sententiam a Graevio expositam. vid. in Animadv. Lennepianis ad hh. vv.

Pelasgida Sappho. Vox *Pelasgi*, inquit Drakenb., qua olim *certa* Graeciae gens denotata est, postea in genere usurpata fuit de omnibus Graecis. V. Ep XII. vs. 29. Ita tamen h. l. non videtur adcipienda; nulla enim in hoc epitheto foret emphasis. An ita-

Hoc saltem miserae crudelis epistola dicat:
Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae. 200

que potius Sappho se vocat *Pelasgida*, quod incolae Lesbi, quae patria fuit Sapphûs, orti sint ex Pelasgis? Certe dicuntur Pelasgi et Peloponneso orti sedem posuisse in Macedonia; inde vero ejecti alias regiones inhabitasse, et quidem insulas maris mediterranei et praesertim Lesbum, V. Dion. Halicarn. L. I. c. 17 et 18. et Diod. Sic. L. V. c. 82.

220. *Ut mihi Leucadiae fata petantur aquae.* Miserabiliter saltum Leucadium jam *fatum* et mortem suam appellat. Domit. V. van Lennep ad h. vs.

Tunc enim non amplius amore saevo vel spe inani reditus tui torquebor et vel brevi ero levata insano furore, quo te amo; vel moriar in tui infamiam et crimen, ut qui causa habeberis meae necis. Oud.

PARIS HELENAE.

ARGUMENTUM.

Hujus Epistolae argumentum quo minus pluribus hic referam, prohibent quae in Argumento Ep. V. a me de Paride atque Helena perscripta sunt, ad quod Lectores delego. Id tantum notasse suffecerit, Paridem, Menelaō in Cretam profecto, Helenae hanc scripsisse epistolam, qua ad maritum relinquendum et se in Asiam sequendum sollicitaret. Omnes certe eo consilio Paris adhibuit artes, quibus feminae animum moveri ac labefactari posse noverat. Pulcritudinem enim jactat et nobilitatem et divitias et corporis robur et verum infractumque amorem; nec quidquam omittit, quo Menelaum apud Helenam in odium ac contemtum adducat. Metum autem, si forte quis suboriatur, ex Helenae animo tollit omnem, cum dicat, infamiae nihil inde se contracturam, imo laudem; quippe quae ipsum amando et sequendo Divinae voluntati responsura, suaeque adeo felicitati provisura sit.

A Menelaō sane, inquit, nihil est quod tibi timeas. Etenim vel ob ingenii duritiem, ac formae tuae ignorantiam et neglectum te repetere supersedebit; vel, si praeter opinionem id audeat, audaciae ac stultitiae poënas morte luet, si quidem tantis ego gaudeam opibus, ut, qui armis me petat, inultus abiturus non sit.

HANC tibi Priamides mitto, Ledaea, salutem:
Quae tribui sola te mihi dante potest.
Eloquar? an flammae non est opus indice notae,
Et plus, quam vellem, jam meus exstat amor?

Vs. 1, 2. *Hanc tibi* etc. Hanc salutem, perfectam nempe et plenam, qualem tu sola mihi dare potes, mitto tibi. *Mittere* vero *salutem* pro mittere epistolam cum solita salutis optandae formula, supra explicuimus. Oud.

3. *Eloquar?* Elegans est rhetorices figura, ἀπορία seu dubitatio; ut alibi « Eloquar an sileam" Significat autem *elo-*

Ille quidem malim latest, dum tempora dentur
Laetitiae mixtos non habitura metus.
Sed male dissimulo. quis enim celaverit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?
Si tamen exspectas, vocem quoque rebus ut addam:
Uror. habes animi nuntia verba mei.
Parce, precor, fasso: nec vultu cetera duro
Perlege, sed formae conveniente tuae.

qui, promere et aperire est, quae mente concipimus tacita. V. Quinct. I. 8. in proöem. Oud.

Indice sive proditore, delatore; index enim proprie est is, qui arcana detegit et aliis revelat. Oud.

Flammae — notae, vehementissimi amoris jam ante tibi cogniti, cum, praesente etiam marito, omni, qua potui ratione, signis ac factis tibi indicaverim, quanto in te amore arderem. Adjectivum *notae* in se habet rationem, quare indicibus literis opus non sit.

4. *Et plus, quam vellem.* Conatum esse hic prae se fert callidus adulter, an in pectore ardentissimum amorem obprimere posset, qui tantum valuisse declarat, ut praeter voluntatem etiam adpareret. *Exstare* enim proprie dicuntur, quae eminent supra reliqua, quo magis in hominum oculos incurrunt, unde notionem accepit apparendi. Drakenb.

Exstat sive eminet instar flammae, quae tecto erumpit et omnibus conspicua est. Oud.

5. *Dum tempora dentur* etc. Donec opportunitates sese ultro quasi obtulerunt, ubi sine metu laetari atque amori me tradere liceat.

7. *Sed, male dissimulo*, etc. Cf. vs. 37. Ep. XII. V. not. ad h. vs.

8. *Proditur*. Cf. vs. 38. d. Ep. V. not. ad v. *prodita*.

10. *Uror*. Cf. vs. 15. Ep. IV. et vs. 5. Ep. XIX.

Habes animi etc. Cf. vs. 19. Ep. IV. *Nuntia verba*. Adjective sumendum *Nuntia*, ut Ep. VI. vs. 9. *Nuntia litera*, et multis aliis poëtarum locis, quos laudat Heins. ad Ovid. A. A. I. I. vs. 438. *Nuntius* substantivum neutro genere vel barbarum est, vel certe non idoneae auctoritatis. V. Drakenb. ad Liv. IV. c. 41. extr. et Gesn. in Thes. L. L. Apud bonos scriptores *Nuntius* dicitur tum de eo, qui narrat, tum de re, quae narratur. Ruhnk.

11. *Fasso*, mihi, qui fassus sum sive fatenti. Cf. vs. 4. Ep. XIX. Metam. I. XIII. vs. 189.

Iamdudum gratum est, quod epistola nostra recepta
Spem facit, hoc recipi me quoque posse modo.
Quae rata sint, nec te frustra promiserit, opto,
Hoc mihi quae suasit, mater Amoris, iter.

V. L. I. Ex Ponto Ep. VII. vs. 22. Drakenb.

Vultu — duro. Severo, tristi. Micyll. ad Ovid. Am. L. I. El. 12. vs. 24. Cf. vs. 16. Ep. XVII. Qui vultus rigidus te doceat, te mihi iratam esse et asperam. Oud.

12. *Perlege.* Cf. vs. 3. Ep. IV.

Sed formae conveniente tuae i. e. vultu miti et placido, qualem exigit pulcritudo tua; quia, cum sis pulcra, debes etiam esse placida. Hubert. Ut muliebri ingenio nihil molestius est, quam ob formae turpitudinem notari; ita nihil ei gratius accidere potest, quam si formae laudetur praestantia. Cf. Phaedr. L. III. fab. 8. Ovid. Ep. XII. vs. 178.

13. *Iamdudum.* De tempore dici non longe praeterito docet Drakenb. ad Sil. Ital. L. XI. vs. 374. Non subitam hanc esse laetitiam Paris hac particula significat. Quod ad formulam *gratum est*, Idem ad Eumdem L. VI. vs. 584. «Solemnis, inquit, haec formula est *flebile gaudentium*, cum tamen *aliquid* est tam saevo in tempore laetum.

Recepta. Notandum est, inquit Hubert., apud Idoneos oratores non esse in usu *Recepi epistolam tuam*, sed *Accepi*: sed hic fuit necessitas metri. V. van Lennep in Animadv. *Recipere* enim, ut ait Gesn. in Thes. L. L. est capere vel accipere, cum vicissitudinis aliqua notatione, ut intelligatur *oblatum*, id quod capitur. *Recepta*, inquit Oud., non significat simpliciter *acceptam a te*; hoc enim Latinum non foret; sed instar amatoris clam in cubiculum tuum ac lectum admissi; unde spem habeo, me ipsum quoque receptum iri, luditque Poëta in eo composito.

Epistola recepta spem facit, hoc etc. Et Paris noverat varam vibiam sequi solere.

15. *Quae rata sint.* Ratum vocatur, quod certum, firmum et immobile est, cui opponitur *irritum* sive *vanum*, quod mutatur. Terent. in Phorm. Act. V. sc. 7. vs. 58. Cic. Philipp. V. c. 7. Praesertim *rata* dicuntur, cum quis praestat, quod promisit. Cf. Ep. XII. vs. 194. Drakenb. *Rata sint.* Div. firment. Ovid. Trist. L. I. El. 1. vs. 33. Ruhnk.

16. *Hoc mihi* etc. V. §. 6. Argum. Ep. V. Ita dictis Divinam auctoritatem callide addit, cui resistere nefas.

Te peto, quam laeto pepigit Venus aurea nostra. 35
Te prius optavi, quam mihi nota fores.
Ante tuos animo vidi, quam lumine, vultus:
Prima fuit vultus nuntia fama tui.
Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat, arcu
Missilibus telis eminus ictus, amo. 40

divitior rarius obcurrit. Notandus, inquit Drakenb., comparativus vocis *dives* non admodum frequens, pro quo frequentius occurrit *ditior*: utitur tamen Cic. de Orat. L. III. c. 48. Ex eadem voce formatum superlativum *divitissimus* adhibuit. Id. de Off. L. II. c. 17. Vossio vero de Arte Gramm. L. IV. c. 26. a *dives* formari videtur *divitior*; a *dis* non solum *ditior* sed et *ditissimus*.

6. *Pepigit.* Matrimonium promisit, sub conditione, ut illi in formae judicio primas daret. V. Ep. XX. vs. 157. Ep. II. vs. 4. De constructione verbi cum dativo vid. Benthl. ad Horat. Epist. L. II. Ep. II. vs. 87. Ruhnk. Venus aurea frequens est Graecis et Latinis Veneris epitheton pro *optima* et *propitia*; qui et *aurea* dicunt omnia, quibus nihil praestantius a nobis habetur. Uti *aurem* puellam dixit Horat. L. I. Od. 5. vs. 9. Oud.

36. *Optavi.* Elegi. V. Ruhnk. Dict. ad Terent. Andr. Act. IV. sc. 5. vs. 2.

37. *Animo vidi.* Cogitatione mihi repraesentavi. Cf. vs. 99. h. Ep. et vs. 135. Ep. X. Drakenb.

Quam lumine. Corporis oculis.

38. *Prima fuit* etc. Prius audivi dicere de pulcritudine tua. Hubert. *Nuntia fama.* V. ad vs. 10. h. Ep.

39, 40. *Nec tamen est mirum* etc. V. van Lennep in Animadv. Distichon ineptum est, inquit Ruhnk., et vix Latinum, quod miror, Heinsium, cujus in spuriis odorandis mira est sagacitas, emendare, quam ejicere maluisse. Digressio quaedam est, ait Micyll., qua causam et originem sui amoris expositurus est. Repetit enim ab initio natales suos, deinde et sententiam latam de Deabus; et postremo, quibus impulsus expeditionem hanc susceperit.

Sicut oporteat. Si, perinde ac necesse sit ita fieri propter fata Micyll. Hoc distichon, inquit Oud., putem esse spurium vel saltem corruptissimum; latinum enim non est *sicut oporteat* pro *oportet*.

Arcu missilibus telis eminus ictus, h. e. arcu emissis; et per consequens, *a longe*. Est autem sententia: Nec mirum est,

Sic placuit fatis: quae ne convellere tentes,
Accipe cum vera dicta relata fide.
Matris adhuc utero, partu remorante, tenebar:
Jam gravidus justo pondere venter erat.
Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
Flammiferam pleno reddere ventre facem.
Territa consurgit, metuendaque noctis opacae
Visa seni Priamo, vatibus ille, refert.

si, quemadmodum qui arcu feruntur a longe (eminus) ita ego quoque longe (eminus) ictus amo. Mityll. Nec Latinum est, inquit Oud., « *missilia arcu tela* pro arcu emissis; debebat adesse vocula comparationi inserviens. Quae Oudendorpii verba me adduxerunt, ut, commate post *oporteat* deleto verboque parenthesi incluso, versum hunc ita corrigere tentarem:[89] *Nec tamen est mirum, si, sicut (oporteat)* i. e. pone ita fieri oportere. Quae dubitatio tollitur vs. 41. *sic placuit fatis.* Quae formula est rejicientium in necessitatem fati ea, quae excusare nequibant vel nolebant, alioquin dicebant quoque, *sic placuit Diis, vel sic visum est superis.*

Ictus. De h. v. V. Burm. in not. ad Propert. L. III. El. 6. vs. 14.

41. *Sic placuit fatis.* V. not ad vs. 16. h. Ep.

Convellere. Vi adhibita de loco movere, labefactare, irritum reddere. Monet vero Paris, non tantum, ne *convellat*, sed et ne *tentet*, periculum faciat.

42. *Accipe* auribus, *dicta relata*, relationem, *cum vera fide*, i. e. de cujus fide ne dubitare quidem licet. *Vera* enim eamdem hic vim habet quam indubitata. Abundare h. l. majoris emphasis causa *vera* cum Drakenb. non dixerim. Cf. Ovid. Am. L. II. El. 11. vs. 38. Fast. L. III. vs. 662. Trist. L. IV. El. 1. Quae loca, aliaque ejusdem generis ad vs. 66. h. Ep. citat Heins. *Vera fide.* Ex formula dicitur Liv. L. XL. c. 34. *sincera fide.* Petron. c. 101. *vera fide.* Ruhnk.

44. *Gravidus justo pondere* etc. Cf. Ep. IV. vs. 58. Ep. XI. vs. 55. *Justo.* Aequo, legitimo, cui nihil deest vel superest. Non levius neque gravius lege naturali. Ovid. Metam. L. II. vs. 163. Virg. Georg. L. II. vs. 251. Oud.

45. *Illa sibi ingentem* etc. V. Argum. Ep. V. §. 3.

46. *Pleno — ventre.* Cf. supra vs. 44.

50. *Fax.* V. not. ad vs. 160.

Arsurain Paridis vates canit Ilion igni
Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei.
Forma vigorque animi, quamvis de plebe videbar,
Indicium tectae nobilitatis erant.
Est locus in mediae nemorosis vallibus Idae
Devius, et piceis ilicibusque frequens:
Qui nec ovis placidae, nec amantis saxa capellae,
Nec patulo tardae carpitur ore bovis.
Hinc ego Dardaniae muros, excelsaque tecta,
Et freta prospiciens, arbore nixus eram.

Ep. XIII. et van Lennep. in Animadv.

51. *Vigorque animi.* V. not. ad vs. 118. Ep. IV.

Quamvis de plebe videbar. In Ida quippe inter pastores educatus et adultus. V. § 5. Argum. Ep. V.

52. *Forma — Indicium tectae nobilitatis.* Hoc dictum est, inquit Drakenb., ex veterum persuasione, qui credebant, quo quis generosiore sanguine natus esset, eo magis pulchritudine praestare et proceriori statura esse.

53. *Mediae nemorosis vallibus Idae.* Per Hypallagen pro *mediis vallibus nemorosae Idae.* Cf. vs. 108. Ep. XIV. Drakenb. Not. ad d. vs. 108. et Euripidis Hippol. vs. 75. ad q. Vid. Valeken.

54. *Et piceis* etc. Cf. vs. 67. Ep. XII. van Lennep in Animadv. ad h. vs. *Frequens* est plena, non rara hic illic sed passim et ubique consita istis arboribus. Qud.

55. *Qui nec ovis placidae* etc. Cf. Euripidis Hippol. vs. 75. et Valeken. ad h. vs.

56. *Nec patulo tardae carpitur ore bovis.* Graphice hic nobis ante oculos ponitur bos pascens. *Patulum* enim os est, cum lingua exserta herbas quasi demetit. *Carpere* vero de pecore et armentis pascentibus frequens. V. Virg. Ecl. I. vs. 79. Gregorg. L. II. vs. 201. pp. auferre aliquid, quod, ut ait Gesner. solo arborive innatum haeserat. Hactenus Gesnerus. Meo quidem sensu hoc verbum *carpere* nobis simul ob oculos ponit repetitum herbae decerpendae actum, cum *tarda bos* dicatur ob lentum hujus animalis incessum, quare *pigrum* dixit Horat. Epist. L. I. Ep. XIV. vs. 44. a Drakenb. ad h. vs. cit.

58. *Freta prospiciens.* Mare Aegeum occidentalem Asiae minoris oram praetersluens, cujus maris pars, quae Troäda adluit, ab Homero et Hellespontus dicitur. Cf. Ep. VI. vs. 124.

Ecce pedum pulsu visa est mihi terra moveri:
Vera loquar, veri vix habitura fidem. 60
Constitit ante oculos, actus velocibus alis,
Atlantis magni Pleïonesque nepos.
(Fas vidisse fuit: fas sit mihi visa referre.)
Inque Dei digitis aurea virga fuit:

59. *Ecce* etc. Repentinum quid et insperatum indicare et Drakenb. ad h. vs. notat, et supra jam significavimus. Paris autem, inquit V. Cl., motum terrae considerat tanquam signum adventantis Deae. V. Callimachi Hymn. in Apoll. vs. 2. et Spanhem. ad h. vs.

60. *Vera loquar, veri* etc. Haec itaque est ratio, quare et supra vs. 42. non simpliciter *fide* Paris diceret, sed adderet *vera*, ut rem extra omnem dubitationis aleam poneret.

61. *Actus velocibus alis.* Participium *actus impetum* mihi ac *vim* indicare videtur, qua alae eum celeriter propulerunt ac detulerunt ad Paridem. Quamvis itaque non negem participium *actus* vi sua ad celeritatem facere; non tamen adsentior Drakenborchio ad h. vs. animadvertenti «Vocem *actus* itineris confecti celeritati indicandae inservire l. Burm. ad Ovid. Metam. L. VIII. vs. 4. *Actus* enim *vim propellentem* significat, cui *velocitatis* notio necessario non adhaeret, neque adeo *velocibus* addere Poëta opus habuisset. V. Virg. Aen. L. IV. vs. 230, 240, 241 et 245. Cf. Lotichius Carm. L. I. El. 5. vs. 76, sq.

62. *Atlantis magni Pleïonesque nepos.* Mercurius Maja Atlantis Pleïonesque filia et Jove genitus. V. Dorn Seiffen Op. I. in v. et §. 6. Argum. Ep. V.

63. *Fas vidisse fuit.* Unde intelligi poterat, quam carus Jovi Mercurioque esset. Dii enim nemini, nisi cui bene vellent, sese conspiciendos praebebant. Ita et Aeneas in Virg. Aen. l. l. vs. 388. «Deum manifesto in lumine viderat intrantem muros.» Quibus vero modis Virgilius et Homerus Deorum praesentiam vel in discessu arguant, significavit Heynius V. Cl. in Exc. XIII. ad vs. 402 — 4. L. I. Aen.

Fas sit. Solennis haec in occursu Deorum precatio, inquit Lips. ad Senecae Ep. CXV. Burm. V. Virg. Aen. L. VI. vs. 266. Vetus quippe erat superstitio, inquit Ruhnk. ad h. vs., eum, qui Deos invitos vidisset, coecitate vel alio calamitatis genere affici. V. Callimachi Hymn. in Lavacr. Palladis vs. 54. et ibi Spanhem.

Tresque simul Diuae, Venus, et cum Pallade Juno,
  Graminibus teneros imposuere pedes.
Obstupui, gelidusque comas erexerat horror:
  Cum mihi, Pone metum, nuntius ales ait.
Arbiter es formae: certamina siste Dearum;
  Vincere quae forma digna sit una duas.
Neve recusarem, verbis Jovis imperat: et se
  Protinus aetherea tollit in astra via.
Mens mea convaluit, subitoque audacia venit:
  Nec timui vultu quamque notare meo.

64. *Aurea virga.* Quae Dii habebant *aurea* esse dicebantur, utpote pretiosissima, ex simplicis antiquitatis opinione, quae, ut ait Cic., ab hominibus omnia ad Deos transtulerat. Argenteum tamen arcum habuisse Apollinem Homerus testatur. De hujus virgae sive caducei usu atque opera cecinit. Virg. Aen. L. IV. vs. 242. sq.

66. *Teneros pedes.* Virginibus, ut ait Drakenb., ac puellis teneri pedes tribuuntur, atque iis praesertim, quarum forma praecipua est. Laud. Ovid. Ep. XIX. vs. 7. A. A. L. II. vs. 534. Virg. Ecl. X. vs. 49. et Serv. ad h. vs.

67. *Obstupui.* V. Heyn. in Exc. s. laud.

Gelidusque comas erexerat horror. Cf. Ovid. Ep. V. vs. 35. sq. Virg. Aen. L. IV. vs. 279, 280. V. Drakenb. ad Sil. Ital. Ital. L. II. vs. 668.

68. *Nuncius ales.* V. s. vs. 61. sq.

69. *Arbiter* proprio sensu hic ponitur pro eo, qui ex aequo et bono extra judicium solenne dirimit certamen ac litem, et plerumque ab ipsis litigantibus deligitur. Oud. Rariore sensu *locus* ab Horatio Ep. L. I. vs. 26. *arbiter* vocatur qui suo arbitratu quasi de mari decernit, quoquo versus in late patens mare quasi prospicit; amoenissimus adeo.

Siste. Inhibe et ita finem impone, ne ulterius hoc certamen pergat. Oud.

71. *Neve* positum pro *neque*, ut versui consuleretur, quod non videtur Ovidianum. Oud. et Ruhnk.

72. *Protinus aetherea tollit in astra via.* Virg. Aen. L. IV. vs. 77. sq.

  Mortales visus medio sermone reliquit,
  Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

73. *Mens mea convaluit.* A timore ad se rediit: mentis stu-

Vincere erant omnes dignae: judexque querebar,
Non omnes causam vincere posse suam.
Sed tamen ex illis jam tunc magis una placebat:
Hanc esse ut scires, unde movetur amor.
Tantaque vincendi cura est: ingentibus ardent
Judicium donis sollicitare meum.

por desiit. Cf. s. vs. 67. Metaphoram desumtam esse a corpore, cujus vires morbo fractae augentur, quodque adeo valetudinem recuperat, ad h. vs. docet Drakenb.

Audacia (bono sensu) *venit*, tanquam persona. Verborum sententiam exponunt in vs. seq. *Nec timui* etc.

74. *Notare*. Diligenter adtendere, attento oculo conspicere atque examinare, ut Censores in catalogo recensendo solent, qui Magistratus proprie *notare* dicitur. De Censoribus apud Romanos disputationem scripsit J. A. C. Rovers.

75. *Vincere erant omnes dignae*. Graeca constructio est, de qua v. Vechnerus in Op. laud.

Vincere scil. in judicio formae; causam adeo ac litem obtinere. Cf. vs. 75. Ep. XIII. ubi vulgarior locutio obcurrit *causa vincere*.

Judexque querebar. Questus vel dolor hic ex proxime praecedentibus exsistebat; omnes enim erant dignae, quae victrices a judice pronunciarentur; et tamen ex pulcherrimis una diligenda erat. V. van Lennep ad h. vs.

77. *Jam tunc*. Antequam Deae vincendi cura ac sollicitudine animum judicis donis adgrederentur.

78. *Unde movetur*. A qua movetur. De verbi significatione V. not. ad vs. 160. Ep. IV.

Sensus verborum h. vs. est secundum Micyllum. « Una me prae ceteris movebat; ex quo facile posses scire, eam esse, quae amori praeësset, h. e. Venerem; neque enim tam facile alias movisset."

79. *Ingentibus ardent*. Adjectivum singularem donorum notat magnitudinem; verbum vehementissimum victoriae studium. Omnis enim ab igne petita Metaphora adfectum designat maximum. Cf. Claudianus in Rufinum L. I. vs. 307.

80. *Sollicitare*. Festus « solicitare, inquit, est *solo, citare*, sive ex suo loco movere" in v. *Solicitare*. Proprie itaque de *corporibus* dicitur; quam significationem si ad *animum* transtuleris, erit: animum a fide ac constantia deducere, abstrahere. Cf. Terent. Heaut. Act. III. sc. 1. vs. 52.

Regna Jovis conjux, virtutem filia jactat.
Ipse potens dubito, fortis an, esse velim.
Dulce Venus risit, nec te, Pari, munera tangant
Utraque, suspensi plena timoris, ait.

81. *Regna.* Promissi regni amplitudinem indicat numerus pluralis.

Virtutem (bellicam) *filia* (Jovis, Pallas) *jactat*, saepe multumque judicii praemium proponit ac pollicetur.

82. *Ipse.* Sive Graece αὐτός sive Latine *ipse*, inquit Godofr. Hermann in dissert. de pronomine αὐτός Opusc. Vol. I. pag. 308, sive alia lingua aliter dicas, id proprie nihil aliud significat, quam *hic de quo loquor*. De hujus pronominis usu plura ibid. monet. V. Cl.

83. *Dulce Venus risit.* Graeco more adjectivum neutrum in accusativo positum adverbialiter adhiberi jam docuit Vechner. Op. l. Cf. Theocrit. Idyll. I. vs. 95. Musaeus. Hero et Leand., vs. 94, 95.

Ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν. ἀν' ὀφθαλμοῖο βολάων
Κάλλος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἄνδρος ὀδεύει.

83. *Nec te.* Si *nec* pertineret ad *ait*, inquit Loers d. spec. ut esset, *risit nec ait*, quale est exemplum a van Lennep ad h. l. ex Ep. XII. vs. 33. allatum, tum sane nihil haberet, quod offenderet; sed nunc ea loci ratio est, ut, si *nec* pro *et ne* positum accipias, particula *et* conjungenda sit cum *ait*, *ne* autem cum *tangant*, quod haud facile videtur usu probari posse. Quare ego cum Schrödero scribendum censeo *ne*; nisi *nec* pro simplici negatione *ne* accipere malis, cujus usus exempla adhuc frustra quaesivi.

Munera tangant, nedum permoveant: regna, quae Juno promittit, et virtus bellica, quae a Pallade proponitur. Micyllus.

84. *Suspensi plena timoris.* Eo quod metuebat ne a reliquis praeverteretur. Micyllus.

Ovid. Ep. I. vs. 12. Res est solliciti plena timoris amor. Diversos ita timoris effectus indicant adjectiva *suspensi* et *solliciti*. Alterum eam designat animi conditionem, qua, ut lances in altum sublatae, nunc huc inclinat, nunc illuc. Alterum mentem indicat per timorem suo quasi loco motam, nec, ubi consistat, habentem; inconstantem. V. not. ad vs. 80. h. Ep. et vs. 12. Ep. I. Gebhardus ad Liv. L. II. c. 32. §. 5.

Plena timoris quasi *cumulum* significare, atque adjectivum a vasis, aliisque id genus traductum esse ad animum, neminem latet.

Nos dabimus quod ames: et pulchrae filia Ledae
  Ibit in amplexus, pulchrior ipsa, tuos.
Dixit: et ex aequo donis formaque probata,
  Victorem coelo retulit illa pedem.
Interea (credo, versis ad prospera fatis)
  Regius agnoscor per rata signa puer.
Laeta domus, nato per tempora longa recepto,
  Addit et ad festos hunc quoque Troja diem.

85. *Nos dabimus, quod ames:* etc. V. §. 6. Argum. Ep. V.

86. *Ibit in amplexus.* Drakenb. interpretatur. « *Eam amplecteris.* Mihi licuit a V. Cl. dissentire. In verbis enim Ovidianis, meo quidem sensu, *voluntatis* subest notio, ut sit « Helena ipsa tibi ambienti admittet, ipsa se tibi amplectendam tradet, *mox te maritum sequetur*: Veneris vero naturae conveniens erat, Paridi Helenae *amplexus* promittere, *in domum deductionem*, non item.

Pulchrior ipsa, matre sua Leda, et ipsa pulchra.

87. *Ex aequo donis formaque probata. Donis*, quod ad Paridem attinebat, cui Helena pro dono promittebatur, si Veneri victoriam dedisset. *Forma* autem, quantum ad Venerem attinebat, cujus formam praestare caeterarum pulchritudini Paris sententia sua indicarat. Micyllus.

Ex aequo. Aequaliter sive non minus probata Veneris forma ceterisque praelata, quam donis probatis, sive, ut Helena mihi promissa. Oud.

88. *Victorem coelo* (in coelum) *retulit illa pedem.* V. vs. 186. Ep. XV. et not. ad h. vs. Venus poëtica ratione dicitur *victorem pedem referre*, quod victrix discesserat. Habet autem substantivum *victor* vim adjectivi. Ruhnk. Cf. vs. 52. Ep. I.

89. *Credo.* Vid. van Lennep ad h. vs.

90. *Regius* etc. V. §. 7. Argum. Ep. V. Agnoscor certis signis filius Priami. Micyllus. *Puer*, inquit Drakenb. ad h. vs. plerumque refertur ad *aetatem*; verum hic est relativum τῷ *pater* et notat *filium*.

Rata. V. not. ad vs. 15. h. Ep.

91. *Per tempora longa.* Pro, post tempora longa. *Per* pro *post* abusive positum. Micyllus. Veteribus, inquit Burm. ad Suet. Tiberium Ner. c. 5. *per* non modo tempus *praesens* notat, sed et *post*, utique, si mora intercederet, laudatque hunc vs.

92. *Addit ad festos.* Supple *dies*. Eumque diem quo agni-

Utque ego te cupio, sic me cupiere puellae.
Multarum votum sola tenere potes.
Nec tantum regum natae petiere ducumque,
Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.
At mihi cunctarum subeunt fastidia, postquam
Conjugii spes est, Tyndari, facta tui.
Te vigilans oculis, animo te nocte videbam:
Lumina cum placido victa sopore jacent.

tus fui, pro festo celebrant. Micyllus.

93. *Utque ego te cupio.* Matrimonio sibi jungere *cupere*, inquit Burm. ad Ovid. Epist. ex Ponto L. III. Ep. I. vs. 35. plus est quam *velle*. *Volumus* cum *optamus* et votis *simpliciter defungimur*. *Cupimus* cum *laboramus*, *ardenter volumus* et operam damus, ut re cupita potiamur. Facit Paris, inquit Micyllus, procorum more, qui dum ambiunt puellas, omnia sua praedicant et extollunt, quo studio ductus Paris et *puellarum* meminit et *natarum* et *Nympharum*, cum de *sola* Oenone ex Nymphis, et de Arisba Meropis filia Lesbia, de qua Stephanus meminit, legatur.

94. *Multarum votum sola tenere potes.* Adtende ad *multarum* et *sola*. Quibus praecipue verbis in Helenae animo et sui desiderium excitat, et mulieribus a natura proprium eo incendit laudis studium, cum *sola* potiretur viro, quem tot sibi expetiverant, eoque se se ipsi ultro obferente.

95. *Ducum.* Herōum.

96. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

97. *Subeunt fastidia.* Ne et Tibi, Lector! fastidia subeant, multus non ero in explicando, quam naturae convenienter verbum *subire* adhibuerit poëta. Nec sine causa plurali numero posuisse substantivum mihi videtur Ovidius, quo summum Paridis taedium oculis quasi subjiceret. Est vero, inquit Oud., haec vox, *fastidium*, aeque ac *fastus* passim adhibita in re amatoria, cum amantibus nolunt indulgere amati vel amatae, ac repulsam pati cogunt. Vid. Virg. Ecl. II. vs. 15.

98. *Conjugii spes.* Quamvis *spes* mediae significationis vox sit, hic tamen *boni* futuri exspectationem denotat. Adeo Paris Helenam ardebat, ceterisque regum ducumque natis ac Nymphis praeferebat, ut *sola* boni illius futuri, conjugii, exspectatione oblata, ceteras, quamvis praestantissimas, respueret.

Quid facies praesens, quae nondum visa placebas?
Ardebam, quamvis hinc procul ignis erat.
Nec potui debere mihi spem longius istam,
Caerulea peterem quin mea vota via.

99. *Te vigilans oculis* etc. Nihil itaque praeter Helenam aut videbat aut cogitabat. Ita enim fere fit, ut in qua re per diem toti simus, per noctem animo obversetur. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

100. *Lumina cum placido victa sopore jacent.* Ipsa verba quietem spirare videntur. Porro observes, quaeso, quam recte *placidus* dicatur somnus, tum ob ipsius *naturam*, tum ob Helenae per somnum *cogitationem*. Magis tamen Paridi placebat adspectus, quam cogitatio Helenae; pugnat ergo *evincere* somnum. In pugna vero inferior factus, ab infesto illo somno genua, ut Homeri verba latine reddam, illi solvuntur, et ipse victus jacet. Cf. Ovid. Metam L. I. vs. 685. L. XI. vs. 618.

101. *Quid facies praesens* etc. *Facere* eodem sensu sumi, quo gaudet verbum, cui in constructione orationis subjungitur, res est notissima. Hoc loco ergo *placendi* notione venit. Interrogatio autem vim orationis intendit, quam si in adfirmantem verteris, dictionis hic erit sensus « quae cum absens mihi tantopere placeas, dici vix potest, quantopere praesens mihi sis placitura. Cf. vs. 27, 28, 36. sq. h. Ep.

102. *Ardebam, quamvis — ignis erat.* Quamvis ignis, h. e., tu Helena, quae tanquam ignis me incendis atque uris, procul hinc a Phrygia abesset, tamen ardebam, i. e. amore tui flagrabam. Micyllus. Cf. Terent. Eunuch. Act. I. sc. 2. vs. 5. et Ruhnk. ad h. vs.

103. *Nec potui debere.* Duas hîc Poëta personas sustinentem inducit Paridem, *creditoris* et *debitoris*. *Creditor* ergo Paris quasi in judicio petit a Paride *debitore*, ut creditum, spem conjugii, redhiberet: dies enim jam venerat; longius debitum differre non poterat, a quo petebatur.

104. *Peterem quin* etc. Quominus peterem, quasi petitor praetorem adirem: vid. proxime antecedentia. *Quin*, ut ait Turnebus. Op. l. in v. sequitur pene omnia verba, quae vel *non* vel *nihil* vel *nunquam* vel *simile* quidquam adjunctum habent.

Mea vota eodem significatu, quo vs. 94. h. Ep.

Caerulea via. Cf. vs. 28, 30. h. Ep. vs. 50. Ep. VII.

Troïa caeduntur Phrygia pineta securi,
Quaeque erat aequoreis utilis arbor aquis.
Ardua proceris spoliantur Gargara silvis:
Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.
Fundatura citas flectuntur robora naves:
Texitur et costis panda carina suis.

105. *Troïa pineta.* Silvae pinis constantes Trojanae; unde pateat, quanta classis sit. Pinus autem navibus fabricandis aptissima veteribus visa est; hinc a Virg. Ecl. IV. vs. 38. *nautica* pinus vocatur, conl. Aen. L. IX. vs. 85.

Caeduntur. Tempus praesens singularem vim habet ad probandum, quod vs. praec. scripserat Paris. Eo enim ipso tempore, quo *non longius debere potuerat*, caeduntur etc.

106. *Aequoreis utilis arbor aquis.* Qua uti poterat mare, tanquam persona, ad me transvehendum.

107. *Ardua — Gargara.* Gargara generaliter τὰ ἄκρα, h. e. summitates montium sive vertices dicuntur. Sed hoc loco de parte sive colle Idae montis accipiendum, quae proprie hoc nomine appellatur, in cujus radicibus et oppidum ejusdem nominis, et ager frugibus fertilis fuit, de quo idem Poëta A. A. L. I. vs. 57.

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Dicta autem Gargara, a Gargaro Jovis et Larissae filio, ut Suidas. Micyllus.

Spoliantur. A re bellica desumtam Metaphoram quisque sentit. Effecit vero hujus verbi usu Poëta, ut videre videamur fabros in monte magnam arborum copiam et caedentes et auferentes, quo pertinet et adhibitum tempus praesens. V. not. ad vs. 105. in v. *Caeduntur.*

108. *Longa Ida.* V. not. ad vs. 20. Ep. V. *Longa* Ida dicitur, quia *longo* dorso extenditur per Phrygiam et Trojanam regionem. Oud. V. Lechevalier Ebene von Troja.

109. *Fundatura — robora. Fundamenta* datura navibus, sive *solum* malis appellare. Micyllus.

Citas — naves. Epitheton navis apud Homerum frequentissimum. v. g. L. I. vs. 308.

Ἀτρεΐδης δ' ἄρα νῆα θοὴν ἅλαδε προέρυσσεν.

Flectuntur. Quod in navalibus ignis ope fieri saepe videmus.

110. *Texitur.* Proprium, inquit Drakenb., in hac re verbum est *texere*, quod veteres de omni fabrica ex ligno adhi-

Addimus antennas, et vela sequentia malos:
Accipit et pictos puppis adunca Deos.
Qua tamen ipse vehor, comitata Cupidine parvo,
Sponsor conjugii stat Dea picta sui.

buere; hinc *texta carina* Ep. XXI. vs. 70. Catull. Carm. 64. vs. 10. Adde Ovid. Metam. L. XI. vs. 524. Eleganter, inquit Oud., hoc verbum *a tela* transfertur ad navem, quae, ut tela stamine et subtemine componitur, ita illa costis et tabulis conjungitur. Lucan. Op. l. L. IV. vs. 419.

Costis. Ut Ovidius Trist. L. I. El. 1. vs. 2. rati *membra* tribuit, ita hic *costas*. Quo enim modo in animalium corporibus costas spinae ita inseruit prudens Deus, ut firmiter inhaerescant ac *spinarum* costae dici possint; eodem modo Ovidius carinam dixit textam costis *suis* i. e. ita carinae tanquam spinae propriis, ut inseparabiles carinae partes haberi queant.

Panda. V. not. ad vs. 10. Ep. VI.

111. *Vela sequentia malos*. Pendentia de malis. Micyllus.

112. *Accipit et pictos* etc. Puppis adunca, ait Micyllus, a forma dicitur. Veteribus autem, ita pergit Drakenb., moris erat imagines Deorum vel pictas vel caelatas proponere in puppe; hi vero Dii tutelares et tutela navium vocabantur. Cf. v. g. Ovid. Trist. L. I. El. 10. vs. 1.

Est mihi, sitque, precor, flavae *tutela* Minervae
Navis; et a picta *casside* nomen habet.

Cum hac autem *tutela* navium, inquit Drakenb., non debet confundi παρασήμων, sive id, unde navis nomen accipiebat, quod non tantum erat vel *imago Dei* cujusdam, sed etiam *imago animalis*, *monstri* vel similis, et proponebatur in prora V. Heins. ad Sil. Ital. L. XIV. vs. 540.

113. *Comitata Cupidine parvo*. Uti Ep. XII. vs. 135. ita hic *comitata* passive ponitur. Puerili aetate, quo major esset Veneris filii gratia, Cupidinem finxisse poëtas, non est, quod pluribus probem.

114. *Sponsor conjugii* etc. Dea, quae mihi conjugium tuum spopondit, stat picta cum Cupidine parvo. Nota autem, sponsorem *feminino* genere poni de Venere, quemadmodum Fast. L. V. vs. 192. De eadem Dea idem Poëta dixit:

Optima tu proprii nominis auctor eris. Micyllus.

Adductis hisce Ovidii verbis probat S. Pitiscus in Lexico Antiq. Roman. in v. *Tutela*, postquam Phoenicibus ac Libycis communia fuisse in puppibus Deorum patriorum simulacra

Imposita est factae postquam manus ultima classi,
Protinus Aegaeis ire jubebat aquis.
Et pater et genetrix inhibent mea vota rogando,
Propositumque pia voce morantur iter.
Et soror effusis, ut erat, Cassandra capillis,
Cum vellent nostrae jam dare vela rates;

ostendisset; singulas dein naves habuisse *tutelas*, ac tum quidem observatum esse, ut ejusmodi eligerentur Dii, qui cujusque instituto faverent, h. e. ut mercatores Mercurium, milites Martem, alii alios negotio suo convenientes. Paris adeo Venerem cum puero.

116. *Protinus Aegeis ire jubebaraquis.* Supra vs. 17. scripserat. *Namque ego divino monitu, ne nescia pecces, advehor* etc. Cf. Ep. II. vs. 36.

117. *Inhibent. Inhibere* cursum alicujus, resistere, inpedire, quo minus res procedat: ab hac generaliore significatione speciales derivatae sunt. *Inhibere vota* ergo est, *prohibere* aequis; quod cupiat, consequi conetur.

Rogando, ut manerem. Ovidius ergo vel non adsentiebat iis, qui hoc iter Paridem suscepisse, conscio patre, adfirmabant, ut amitam, Hesionen, quam Hercules, vastata Troja, Telamoni uxorem dederat, repeteret; vel parentes Paridem ideo frustra retinentes facit, ut ejus exemplo mota Helena, omnibus, etiam proximis posthabitis, ac pietate spreta, unam Dean, Veneris, vocem sequatur.

118. *Pia voce.* Rationibus a pietate, atque caritate in filium profectis.

119. *Et soror effusis* etc. V. not. ad vs. 113. Ep. V.

Ut erat. Aliquis, inquit Peerlkamp V. Cl. ad Xenoph. Eph. pag 15. vs 5, facit hoc vel illud ὡς ἔχει, *sicut erat*, h. e. nihil de habitu vestituque prius mutato. (Quae significatio h. l. apta est). Hinc, pergit Peerlk., ὡς ἔχει, ut et Latinum *sicut est*; saepe significare potest *statim*, *confestim*.

120. *Cum vellent nostrae jam dare vela rates.* Utrum *rates* vela dare recte dicantur, valde dubito. Homines enim ubique vela ventis dare dicuntur. V. Ovid. Ep. VI. vs. 58. Ep. XV. vs. 216. At, dixerit forte quisquam, ita sibi constabit ratio poëtarum, qui *inanimatas* res faciunt *animatas*. Concedo. At, credo, si hoc voluisset Poëta, has partes non *rati* dedisset, sed *malo*, cui verisimilitudinem sequens Poëta actionem hae in re tribuere potuisset, *ruti* non item.

Quo ruis? exclamat: referes incendia tecum.
Quanta per has, nescis, flamma petatur aquas.
Vera fuit vates; dictos invenimus ignes:
Et ferus in molli pectore flagrat amor.
Portubus egredior: ventisque ferentibus usus
Adplicor in terras, Oebali nympha, tuas.

Nostrae, inquit Heins., h. l. friget: rectius legatur *properae*. Ac *rates* mutat V. Cl. in *rati*. Qua locutione Ovidius etiam usus est Trist. L. I. El. 4. vs. 16.

« Aurigam video vela dedisse rati."

Qua ratione inductus legendum conjicio,

Cum vellent *nautae* jam dare vela rati.

Cf. vs. 113. h. Ep. *Vela dare* alio sensu adcipiens, quam cum de auriga sive gubernatore quaestio est. Vs. 111. de malis pendebant vela; jam veli pedem lateri navis adligabant nautae, quod velum gubernator mox (in portus enim ostio stabat navis vs. 125. h. Ep.) pro re nata moderaretur.

121. *Quo ruis*. Quod est temerarii. *Exclamat* divino spiritu in furorem acta Cassandra.

Referes incendia tecum etc. V. §. 3. Argum. Ep V. Ambiguum oraculum, ἀμφιδέξιον χρησμον vocat Herodotus. Cf. vs. 113. sq. Ep. V. Hic, inquit Micyllus, Paris vaticinium Cassandrae invertit, *incendium* et *flammam* de amore suo exponens. V. not. ad vs. 113. Ep. V.

122. *Per has*. Demonstrative: ad portus ostium enim stabat soror. vs. 120. h. Ep. et vs. 125.

123. *Vera fuit vates*. V. Micylli observationem ad vs. 121. h. Ep.

Dictos invenimus ignes. Praedictos a vate. V. vs. 121, 122. h. Ep. et Ep. V. vs. 33.

124. *Molli pectore*. Pectus molle, quod amori resistere nequit, ut Ep. XV. vs. 79. Trist. L. IV. El. 10. vs. 65. Drakenb. Hinc significatio τοῦ *ferus* per ohpositionem elici facile potest; *amor* ergo, *cui non facile resistitur*.

125. *Portubus egredior*. Cf. vs. 116. h. Ep. In ipso portu remigio utebantur, egressi velis. Vid. Feithii Antiq. Homericae, quas et emendatas et auctas denuo edere parat filius meus et collega J. Terpstra.

126. *Adplicor in terras*. Cf. vs. 117. Ep. VII. Rarissima haec constructio est pro *ad terras*. Simili tamen constructione usus est Liv. L. XXVIII. c. 42. Denotat phrasis prosperrimum cur-

Exeipit hospitio vir me tuus: hoc quoque factum
Non sine consilio numinibusque Deum:
Ille quidem ostendit, quidquid Lacedaemone tota
Ostendi dignum, conspicuumque fuit.
Sed mihi laudatam cupienti cernere formam,
Lumina, nil aliud, quo caperentur, erat:
Ut vidi, obstupui: praecordiaque intima sensi
Attonitus curis intumuisse novis.

sum ac celerrimum adventum. Oud.

Oebali nympha. De Helena et Laconica dictum accipio, ac nymphas pro puella generaliter poni puto, inquit Micyllus. Equidem non video, quare Micyllus *nympham* interpretetur *puellam*, cum Helena *uxor* sit, et in Ep. I. vs. 27. *uxores* nymphae dicantur.

Oebalidem vocat ab avo Oebalo, Tyndari patre. Micyllus.

127. *Vir tuus.* Maritus tuus. v. Ep. VI. vs. 60. Drakenb.

128. *Numinibus.* Numen derivatur a verbo *nuto*; unde formandum est *nutamen* et contracte *numen*. Quia autem *nutus* voluntas indicatur, hinc *numen* pro *voluntate* ac *providentia Deorum* ponitur apud Virg. Aen. L. II. vs. 777. Just. L. XLIV. c. 4. §. 7. *Numen* et *nutum* conjungit ac de hominibus usurpat Liv. L. VII. c. 30. Quod autem Ovid. *non sine numinibus Deum* dixit, Horat. exprimit *non sine Dis* L. III. Od. 4. vs. 20. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. I. vs. 93.

130. *Conspicuum.* Quod *cum* vel *ab* omnibus conspicitur, Quod omnium ad se convertit oculos. *Insigne.*

131. *Sed mihi laudatam.* V. vs. 37. h. Ep. Potest explicari, inquit Burm., a Venere mihi laudatam et commendatam, sed magis est, ut in genere notet *pulcherrimam*. Quinctil. Declam. L. XIX. c. 4. et ad L. V. Metam. vs. 59.

132. *Lumina nil aliud, quo caperentur, erat.* h. e. Ille mihi ostendebat thesauros et regni sui opes, sed lumina sive oculi nulla alia re afficiebantur (propria significatione equidem adcipio verbum *capere* vernacule *boeijen*), quam te videndo, propter ea quod venerarer, non ut opes illius sed ut formam laudatam h. e. te cernerem. Micyllus.

133. *Ut vidi, obstupui.* V. Ep. XII. vs. 33. et Ep. XIII. vs. 89. et not. ad Ep. XII. vs. 33.

134. *Praecordiaque intima sensi Attonitus curis intumuisse novis.* Ingentem amoris vim

His similes vultus, quantum reminiscor, habebat,
Venit in arbitrium cum Cytherea meum.
Si tu venisses pariter certamen in illud,
In dubium Veneris palma futura fuit.
Magna quidem de te rumor praeconia fecit,
Nullaque de facie nescia terra tua est,

et efficacitatem observa in vocibus *intima*, *attonitus*, *curis* numero plurali. *Novis* aliis, praeter eas, quas jam antea habebat *permagnas*.

Intumuisse. V. van Lennep ad h. vs. Quocum consentio, quod *tumere* de adfectibus majoribus poni dicit, de ira, ambitione et similibus. Dissentio vero a Viro Cl., quod ad *amorem* proprie ita dictum, quo ferimur in femininum genus; *laudis vero amor* apud Horat. est *ipsa ambitio*. Naturae vero hac in re convenientius cum Francio puto *intremuisse*, quam *intumuisse*. Alioquin, ait Oud., superbia et audacia inflati vel ira commoti passim dicuntur *tumere*, ut Ep. VIII. vs. 57. *quo sensu hic locum non habet* nec tamen aliquid mutandum est, ut quidam volunt. Praeterea *τῷ attonitus* significationem non *premendam* sed *elevandam* judico. *Attonitus* enim qui fulmine ictus *vivit*, *et est vitae nescius ipse suae*, quo casu *omnis sensus* obprimitur.

135. *His similes vultus* etc. Simili ergo non pari pulcritudine erat Helena. Cf. s. vs. 85.

Quantum reminiscor. In quantum bene memini. Indicativus modus et tempus praesens eam vim habere mihi quidem videntur, ut *adfirmet* Paris sese *etiam nunc* Deae vultus recte meminisse.

136. *Venit in arbitrium* etc. Cf. vs. 65, 69, 77, 83. h. Ep.

138. *In dubium Veneris palma futura fuit*. *In dubium* repugnat Grammaticorum regulis; haec enim praepositio, ut ait G. J. Vossius de arte Grammatica L. VII. c. 65. accusativo semper jungitur, quoties significat motum ad locum; at cum quietem notat, exigit ablativum. Verum, inquit, video, antiquos indifferenter junxisse accusativo et ablativo. Exempla, quibus, quae dicit, probat, ipse videas, quaeso, Lector.

In dubium futura. Ventura in discrimen et periculum anceps. Est autem judiciis propria locutio. V. Quinct. Declam. 318. atque Terent. a Burm. in not. ad Quinct. l. cit. Adelph. Act. II. sc. 2. vs. 35. Oud.

Palma Veneris, quam, victoriae insigne, Venus nunc tenet.

Nec tibi par usquam Phrygia, nec solis ab ortu
Inter formosas altera nomen habet.
Crede sed hoc nobis: minor est tua gloria vero;
Famaque de forma pene maligna tua est.
Plus hic invenio, quam quod promiserit illa:
Et tua materia gloria victa sua est.

139, 140. *Magna quidem* etc. Cf. vs. 37, 38. h. Ep.

Nescia de facie (Singularis constructio, non imitanda pro *facici*) *nulla terra tua est.* i. e. Et omnes terrae de forma et pulchritudine tua norunt. Micyllus.

141. *Nec tibi par usquam Phrygia.* In tota Phrygia matronam quamvis pulcram invenire non licet tibi pulcritudine parem. Vitii quid latet in *usquam Phrygia* inquit Oud. Forte *usquam in.*

Nec solis ab ortu etc. neque in toto oriente ulla alia aeque *nomen habet*, celebratur et in ore omnibus est, quoties de *forma* mentio est. Micyllus.

143. *Minor est tua gloria vero*, quoniam formosior est, quam fama fert. Anton.

144. *Maligna.* Detrahens de tua pulcritudine, quod male tibi capit. Malignitati enim subest livor, invidia ac detrectandi studium. V. Buchnerus ad Plin. Epist. L. VIII. Ep. 12. Quo sensu obscurrit apud Horat. L. II. Od. 16. vs. 39. Hinc, inquit Drakenb., *malignus* generatim dicitur pro *parvus*, uti a Virg. Aen. L. VI. vs. 270. Ita *maligne praebere* apud Just. L. V. c. 2. §. 14. est *in parva copia, non abundanter.* Quo sensu *malignitatem* et *prodigam* largitionem inter se opponit Liv. L. V. c. 20. Contra, *benigne praebere* est *copiose, abundanter praebere* Liv. L. XXXVI. c. 22.

145. *Quam quod promiserit illa.* V. vs. 85. h. Ep.

146. *Et tua materia gloria victa sua est.* Obsendit nostras quidem aures repetita terminatio *a*, Romanorum, non item; Romani enim in pronuntiandae quantitatis syllabarum rationem habebant. Peerlkamp. V. Cl. in Biblioth. Crit. nova Vol. I. pag. 102.

Gloria tua est victa sua materia i. e. a pulchritudine tua, quae est materia ipsius gloriae Hubert. Fama non potuit aequare vel digne satis laudare ac praedicare pulchritudinem tuam, quam materiam sibi sumserat celebrandam. Materia est quaevis res, causa et origo, unde aliud quid conficitur. Oud.

Ergo arsit merito, qui noverat omnia, Theseus;
Et visa es tanto digna rapina viro:
More tuae gentis nitida dum nuda palaestra
Ludis; et es nudis femina mixta viris.
Quod rapuit, laudo: miror, quod reddidit umquam.
Tam bona constanter praeda tenenda fuit.
Ante recessisset caput hoc cervice cruenta,
Quam tu de thalamis abstraherere meis.
Tene manus umquam nostrae dimittere vellent?
Tene meo paterer vivus abire sinu?

147. *Et arsit merito* i. e. digno amore; noverat et tuam pulchritudinem omne praeconium longe superantem. Cf. vs. 127. Ep. V.

Qui noverat omnia. Legere malo, *omina*, quae voces saepe confunduntur. V. not. ad Tibull. L. I. El. III. vs. 12. Virg. Aen. L. II. vs. 691. et Serv. ad h. l.

148. *Et visa es tanto digna rapina viro.* Extollit Paris Helenae pulchritudinem, ut ita laudando eam alliciat ad amorem suum. Nulla enim est mulier, quae laudibus suae formae non delectetur. Ovid. A. A. vs. 621. L. I. Hubert.

149, 150. *More tuae gentis* etc. Lacaenae. V. vs. 99. Ep. V. Cragius de Republ. Lacedaem. L. III. Instit. 12. Hujus instituti rationem reddit Plutarchus in Lycurgo pag. 48. lit. B. a Cragio cit.

151. *Quod rapuit, laudo.* Cf. Quinct. I. O. L. VIII. c. 4. pag. m. 716.

Miror, quod reddidit unquam. Reposcentibus fratribus Castori et Polluci. Ratio seq. vs. redditur. V. not. ad vs. 71. Ep. VIII. Hoc addidit Paris, inquit Drakenb.; ut Theseo invidiam faciens, sibi favorem conciliaret; Theseus enim nunquam reddidit Helenam, sed, Theseo absente, Helena per fratres ex manu Thesei liberata est. V. not. ad vs. 129. Ep. V.

153. *Recessisset cervice cruenta.* Caput mihi amputari passus essem potius, quam quemquam te, ex thalamis meis, vi abducere sivissem.

164. *Thalami* quare hic meminerit poëta ex vs. 156 et 157. patet. Haec et quae in duobus seq. versibus obcurrunt ad gratiam apud Helenam ineundam faciunt. Fortes enim viros feminae imbelles prae ceteris eam ob causam amant, quod tutelam inde sibi certo promittere queunt.

Si reddenda fores, aliquid tamen ante tulissem:
Nec Venus ex toto nostra fuisset iners.
Vel mihi virginitas esset libata: vel illud,
Quod poterat salva virginitate rapi.
Da modo te: quae sit Paridi constantia, nosces.
Flamma rogi flammas finiet una meas.
Praeposui regnis ego te; quae maxima quondam
Pollicita est nobis nupta sororque Jovis:
Dumque tuo possem circumdare brachia collo,
Contemta est virtus, Pallade dante, mihi.
Nec piget; aut umquam stulte legisse videbor:
Permanet in voto mens mea firma suo.

157. *Aliquid tamen ante tulissem.* Cf. vs. 129. Ep. V. Vid. not. ad h. vs.

158. *Ex toto.* Praepositio *ex* circumscribendo adverbio inservit. *Ex toto* hic est *penitus omni ex parte.* Cf. supra vs. 87. et Ep. XX. vs. 167. Drakenb.

Iners pp. qui novit artem nullam. Saepe tamen ponitur pro *ignavus*, qui nihil agit. Praesertim vero ea voce usus est Ovidius in amore. V. Ep. XVIII. vs. 110. Drakenb. V. Ovid. Am. L. III. El. 7. vs. 15. A. A. L. II. vs. 229.

159. *Virginitas libata.* Cf. Ep. II. vs. 115. not. ad Ep. IV. vs. 27.

Vel illud, quod etc. Oscula intellige.

161. *Da modo te* — (Cf. infra vs. 195.) *nosces.* Quia possit dici, inquit Hubert, ita *dicis*, sed fortasse ita non *faceres*; subjicit. « Fac periculam et proba; videbis, quae constantia in me sit.

162. *Flamma rogi — meas.* Horat. L. I. Od. 13. vs. 18. sq.

« Quos irrupta tenet copula, nec.
Suprema citius solvet amor die."

163. *Praeposui regnis ego te.* V. vs. 81. h. Ep. conl. vs. 85.

165. *Dumque* (dummodo) *tuo possem* etc. V. vs. 81. h. Ep. et not. ad h. vs.

166. *Contemta* etc. Vid. D. J. van Lennep ad h. vs.

167. *Stulte legisse* i. e. elegisse, quod te maluerim. V. not. ad vs. 52. Ep. VIII.

168. *Mens mea firma.* ἔστω ἔμπεδον. Hom. Il. L. X. vs. 94. ad q. vs. V. Köppen. Erklärend. Anmerk. qui laudat Horat. L. I. Od. 13. vs. 4.

Spem modo ne nostram fieri patiare caducam,
Te precor, o tanto digna labore peti.
Non ego conjugium generosae degener opto:
Nec mea (crede mihi) turpiter uxor eris.
Pliada, si quaeres, in nostra gente, Jovemque
Invenies: medios ut taceamus avos.
Sceptra parans Asiae, qua nulla beatior ora,
Finibus immensis vix obeunda, tenet.
Innumeras urbes, atque aurea tecta videbis:
Quaeque suos dicas templa decere Deos.

169. *Caducam.* V. not. ad vs. 208. Ep. XV.

170. *Te precor.* V. van Lennep ad h. vs.

O tanto digna labore peti. Cf. 8, vs. 28 et 35.

171. *Non ego — degener opto.* Idem orationis color in Ep. II, vs. 113. sq. Ep. V. vs. 83. sq. A genere et potentia jam se commendat Paris.

173. *Turpiter.* Cum quodam dedecore tuo. Quo sensu *turpis* obcurrit Ep. V. vs. 70.

173. *Pliada.* Electram, quae ita dicta est vel a Pleione matre vel a πλέω, *navigo*, quia navigantes solent Pleiadas ipsas observare. Hubert. Ex Electra enim et Jove natus est Dardanus, ad quem adscendendo referuntur Paridis natales ex genere paterno.

174. *Medios — avos.* Jupiter concubuit cum Electra Atlantis filia, quae fuit una e septem Pleiadibus, quae in coelum inter stellas relatae sunt, et ex ea genuit Dardanum, a quo Trojani reges deinceps orti dicuntur. Hubert. V. Apollod. Biblioth. L. III. c. 12.

175. *Sceptra parens Asiae* etc. V. Argum. Ep. V. §. 1. Asiae minoris, quae passim simpliciter *Asia* dicitur. Oud.

Beatior. V. not. ad vs. 24. Ep. XII.

176. *Finibus immensis.* Cum Septimio congruere videtur, inquit Anton, qui scribit non esse verisimile, Priamum solam Phrygiam possedisse; sed Asiae totius, quae est cis Taurum, imperium tenuisse confirmat. Asiam dictam scribit Herodotus (L. IV. §. 45.) ab Asio Manei Lydi filio, non ab Asia, Promethei filia, ut Varro existimavit. Anton. *Obeunda* perambulanda, circumeunda. Oud.

178. *Quaeque suos* etc. Quae sunt ornata, et talia, quae deceant, quibus sunt dicata. Hubert. *Decere*, majestate Deo-

Ilion adspicies, firmataque turribus altis
Moenia, Phoebeae structa canore lyrae.
Quid tibi de turba narrem numeroque virorum?
Vix populum tellus sustinet illa suum.
Occurrent denso tibi Troades agmine matres:
Nec capient Phrygias atria nostra nurus.
O quoties dices, quam pauper Achaïa nostra est!
Una domus quasvis urbis habebit opes.
Nec mihi fas fuerit Sparten contemnere vestram.
In qua tu nata es, terra beata mihi est.
Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna es.
Ad talem formam non facit iste locus.

rum digna esse propter opulentiam suam. V. Ovid. Ep. V. vs. 86. Oud. V. not. ad d. vs.

180. *Phoebeae structa canore.* Cf. vs. 67. Ep. I. vs. 139. Ep. V.

Canor est *cantus*, et non tantum dicitur de voce humana, sed etiam de sono instrumenti musici: posteriore sensu hic accipi debet; priori L. III. A. A. vs. 315. Drakenb.

182. *Sustinere:* subeundo tenere, atque ita erectum tenere, conservare, rempublicam v. g. Liv. L. II. c. 43. hinc de hominibus adhibitum *reficere, alere.*

183. *Matres, nurus.* Nuptae, innuptaeque feminae. Seniores, junioresque. V. Ep. XV. vs. 54.

185. *Achaïa nostra.* Peloponnesus, per excellentiam *Achaïa* dicta a praecipua quondam gente Achaeï; unde Ἀχαλοὶ toties memorantur ab Homero.

186. *Una domus* etc. Quaelibet sola domus nostrae regionis habebit opes unius vestrae urbis. Hubert. V. van Lennep ad h. vs.

187. *Nec mihi fas fuerit* etc. Ne videatur Achaïam atque urbem Helenae natalem spernere, dicit se plurimum venerari Lacedaemona. Hubert.

189. *Parca sed est Sparte.* Cic. de Orat. L. II. c. 71. Drakenb. Frugalitas Lacedaemoniorum apud omnes scriptores laudatur.

Cultu. Sive ornatu corporis, ut se ipse latius explicat. Oud.

190. *Non facit.* V. not. ad Ep. VI. vs. 128. coll. vs. 56. Ep. XII. *Iste locus.* Emphatice, ut vs. 220. h. Ep.

Hanc faciem largis sine fine paratibus uti,
Deliciisque decet luxuriare novis.
Cum videas cultum nostra de gente virorum,
Qualem Dardanidas credis habere nurus?
Da modo te facilem: nec dedignare maritum,
Rure Therapnaeo nata puella, Phrygem.
Phryx erat, et nostro genitus de sanguine, qui nunc
Cum Dis potandas nectare miscet aquas.
Phryx erat Aurorae conjux. tamen abstulit illum,
Extremum noctis quae Dea finit iter.

191. *Largis sine fine paratibus.* Ornatu, cultu. Qua mente plurali numero utatur Paris, adparet.

Largis sine fine. Infinite largis, copiosis, abundantibus, nullis finibus circumscriptis.

192. *Luxuriare novis deliciis.* Deliciis abundare, affluere. Ita ager dicitur *luxuriare assidua aqua.* Ovid. Fast. L. III. vs. 644. Hic est *luxuriose vivere.* Liv. L. XXIII. c. 2. Drakenb. *Novae deliciae* sunt *aliae post alias*, ita ut deliciae continuo quasi defluant, atque adfluant. *Deliciis.* Ceteris rebus pretiosis, mollibus et ad pompam ostentationemque compositis. V. Seneca Ep. V. Oud.

193. *Cum videas* etc. Sumit argumentum ornatus mulierum ab ornatu virorum, qui solent esse minus deliciosi. Hubert.

155. *Da modo te facilem.* Exorabilem, non duram. Hubert.

196. *Rure Therapnaeo.* In Laconide Therapne, Lacedaemon, Amyclae etc. V. Pomp. Mela de situ orbis (L. II. c 3. §. 65) Hubert. Meursium in Miscell. Lacon. laudat Drakenb., qui addit ab dicto oppido universam regionem *ris* dici *Therapnaeum.*

Phrygem. A mollitie male audiebant Phryges atque ob animi ignobilitatem. V. Virg. Aen. L. IV. vs. 103. coll. vs. 216. Paris docet hanc gentem clarissimis viris fuisse nobilitatam, quibus luminibus Helenae oculos praestringeret adulter.

197. *Qui nunc* etc. Ganymedes, de quo V. Dorn Seiffen in Onom. Poët. in v.

199. *Aurorae conjux.* Tithonus. V. id. Dorn Seiffen.

200. *Extremum noctis* etc. Aurora, quia tenet confinia lucis, quae inchoat, et noctis, quam finit. Cf. Poot. Minnedichten Uchtentstont D. I. bl. 177. 4°. *Noctis* majuscula litera scribi

Phryx etiam Anchises, volucrum cui mater Amorum
Gaudet in Idaeis concubuisse jugis.
Nec, puto, collatis forma Menelaus et annis,
Judice te, nobis anteferendus erit.
Non dabimus certe socerum tibi, clara fugantem
Lumina, qui trepidos a dape vertat equos.
Nec pater est Priamo soceri de caede cruentus,
Et qui Myrtõas crimine signet aquas.

debet, inducitur enim, ut *Dea*, cui non secus ac Soli ac Lunae iter adscribitur. Oud.

201. *Volucrum Amorum.* Cf. vs. 38. Ep. VIII. Horum mater Venus. V. Argum. Ep. VII. §. 5. *Cui concubuisse.* Notandus est, inquit Ond., usus dativi cum hoc verbo Ovidio frequentissimus.

202. *Gaudet*, εὔχεται, κυδίαει. Ex quo concubitu natus est Aeneas

„. . . . Quem Dardanio Anchisae
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undas." Virg. Aen. l. I. vs. 617. sq.

203. *Nec, puto, collatis.* Sive comparatis. Se ipsum, inquit Anton. Paris commendat a forma et aetate, Menelaumque in contemtum adducit, objiciens suorum majorum scelera. *Collatus* mavult Oud.

205. *Non dabimus certe* (scilicet) *socerum tibi* etc. Atreus, pater Menelaï; unde socer Helenae. Fabulam narrat Dorn. Seiffen Op. l. in v. *Atreus.*

Clara fugantem lumina. Solem radiantem in fugam vertentem, *qui trepidos*, ita ut ipsos equos dapis foeditate territos averteret, refugere cogeret.

207, 208. *Pater soceri de caede cruentus* etc. Objicit Menelao avum Pelopem, qui socerum Oenomaum interfecit. V. Dorn Seiffen in v. *Pelops.* Simili figura utitur Oenone Ep. V. vs. 89. Drakenb. Hygin. fab. 84. narrat Oenomaum filiam Hippodamiam ex Evarete Acrisii filia susceptam ideo nulli in conjugium dedisse, quod sibi responsum fuisset, a genero mortem cavere. Compluribus illam uxorem petentibus certamen posuisse curule, atque Hippodamiam ei uxorem promisisse, qui secum quadrigis certasset, victorque exisset (quod is equos Aquilone velociores habuit) victus autem interficeretur. Multis interfectis novissime Pelopem Tantali filium venisse, eumque, cum interfectorum capita super valvas fixa vidisset, poenitere coepisse, crudelitatem regis timentem. Itaque, inquit Hyginus, Myrtilo

Nec proavo Stygia nostro captantur in unda
Poma, nec in mediis quaeritur humor aquis.
Quid tamen hoc refert, si te tenet ortus ab illis?
Cogitur huic domui Jupiter esse socer.
Heu facinus! totis indignus noctibus ille
Te tenet: amplexu perfruiturque tuo.
At mihi conspiceris posita vix denique mensa:
Multaque, quae laedant, hoc quoque tempus habet.

Oenomai aurigae persuasit, regnumque ei dimidium pollicetur, si se adjuvisset. Fide data, Myrtilus currum junxit, et clavos in rotas non conjecit. Itaque equis incitatis currum defectum Oenomai equi distraxerunt, (atque rex ipse curru excussus periit) Pelops cum Hippodamia et Myrtilo domum victor cum rediret, cogitavit sibi opprobrium futurum, et Myrtilo fidem praestare noluit, eumque in mare praecipitavit, a quo *Myrtōum pelagus* est appellatum.

209, 210. *Nec proavo Stygia* etc. Tantalus significatur, cujus ex Dione filius fuit Pelops, quem, cum Jovem ceterosque Deos domi suae epulis excepisset, ut eorum divinitatem probaret, in frusta concisum atque elixum iis adposuit. Cujus inpietatem ut punirent Dii Tantalum in Tartara dejecerunt, ubi mediis in aquis sitit, et adludentibus ori pomis, fame cruciatur. V. Dorn Seiffen in v. *Tantalus* et auct. ibi cit.

211. *Quid tamen hoc refert.* Quid interest, quid mihi prodest, majores Menelai tales esse? Hubert. Menelaus patre Atreo, avo Pelope, proavo Tantalo ortus erat.

212. *Cogitur huic domui* etc. Subaudi *si*, si huic familiae, sive ipsius Menelai socer esse cogitur, qui Menelaus est de gente ita scelerata atque impia. Hubert.

213. *Heu facinus!* Substantivum in malam partem esse accipiendum, vel me tacente, quivis intelligit.

214. *Perfruitur.* Ad satietatem usque fruitur. *Per* enim auget significationem. Eodem sensu verbum occurrit in Ovid. Rem. Am. vs. 537. Drakenh. Ovid. Ep. VIII. vs. 106.

215. *Vix denique.* Etiam cum difficultate. Hubert. Turnell. de partic. L. L. in v. *vix* diuturnam, inquit, exspectationem declarat, vel aliam rem, quae non facile fore videbatur.

Posita — mensa. Cf. Ep. I. vs. 31.

Hostibus evenïant convivia talia nostris,
Experior posito qualia saepe mero.
Poenitet hospitii, cum, me spectante, lacertos
Imposuit collo rusticus iste tuo.
Rumpor, et invideo (quid enim tamen omnia narrem?)
Membra superjecta cum tua veste fovet.
Oscula cum vero coram non dura daretis:
Ante oculos posui pocula sumta meos.

217. *Hostibus evéniant* etc. Solenne hoc erat antiquis, ut id, quod ex animo detestabantur, hostibus apprecarentur. Ovid. Am. L. III. El. 11. vs. 16. A. A. L. III. vs. 247. Quae loca ab eodem Drakenb. laudantur in not. ad Sil. Italic. L. II. vs. 54, ubi observat eamdem veterum superstitionem, qui, si quid triste atque ominosum audierant, id in hostes vertere solebant, ne omina illa sibi nocerent. Cf. Ovid. Ep. V. vs. 75. not. ad h. vs.

218. *Posito.* Cf. Ep. I. vs. 31, 32. not. ad vs. 31. d. Ep.

219. *Poenitet hospitii.* Qui illud male adceperim.

220. *Rusticus iste.* V. not. ad vs. 77. Ep. I.

221. *Rumpor et invideo.* ἓν διὰ δυοῖν. Invidia rumpor. Invidiam notat tantam, ut verbis rem aequantibus significari nequeant. Cf. Ep. VIII. vs. 57. Saepe, inquit Loers. d. spec., a poëtis *effectus* et *causa* juxta ponuntur, particula *et* conjuncta.

Enim. Indignantis est. V. Turnell. in v. Similis est formula, inquit Drakenb. in Ep. XII. vs. 117. Equidem voces *quid enim?* parenthesi tantum includo adcipioque eodem sensu, quo apud Phaedrum L. III. fab. 8. vs. 8. Post *invideo* commate, et loco signi interrogationis post *narrem* positis duobus punctis. Ut hexametri sensus sit. « Quamvis invidia rumpar, (quid tandem invidiam meam vehementius excitaret?) tamen omnia narrare possim. V. Turnell. de part. L. L. in vs. *tamen* n°. 4. Affectus adeo vehementior mihi linguam non praecludit.

222. *Membra superjecta* etc. Cum te amplectitur, et tenet in ulnis sub veste sua. Hubert. Laxas hic cogita Graecorum vestes. V. Herodot. L. II. §. 37. Valck. Wessel. et Larcher n°. 202. ad h. l.

223. *Non dura.* Mollia, lasciva. Hubert.

224. *Ante oculos posui* etc. Ne viderem. Hubert. Mensae adjacuisse Graecos reputa.

Lumina demitto, cum te tenet artius ille:
Crescit et invito lentus in ore cibus.
Saepe dedi gemitus: et te, lasciva, notavi
In gemitu risum non tenuisse meo.
Saepe mero volui flammam compescere: at illa
Crevit; et ebrietas ignis in igne fuit.
Multaque ne videam, versa cervice recumbo:
Sed revocas oculos protinus ipsa meos.
Quid faciam dubito. dolor est meus illa videre:
Sed dolor a facie major abesse tua.

225. *Cum tenet artius ille. Ille*, ut supra *iste* contemtum prae se fert. Heins. Cf. vs. 214. h. Ep.

226. *Crescit et invito* (prae dolore fastidiente) *lentus in ore cibus.* Videtur crescere, inquit Hubert. quia prae dolore edere non possum. Juvenal. Sat. XIII. vs. 212.

« . . . . . Interque molares
Difficili crescente cibo."

Ex anxietate enim cibus multum commasticatus (commanducatus) et commansus vix potest demitti per fauces, unde intelligitur, quare *lentus* dicatur cibus. Egregia itaque est, ut observat Ovid. naturae imitatio.

227. *Notavi.* Observavi, animadverti.

228. *In gemitu — meo.* Dum ego gemerem *te non tenuisse*, continuisse *risum*, non potuisse risu abstinere.

229. *Flammam compescere mero.* Similiter dolores compescere vino Tibull. dixit I. I. El. 2. vs. 1. ubi V. Broukh. Drakenb.

230. *Crevit.* Altius surrexit: vehementiam cepit majorem.

Ebrietas ignis in igne fuit. Accendit amoris insaniam. Hubert. Vinum, quod (ad ebrietatem usque) bibebam, effecit, ut vehementiore flamma amoris arderem, ac te magis amarem. Huc enim facit notum illud Terentii « Sine Cerere et Bacchо friget Venus" cui similia habet Ovid. Am. I. I. El. 6. vs. 59. A. A. I. III. vs. 762. Drakenb.

231 — 237. *Multaque* etc. Hisce in versibus amoris aestum ex natura expressum observes velim.

233. *Illa.* Non dubito cum Loers d. sp. quin hic loci *ista* legendum sit, cum multo majore gaudeat demonstrandi virtute, ac legatur in G. pr. et quarto et Cod. Trev.

Qua licet et possum, luctor celare furorem:
Sed tamen adparet dissimulatus amor.
Nec tibi verba damus: sentis mea vulnera, sentis.
Atque utinam soli sint ea nota tibi!
Ah quoties, lacrimis venientibus, ora reflexi,
Ne caussam fletus quaereret ille mei!
Ah quoties juvenum narravi potus amores,
Ad vultus referens singula verba tuos!
Indiciumque mei ficto sub nomine feci.
Ille ego, si nescis, verus amator eram.

235. *Qua licet.* V. not. ad vs. 52. Ep. II.

Luctor celare furorem. Eleganter Ovidius usus est verbo *luctari.* Proprie enim *luctari* dicuntur, qui se invicem complectentes, alter alterum, in terram dejicere conantur. Vehementem adeo nisum ac conatum indicat; quo Paridi hic opus erat, ad celandum non *amorem* sed *furorem*, quem vincere maximi res operis erat, nec tamen, ut ex seq. patet, poterat; *adparebat* enim, *manifestus et evidens* erat.

237. *Verba dare* i. e. fallere, decipere; quia qui rem exspectat et nihil praeter verba invenit, deceptus est. Donat. ad Terent. Eun. Proleg. vs. 24.

Sentis, sentis. De repetitionis vi ne verbum quidem addam, ne recoctam cramben lectoribus adponam. Id tantum iis in memoriam revocabo, verbum *sentire* et hic propria gaudere significatione, qua indicetur, tanta esse vulnera, Amoris sive Cupidinis telis sibi inflicta, ut sensibus deprehendi possint.

238. *Atque utinam* etc. Utinam praeter te vulnera sentiat nemo!

239. *Lacrimis venientibus.* V. not. ad. vs. 19. Ep. IV.

240. *Ille.* V. not. ad vs. 225. h. Ep.

241. *Potus.* V. vs. 230. h. Ep. *Amores juvenum.* Amicarum, quas juvenes amaverant, pulchrarum dotes et mores. Burm. in Addendis ad h. vs. van Lennep ad h. vs.

242. *Ad vultus referens singula verba tuos.* Ut intelligas haec te solam spectare, me hac sub specie tuam tantum laudare pulchritudinem.

243. *Ficto sub nomine,* Juvenum vs. 241.

244. *Ille ego.* Elegans et emphatica est conjunctio horum pronominum, ut apud Tibull. L. I. El. V. vs. 9. Virg. in Praefat. Aen. (ad quam v. Heynii

Quin etiam, ut possem verbis petulantius uti, 245
Non semel ebrietas est simulata mihi.
Prodita sunt (memini) tunica tua pectora laxa,
Atque oculis aditum nuda dedere meis:
Pectora vel puris nivibus, vel lacte, tuamque
Complexo matrem candidiora Jove. 250

not.) Drakenb. Cf. Ep. XII. vs. 105. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. IX. vs. 128. L. X. vs. 290. Ceterum haec sunt artis amatoriae, ut docet auctor A. A. L. I. vs. 569. Ovid. V. not. ad vs. 105. Ep. XII.

Si nescis. Ut hoc scias, ne ignores. Cf. Ep. XX. vs. 150. Virg. Ecl. III. vs. 23. Ruhnk.

Verus amator. Cujus ficto sub nomine amores narrabam.

245. *Verbis petulantius uti.* Licentius, audacius. Hubert. *Petulans* saepissime refertur ad *convicia.* V. Heins. ad Sil. Ital. L. VIII. vs. 266. Verum hic refertur ad *libidinem.* Ita *petulans* de homine libidinoso occurrit apud Cic. Parad. III. §. 1. *Petulantia* Orat. I. in Verr. c. 5. Petulantius contrectare mulieres Justin. L. VII. c. 3. §. 4. Drakenb.

246. *Non semel ebrietas est simulata mihi.* Paris igitur, inquit Drakenb., usus est eo artificio, quod amatores docet Ovid. A. A. L. I. vs. 597.

247. *Prodita sunt tunica tua pectora laxa.* Prodita, inquit Drakenb., revelata, oculis meis exposita. Ep. XII. vs. 38. h. Ep. vs. 8. Heins. ad Claudianum de Raptu Proserpinae vs. 3. Vel si *prodere* capere velimus (quod equidem malim) eo sensu, quo dicimus, *prodere urbem* et similia, locutio inde erit desumta, quod tunica, quae debuerat pectus *tegere* et *occultare*, ne nudum appareret, officium facere (praeter opinionem. V. not. ad vs. 40. Ep. I.) neglexerit. Eodem modo, quo *miles* dicitur *urbem prodere*, si hosti traditur, cum ad id conductus fuerit, ut eam defenderet.

Memini. Uti hoc verbo is fere solet, qui rem narrat, quae animum suum quondam quam maxime percelluit, vehementissime permovit. Cf. Ep. III. vs. 101.

248. *Aditum nuda dedere.* Pluribus hic non repetam, quae saepius me dicere memini, causam ac rationem reddere adjectivum verbo additum. *Aditum dare*, quod proprie magis *aperire* diceres, est *adeundi facultatem* praebere oculis, tanquam personis.

249. *Pectora vel puris nivibus vel lacte.* Quo Hyperbole

Dum stupeo visis, (nam pocula forte tenebam)
Tortilis e digitis excidit ansa meis;
Oscula si natae dederas: ego protinus illa
Hermiones tenero laetus ab ore tuli.
Et modo cantabam veteres resupinus amores:
Et modo per nutum signa tegenda dabam.

pertineat, et unde orta sit, alibi vidimus.

250. *Tuamque complexo matrem candidiora Jove.* Dicit Paris, Helenam *vel* s. etiam ei cygno potuisse comparari, in quem Jupiter transformatus concubuit cum Leda ejus matre. Cum enim *omnes* cygni (nigri itaque coloris cygnos ignorasse videtur Hubertinus) sint candidi, credibile est, illum fuisse candidissimum. Hubert. V. Ovid. Ep. XVII. vs. 55. sq. Hygin. fab. 77. et Poeticon Astronomicon L. II. c. 8. V. van Lennep ad h. vs.

251. *Dum stupeo visis.* Nota, inquit Drakenb., locutionem *stupere aliquâ re*, qua maxime utitur Sil. Ital. L. III. vs. 800. V. Burm ad Val. Flacc. L. V. vs. 376. Dixere etiam *stupere aliquid.* V. not. ad Sil. Ital. L. V. vs. 202. et *stupere in aliqua re* Horat. L. I. Sat. 6. vs. 17.

252. *Tortilis* (incurva) *e digitis excidit ansa meis*, qua tenebat poculum, quod ipsum sic quoque e manibus elapsum est. Ovid. Stuporis effectus, unde stuporis veritas adparet. Plerique enim, inquit Drakenb., pocula veterum fuerunt ansata, ut non tantum ex scriptis veterum, sed etiam ex nummis constat. Canthari, poculi Baccho proprii, icona exhibuit Drakenb. in not. ad Sil. Ital. L. VII. vs. 196. Cf. van Lennep ad h. vs.

253. *Oscula si natae dederas* etc. Ea enim est amatorum consuetudo, ut, quaecunque virgo, quam amant, vel ore tetigerint, ea et ipsi tangere studeant. V. Ep. XVII. vs. 80. Qua de re praecepta tradit Ovid. A. A. L. I. vs. 575. sq. Drakenb.

Protinus. Hujus particulae vim ne negligas; Amatoris enim ardorem indicat.

254. *Laetus ab ore tuli.* Adjectivum hic non causam significat, quare ferret, sed effectus osculi ablati.

256. *Et modo per nutum signa tegenda* (celanda) *dabam.* Quod Helena Paridi objicit Ep. XVII. vs. 81. Haec enim consuetudo erat apud antiquos, cum palam non possent, vultu et nutibus loquerentur, vel digitis sermones sererent, illisque mero madefactis animi sensa in mensa scriberent. V.

Et comitum primas, Glymenen Aethramque, tuarum
Ausus sum blandis nuper adire sonis.
Quae mihi non aliud, quam formidare, locutae,
Orantis medias deseruere preces.
Di facerent, magni pretium certaminis esses;
Teque suo victor posset habere toro:
Ut tulit Hippomenes Schoeneïda, praemia cursus;
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus;

Tibull. L. I. El. 2. vs. 21. Ep. XVII. vs. 87. Ovid. Amor. L. I. El. 4. vs. 17. sq. Drakenb.

257. *Comitum primas — tuarum.* Praecipuas, familiarissimas: *primus* enim hic notat non *ordinem* sed *dignitatem*. Drakenb. Cf. not. ad vs. 39. Ep. IV. et Ep. XVII. vs. 268. easdem *comites* dicit Helena ac *consilium*.

258. *Blandis — adire sonis;* alias *adgredi*. Blande *alloqui*, inquit Hubert., qui hoc praecipientem laudat Ovid. de Arte Amandi; perperam vero L. II. citat. Hoc enim praeceptum invenitur in L. I. vs. 354. sq. V. Broukh. in not. ad Tibull. L. I. El. 5. vs. 39. ab Oud. cit.

259. *Non aliud, quam formidare, locutae.* Ad blandos sonos, ad preces meas nihil respondentes nisi se Menelaï iram, si rescivisset, timere; quam nisi reformidarent, sese in meas partes libentissime transituras: quem timorem re ipsa probabant, nam vs. 260. *Orantis medias deseruere preces.* In precum mearum cursu repente abierunt, metu, ne a Menelao deprehenderentur.

261. *Di facerent.* Cf. Ep. II. vs. 66. Exoptatione, inquit Anton., audaciam, amoris gratia, in subeundis certaminibus firmat.

Magni pretium certaminis esses. Quod certamen, quamvis magnum sit, si tu certaminis praemium esses, subirem. Anton. *Pretium* pro *mercede ac praemio* poni et alibi observavi. Nunc Lectores delego ad Burm. ad Phaedri L. I. fab. 8. vs. 1. ibique laud. N. Heins. ad Ovid. Ep. VI. vs. 146. Metam. L. II. vs. 701.

263. *Ut tulit*, abstulit. Cf. Ep. VI. vs. 18. *Hippomenes Schoeneïda.* Sumit Paris exempla quorumdam, qui certarunt pro amore, quos dicit se imitaturum. Hubert.

Schoeneïda. Atalantam, Schoeneï filiam, quae a patre, ut ad h. vs. notat Drakenb., obtinuerat, ne in vita nuberet. Ut igitur procos, quos propter formam habebat plurimos, ipsa celeritate pedum praestans deterreret, hanc illis conditionem

Ut ferus Alcides Acheloïa cornua fregit,
Dum petit amplexus, Deïanira, tuos.
Nostra per has leges audacia fortior isset:
Teque mei scires esse laboris opus.

proposuit, ut secum cursu certarent ea lege, ut victus interficeretur, victor ipsius matrimonium obtineret; post plures interfectos in certamen descendit Hippomenes (Megarei e Metope filius) a Venere tribus aureis malis donatus. Cum autem et eum superatura esset (ex Veneris praecepto mala inter currendum Virgini objecit; quae omnia dum puella cupida attollere curat, cursu ab Hippomene praeventa est et superata. Postea ingratus adversus Venerem fuit; quare indignata inpatientiam libidinis in eos immisit, ita ut in loco sacrato Cybeli, matri Deorum, concubuerint. Ob quam causam in leones conversi sunt a Cybele. Ovid. L. X. (fab. 11.) Metam. Dicit ergo Paris, quod, sicut Hippomenes non territus conditione mortis certamine cursus Atalantam meruit; ita et ipse facerem pro Helena. Hubert.)

264. *Venit ut in Phrygios* etc. V. not. ad vs. 70. Ep. VIII. et ad vs. 208. h. Ep.

265, 266. *Ut ferus Alcides* etc. V. not. ad vs. 139. Ep. IX.

267. *Nostra per has leges audacia fortior isset*, inquit Drakenb. ad h. l., pro *fuisset*: haud. Servio ad Virg. Georg. L. I. vs. 19. Qua ratione ducti hi Viri hanc verbi *isset* interpretationem dederint, equidem non video. Etymologiam certe *τῷ eo* in consilium non adhibuerunt. V. Voss. in Etymol. L. L. in v. Nec poëtica ratio apud eos in censum venisse mihi videtur. Ut millies, ita et hic, *Audacia* dicitur *ire*, abstracte *audacia* pro concreto *audax* sumto. Orationem ita construe: Audacia nostra isset fortior per *has leges*, has conditiones (ut pretium certaminis esses). Uti *ire per vitam*, perire significat, a vitae quasi carceribus ad metam decurrere; ita *ire per leges* sive conditiones interpretor; nullam legum partem transilire, omnes, nulla exceptione, conditiones adimplere. Eadem notione dixit Higthius in Reditum Veris *ire per laudes*. Verborum ergo mihi hic est sensus: „Ego majori etiam, quam superiores, animo sive audacia omnibus certaminis optati legibus s. conditionibus satisfecissem."

268. *Teque mei scires esse laboris opus.* In pronomine *mei* ceteris majorem emphasin pono, ut sensus sit: „Ex labore, quem supra dictis procis multo majorem insumerem, ad-

Nunc mihi nil superesse, nisi te, formosa, precari;
Amplectique tuos, si patiare, pedes.
O decus, o praesens geminorum gloria fratrum!
O Jove digna viro, si Jove nata fores!
Aut ego Sigeos repetam te conjuge portus:
Aut ego Taenaria conteger exsul humo.
Non mea sunt summa leviter destricta sagitta
Pectora: descendit vulnus ad ossa meum.

res, intelligeres, efficeres, Paridem esse, qui, ut tuo amplexu frueretur, tantis corporis intenderet vires, quantas nemo antea.

269. *Nunc*, cum tale certaminis praemium mihi non proponitur, nihil aliud facere possum quam te precari, et (quod precantium ac deprecantium in primis consuetudo erat) pedes tuos amplecti. V. not. ad vs. 83. Ep. XIV. ac vs. 153. Ep. XV. vs. 31. Ep. II.

271. *O decus, o praesens geminorum gloria fratrum* etc. Cf. vs. 128. h. Ep. et seq. V. not. ad vs. 148. h. Ep.

Praesens gloria, oculis subjecta. V. vs. 101. h. Ep. Observat vere Drakenb., et hunc locum et vs. 250. Ep. XVII. destruendae Quinctil. I. O. L. IX. c. 4. sententiae facere. Apud Quinctil. nempe haec leguntur. „Quaedam ordine permutato fiunt supervacua, ut *fratres gemini*. Nam si *praecesserint gemini*, fratres addere non est necesse." Nec tamen quid contra Quinctiliani sententiam faciant hi versus, equidem video. Quid, quaeso, aliud monet Quinctil., quam, τῷ *gemini* praecedente, non *necessario* requiri, ut *fratres* addatur. Firmat contra, ni fallor, Rhetoris dictum, quo contendit, aliquando τὸ *fratres* addere licere. Et Cic. dixit *geminos fratres* L. I. de Divinatione, ut Burm. ad d. Quinctil. l. monet.

273, 274. *Aut ego* etc. Alterum de duobus modo fieri licet, aut tu mecum Trojam tendes, aut ego longe a patria, Spartae, moriar. De Sigeo vid. Ep. I. vs. 33. et not. ad h. vs. De *humo Taenaria* vid. not. ad vs. 72. Ep. VIII.

275. *Non mea sunt summa* etc. Rationem praecedentium haec reddunt, quare ante *non* cogitatione ponas *Nam*. Cf. vs. 124, 133, 102. h. Ep.

Summa leviter destricta sagitta. *Stringi* et *destringi telis*, inquit Drakenb., dicuntur, qui tantum *leviter vulnerantur*. Id *eleganter* minuit παραλογία, dicendo, primum *leviter destric-*

Hoc mihi, (mira repeto) fore ut a coelesti sagitta
Figar, erat verax vaticinata soror.
Parce dictam fatis, Helene, contemnere amorem:
Sic habeas faciles in tua vota Deos. 280

ta, dein *leviter destricta summa sagitta*, i. e. extrema tantum parte sagittae. Quomodo *παιπολογίαν* in elegantiis posuerit V. Cl., non intelligo. Est enim *παιπολογία*, definiente Quinctil. J. O. L. VIII. c. 3. pag. m. 698, ejusdem verbi aut sermonis vitiosa ratio. Qui tantum abest, ut elegantiam dicat, ut scribat: « Haec enim (*παιπολογία*) quamquam non magnopere summis auctoribus vitata, interim *vitium* videri potest; in quod saepe incidit etiam Cicero." Nec mea quidem sententia vitium illud hic commisit Ovidius, sed summo delectu iis usus est verbis, quae, quamvis diversae significationis, in eo solum conspirant, ut sagittam a Cupidine in ipsum missam summum pectus rasisse elegantissime indicent. Singula, si placet, videamus. *Summa sagitta* quae sit, supra explicuit Drakenb. *Leviter* modum sive rationem ostendit, qua cutem quasi libavit (V. not. ad vs. 115. Ep. II.) *obiter*, quasi *in transcursu* tetigit sagitta. *Destringere* interprete Gesn. in Thes. L. L. est stringendo et arcte prehendendo auferre, vel pungere adeo. Ex dictis ergo, ni fallor, efficitur, *instrumentum* significari *summa sagitta; rationem τῷ leviter; actionem*, quam passa sunt Paridis pectora, participio *destricta*. Vondel h. vs. vernacule reddidit: « Myn borst is niet effen, boven op, met een pyl geraeckt." *Boven op* illi significat *summa*, *met de uiterste punt van den pyl*.

276. *Descendit* etc. V. supra vs. cit. in not. ad vs. 275.

277. *Nam repeto*, in memoriam reduco, recolo vs. 113. Ep. V. ut ne dubites divinitus hoc factum esse.

Fore, ut a coeleste sagitta figar etc. V. vs. 119. sq. h. Ep. *Coeleste*, inquit Drakenb., contra Grammatices regulas pro *coelesti*. Voss. de Arte Gramm. L. IX. c. 11. (Oper. tom. II. pag. 228.) Paris autem postea vulneratus est a Philoctete sagitta Herculis, quae hic indicatur *per coelestem sagittam*. Apollon. Biblioth. L. III. c. 12. V. not. ad vs. 113. Ep. V.

278. *Verax*. Differunt significatione *verus* et *verax*. *Verus* est, qui verum *dicit*. *Verax*, qui *semper* verum dicit. Dantur tamen et ab hac regula exceptiones. V. Ovid. Ep. V. vs. 123, ubi *vera* ponitur pro *verax*. Drakenb.

279. *Parce*, V. not. ad vs. 43. Ep. V.

Multa quidem subeunt: sed coram ut plura loquamur,
Excipe me lecto, nocte silente, tuo.
An pudet, et metuis Venerem temerare maritam,
Castaque legitimi fallere jura tori?
Ah nimium simplex, Helene, ne rustica dicam,
Hanc faciem culpa posse carere putas!

Datum fatis etc. Cf. vs. 16. sq. h. Ep.

280. *Sic habeas* etc. V. not. ad vs. 135. Ep. III. conf. not. ad vs. 169. Ep. IV.

Faciles, non duros. V. vs. 287. h. Ep.

In tua vota. Precibus cum fere adderentur vota, quibus Deos flecterent, factum est, ut hae voces idem significare coeperint, quamvis re diversae. Vota enim precibus inserebantur a veteribus, qui omnia humana ad Deos transferebant, ut beneficio promittendo beneficium elicerent, faciliusque adeo preces exaudirentur.

281. *Multa quidem subeunt*, succurrunt, interpretatur Hubert., in mentem veniunt, quae possim scribere.

Quidem convenit cum Graeco δή habetque adfirmandi notionem. Plerumque post se trahit *sed*, *at*, *sed tamen*, *verumtamen*, ut scripsit Turselt. de Part. L. L. in v. *quidem* p. m. 846.

282. *Sed — excipe me lecto, nocte silente, tuo*, ut, quae multa a me tibi dicenda sint, exaudias, arbitris remotis, *nocte silente*, qua omnes res creatae, praeter me, silebunt. Cf. Ep. VI. vs. 96. Reticentia vero curiositatem, quam feminis solis ajunt familiarem, in Helenae animo alit atque acuit.

283. *An pudet?* excipere me lecto tuo. Hubert. Interrogatione objectionem Helenae occupat Paris.

Venerem temerare maritam, h. e. Venerem matrimonii praesidem adulterio laedere. De Venere marita vid. Broukh. ad Tibull. L. I. El. 3. vs. 79. Ruhnk.

284. *Fallere jura.* Legendum est cum Burmanno *solvere jura*, inquit Oud.; nam recte quidem dicitur *fallere fidem*, non item *fallere jus*, *verum. Solvere jus*, *legem*, *disciplinam* quis dicitur, cum contra eam peccat, ac rumpit quasi vinculum et frenum, quo regi et contineri debebat; unde etiam in hac re dixit Phaedr. L. I. fab. 2. vs. 3. *frenum solvere* ac Liv. L. VII. c. 49. *solvere mores.* Graeci similiter dicunt λύειν νόμους, ἐντολάς.

285. *Ah nimium simplex*, *ne rustica dicam.* Majorem significationem posteriori quam priori adjectivo tribuisse videtur Nago. Wilh. Corn. Aukersdyck in

Aut faciem mutes, aut sis non dura, necesse est.
Lis est cum forma magna pudicitiae.
Jupiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.
Haec tibi nempe patrem furta dedere Jovem.
Vix fieri, si sunt vires in semine avorum,
Et Jovis et Ledae filia, casta potes.
Casta tamen tum sis, cum te mea Troja tenebit:
Et tua sim, quaeso, crimina solus ego.

disputatione Philologico-Juridica *de utilitate et auctoritate poeseos et poëtarum in jurisprudentia, nec non de utilitate jurisprudentiae in legendis et explicandis poetis.* Traj. ad Rhenum 1779. pag. 92.

286. *Hanc faciem* etc. Adulterium *culpam* nominavit, quod *crimen* dicere potuisset, sed Paris Helenam ad amorem pellicere cupiens rem turpem honestiori vocabulo lenivit, atque hoc argumento adulterium in Helena *crimen* non esse demonstrat, quod facies ejus tam pulchra sit, ut culpa carere nequeat. V. disp. modo cit. pag. 92.

289. *Jupiter his gaudet.* V. R. van Ommeren in Adnot. ad orat. I. de Q. Horatio Flacco homine. pag. 49.

Venus aurea. V. not. ad vs. 35. h. Ep.

Furtis. V. not. ad vs. 43. Ep. VI.

290. *Haec tibi nempe patrem furta dedere Jovem.* Quia, nisi mater tua, quae uxor erat Tyndarei, cum Jove concubuisset, non esset pater tuus. Hubert. Vide, quo Deorum ex hominibus fictorum auctoritate abuterentur et Paris et Paridis similes, quamque justum etiam hac in parte Ciceronis sit votum. « Malim Divina transtulissent ad nos (puta homines) non humana ad Deos."

291. *Si sunt vires in semine avorum.* Indicat, Helenam ex stupro Jovis et Ledae conceptam, castam esse non posse, si verum sit, liberos plerumque referre indolem parentum. Huc spectat locus Horatii L. IV. Od. 4. vs. 29. Drakenb. et Oud.

294. *Et tua sim, quaeso, crimina solus ego.* Mei solius amor tibi crimini vertatur. Propert. L. II. El. 21. vs. 2. et quidem *crimen* saepe emphatice de adulterio, amore illicito usurpatur: cf. Ep. XVII. quo sensu etiam hic capi debet; adeoque verba « *ego solus sim crimina tua* " exponi possunt: Cum me solo adulterium committas. V. Ep. IX. vs. 51. Drakenb. Eleganter ipse homo, vel res vocatur crimen, in quo vel qua quis peccatum committit, vel

Nunc ea peccemus, quae corrigat hora jugalis: 295
Si modo promisit non mihi vana Venus.
Sed tibi et hoc suadet rebus, non voce, maritus:
Nave tui furtis hospitis obstet, abest.
Non habuit tempus, quo Cressia regna videret,
Aptius. o mira calliditate virum! 300

crimen consistit. Oud. Admonitionem adeo Oenones non curabat Paris, quae exstat vs. 99. Ep. V. nec meminerat, quae modo, vs. 290, ipse ad Helenam perscripserat. At quis unquam cum ratione insaniat?

295. *Nunc ea peccemus, quae corrigat hora jugalis.* Adulterium nunc committamus, quod legitimo corrigi matrimonio potest. Eadem constructio, notante Oud., obcurrit apud Terent. Adelph. Act. I. sc. 2. vs. 31. et Heaut. Act. V. sc. 2. vs. 21. Quodnam sit significationis discrimen inter *peccare in cognatam* et *in cognata* V. in Dict. Cl. Ruhnk. in Terent. Phorm. Act. IV. sc. 3. vs. 20. *Hora jugalis* temporis indicat punctum, quo matrimonium cum Helena initurus esset.

296. *Si modo* fere dubitat adjuncta quadam optatione. V. Cic. ad Attic. L. XII. Ep. 19. in qua sola, non vero in additis Ep. 20 et 37. in not. ad Tursell. Op. l. in v. *modo* pag. m. 481, auctoris dicta simili exemplo confirmata vidi; in his enim *si modo* ne obcurrit quidem.

Promisit non vana, non falsa, quod sis futura uxor mea. Hubert. V. vs. 185. h. Ep.

297. *Rebus.* Alias *re; abest* enim (quod adulter vs. seq. falso explicat) ut maritus uxori adulterii obportunitatem ultro ac consulto praebeat.

299. *Non habuit tempus — aptius.* Ovidius, inquit Drakenb., non aperit causam, cur Menelaus in Cretam profectus sit. (Hic certe Poëta nec potuit, nec debuit, quippe Paridis consilio et artibus adversum. T.) sed Helena eum id, re cogente, fecisse dicit Ep. XVII. vs. 155. Si vera tradit Dictys Cretensis L. I. de Bell. Troj. c. 1. eo abiit, ut hereditatem avi materni Catrei, qui erat filius Minois et regnum Cretae obtinuerat, cum cognatis divideret. Agamemnon autem et Menelaus matrem habuerunt Aeropen, Catrei filiam. V. Apoll. Bibl. L. III. c. 2.

Cressia. Pro Cretensia. Auferendum autem est unum *s*; nam *Cressa* quidem dicitur foeminino genere, a *Cres* non *Cressia*. Ovid. in Ibid. *Cresia turba* dixit vs. 512. Vid. Serv.

Ivit, et, Idaei, mando tibi, dixit iturus,
Curam pro nobis hospitis, uxor, agas.
Negligis absentis (testor) mandata mariti:
Cura tibi non est hospitis ulla tui.
Hunccine tu speres hominem sine pectore dotes
Posse satis formae, Tyndari, nosse tuae?
Falleris: ignorat. nec, si bona summa putaret,
Quae tenet, externo crederet illa viro.
Ut te nec mea vox, nec te meus incitet ardor:
Cogimur ipsius commoditate frui.
Aut erimus stulti, sic ut superemus et ipsum:
Si tam securum tempus abibit iners.

et Heins. ad Virg. Aen. L. IV. vs. 70. Ruhnk.

300. *O mira calliditate virum!* Est ironia, q. d. o simplicem et stultum hominem. Hubert.

301. *Idaei.* Cf. Ep. VIII. vs. 73. Vid. §. 5. Argum. Ep. V.

302. *Pro nobis.* Nostro loco. Ut ipse praesens hospitis curam gessi.

303. *Mandata mariti.* Elegantior, inquit Oud., MMorum lectio, *tyranni;* vult enim (Paris), illam parere debere Menelao, ut *regi* ac *tyranno*, non vero ut marito.

305. *Hominem sine pectore.* Sine prudentia ac sensu communi. Oud. V. Horat. Ep. L. I. Ep. 4. vs. 6. not. ad vs. 300. h. Ep.

Dotes. V. not. ad vs. 146. Ep. XV.

307. *Bona summa.* Cf. Terent. Andr. Act. IV. sc. 3. init. Nempe *te.*

308. *Crederet* tanquam pecuniam debitori certo tempore reddendam.

309, 310. *Ut te nec mea vox* etc. Interprete Hubertino « Licet nec verbis meis nec vehementi meo erga te amore exciteris; tamen est fallendus maritus tuus, et debes mihi morem gerere: quia simplex est et stultus.

310. *Commoditas* est opportunitatis commoda occasio. Cf. vs. 176. Ep. XVII. Drakenb. Facilitate et indulgentia, ut Ep. XVII. vs. 176. A. A. L. II. vs. 372. Oud.

Frui voluptatem, rei fructum; *uti* usum, utilitatemque e re percipiendam spectare, alibi dixi.

311. *Sic ut superemus et ipsum*, stultitia, puta.

312. *Securum tempus abibit. Securum tempus* dicitur, in quo

Pene suis ad te manibus deducit amantem.
Utere non vafri simplicitate viri.
Sola jaces viduo tam longa nocte cubili:
In viduo jaceo solus et ipse toro.
Te mihi, meque tibi communia gaudia jungant.
Candidior medio nox erit illa die.
Tunc ego jurabo quaevis tibi numina: meque
Adstringam verbis in sacra jura tuis.

hon opus est, ut timeant Paris et Helena, ne a Menelao in adulterio deprehendantur. Drakenb.

Abibit iners. Effluet, elabetur sine concubitu. V. not. ad vs. 156. h. Ep.

313. *Pene suis — manibus.* Locutio proverbialis, quae et obcurrit apud Val. Max. L. I. c. 8. Ext. 18. Ruhnk.

314. *Non vafri.* Non astuti nec callidi et te decipere nolentis, sed incauti. Vid omnino Heins. et Burm. ad Ep. XX. vs. 30. Oud.

Simplicitate. V. not. ad vs. 63. Ep. II.

315. *Sola jaces viduo* etc. V. not. ad vs. 10. Ep. I.

318. *Candidior* etc. Cf. vs. 124. Ep. XV.

319. *Jurabo quaevis — numina. Jurare* verbum neutrum active adhibetur, ut Graeci ὀμνύειν τοὺς θεούς. V. Vechn. Hellenol. L. I. c. 7. et vs. 23. Ep. II.

Numina quaevis. Per quae tu velis me juraturum, ut omnem meae fidei dubitationem tibi eximam.

320. *Meque adstringam verbis in sacra jura tuis.* Dicendo *tuis verbis* judicat Paris, se tale jusjurandum praestiturum, quale Helena verbis praeiverit. In his autem videtur esse Hypallage, *adstringam me verbis tuis in sacra jura* pro *adstringam me sacro jure in verba tua.* Certe locutio *jurare in verba alicujus* ubique occurrit, ut apud Horat. L. I. Ep. 1. vs. 14. Similiter *obstringi jurejurando in verba alicujus* apud Justin. L. XIV. c. 4. §. 3. *Sacro jure* autem pro *jurejurando. Jura sacrata* dixit Virg. Aen. L. II. vs. 157. V. not. ad Ep. II. vs. 31. Drakenb. *Sacrata jura.* Heyn. ad d. Virg. l. sunt *civitatis jus, jus sacrum.* Quod ad explicationem τῶ *jura* vid. Ep. II. vs. 31. et not. ad h. vs. Hubert. *in sacra jura matrimonii*, inquit, i. e. obligabo me futurum semper maritum tuum. Versuum 319, 320. hic est, meo quidem judicio, sensus. «Die mihi Deos, quos, ut fidem meam firmem, testes invocem, ac verbis a te conceptis obligabo, ut ait Ilu-

Tunc ego, si non est fallax fiducia nostri,
Efficiam praesens, ut mea regna petas.
Si pudet, et metuis, ne me videare secuta:
Ipse reus sine te criminis hujus agar.
Nam sequar Aegidae factum, fratrumque tuorum.
Exemplo tangi non propiore potes.
Te rapuit Theseus; geminas Leucippidas illi:
Quartus in exemplis adnumerabor ego.

bert., me futurum semper maritum tuum." Ita nullus hypollagae locus est relictus. V. van Lennep in Animadv.

321. *Fallax.* V. not. ad vs. 178. h. Ep. Hic est *falsa.*

322. *Ut mea regna petas.* Ut Trojam venias. Hubert.

323. *Si pudet, et metuis.* Cf. vs. 283. h. Ep., in quibus Deorum auctoritate et pudorem et metum amovere Paris conatus est; hic eam viam init, ut omnem in se culpam transferendo Helenam cum crimine tum metu liberet. Ita nihil intentatum relinquit Paris, quo Helenae in maritum pietatem expugnet ac deleat!

Ne me videare secuta. Ne videare sponte discessisse. Hubert. Mei appetens fuisse, et libidinosa lascivia ultro maritum deseruisse, quales mulieres alienum virum amantes *secutulejae* vocantur Petronio Sat. c. 81. Val. Flacc. L. VIII. vs. 14; unde Medea *sequax* Propert. L. IV. El. 5. vs. 41. L. II. El. 25. vs. 8. ac Sabinum Ep. I. vs. 80. Oud.

324. *Ipse reus sine te* etc *Ipse* (solus) ob hoc crimen accuser. Drakenb. Dicar ego te invitam rapuisse. Oud. V. not. ad vs. 120. Ep. XIV. cf. vs. 7. Ep. XIV. Innuit autem Paris, inquit Drakenb., se Helenam insciam rapturam, ne ita accusari posset, quod se rapi praebuisset.

325. *Nam sequar Aegidae factum.* Primus ergo non ero, qui hoc committam. Et, quorum virorum exemplum imitabor! V. Ep. IV. vs. 59. et vs. 147. sq. h. Ep. et vs. 327.

Fratrumque tuorum. Castoris et Pollucis. Cf. vs. 291. h. Ep.

326. *Exemplo tangi* (moveri, inpelli) *non propiore potes*, quam scil. fratrum tuorum.

327. *Leucippidas illi.* Idas, inquit Hyginus fab. 80, et Lynceus Apharei filii ex Messenis habuere sponsas, Phoeben et Lairam (sive Hairam in not. ad Hygin.) Leucippi filias. Hae autem formosissimae filiae cum essent, et esset Phoebe sacerdos Minervae, Lairа Dianae, Castor et Pollux amore incensi eas

Troïa classis adest armis instructa virisque:
Jam facient celeres remus et aura vias.
Ibis Dardanias ingens regina per urbes:
Teque novam credet vulgus adesse Deam.
Quaque feres gressus, adolebunt cinnama flammae;
Caesaque sanguineam victima planget humum:

rapuerunt etc. Cf. Apollod. Bibl. L. III. c. 11.

329. *Troïa classis adest.* Arguit, inquit Hubert., a facilitate discedendi; dicit enim se habere omnia parata.

Armis instructa virisque i. e. viris armatis. Cf. vs. 59. Ep. XIII, quae ab omni impetu nos tutos praestet. Sic describit, inquit Oud., classem bello egregie paratam vulgari formula, qua utebantur Romani ad militares vias exprimendas. V. Tacit. Hist. L. II. c. 22. Flor. Epit. Rer. Rnarum in Proöem. §. 6. et Duker. ad L. I. c. 18. §. 6.

330. *Jam facient celeres remus et aura vias.* Celeritas et abitus et cursus hisce significatur. *Jam* enim futuro junctum *mox* notat. V. Tursell. Op. l. in v. *Remus et aura*, quarum rerum quaeque per se celerem cursum faciunt, nedum conjunctae. Cf. vs. 23 et 24. h. Ep. Videtur, inquit Oud., in phrasi *remus et aura* aliquid anomalum esse; nam voluit auctor dicere, gemina ope remorum ac velorum citum abitum paratum iri; *remis* ergo *vela* erant adjungenda, vel *aurae* seu *vento* jungendus *aestus* sive *unda maris*, ut vs. 23. h. Ep. Sed et alibi ita egit Ovid., jungens instrumentum, quo homines utuntur, ac beneficium ipsius coeli hac in re. Ovid. Trist. L. I. El. 1. vs. 91. *hic remis utaris an aura.* Ubi Heins. malebat e MSto *ala* pro velo. Verum nunquam, quod sciam, *ala* in singulari numero sic occurrit. Adhaec *alae* aeque dicuntur de *remis* ac *velis*. V. ipsum Heins. ad Ovid. A. A. L. II. vs. 45, ad Propert. L. IV. El. 6. vs. 47.

331. *Ibis* (alias *incedes*, quod majestatis est). *Dardanias* (Cf. vs. 79. Ep. XIII.) *ingens*, inclyta, potens *regina* vs. 81. sq. *per urbes*, pluralem nota numerum. Cf. vs. modo. l. l.

332. *Teque novam credet vulgus adesse Deam.* Quia tanta Helenae erat pulchritudo, ut vulgus intelligere non posset, eam *in hominem* cadere posse. V. Peerlk. V. Cl. ad Xenoph. Ephes. pag. 12. vs. 8. Oud. laudat Spanhem. in Callim. Hymn. in Cererem vs. 133.

333. *Adolebunt cinnama flammae. Adolere* et simplex *olere*

Dona pater fratresque, et cum genetrice sorores,
Iliadesque omnes, totaque Troja, dabunt.
Hei mihi! pars a me vix dicitur ulla futuri.
Plura feres, quam quae litera nostra refert.
Nec tu rapta time, ne nos fera bella sequantur,
Concitet et vires Graecia magna suas.

proprie notant *augere*, ut Grammatici tradunt. Rationem significationis traditam l. a Peris. ad Sanctii Minerv. L. IV. c. 14. n°. 22. pag. m. 756; quem l. cit. Oud. In rebus autem sacris, boni ominis causa ponuntur pro *incendere*. Val. Flacc. Argon. L. III. vs. 443. ac plerumque quidem usurpantur de *thure*. Virg. Ecl. VIII. vs. 65, ubi vid. Serv. Quo sensu vox h. l. capi debet; *cinnama* enim inter thura Diis oblata feruntur. Ovid. Fast. L. III. vs. 731. Metam. L. X. vs. 308. Alibi tamen adhibentur etiam de aliis sacrificiis. l. III. Fast. vs. 803. Drakenb. V. not. ad vs. 25. Ep. I. Oud. observat *cinnama* Paridem maluisse dicere, quam *thura*, ut doceat divitias sui regni, et usum illic pretiosissimorum aromatum, cum in Graecia vile thus offerebant Diis. Cinnama autem Jovi aliquando esse oblata, auctore Baccho ex India victore reverso vid. Ovid. Fast. L. III. vs. 731.

334. *Victima planget humum*. Dum mactatur, cadens sonitum edet et faciet, ut terra resonet. Ovid. Fast. L. I. vs. 578.

337. *Hei mihi* etc. Cf. vs. 181. sq. h. Ep. V. not. ad vs. 184. h. Ep.

338. *Litera nostra*. Epistola. Quod enim reliqui scriptores in plurali *literae*, id poëtae et praesertim Ovidius in singulari *litera* dixerunt. V. Ep. III. vs. 1. Ep. XV. vs. 1. Ep. XVIII. vs. 15. Drakenb.

339. *Rapta time*. Participium causam timoris aperit. Quod ad *rapta* vid. not. ad vs. 1. Ep. III.

Fera bella. Cf. Ep. I. vs. 31. Drakenb.

340. *Concitet*. Saepius evocando in unum locum cogat. Est enim frequentativum τοῦ *concire*. Simplex *cio* sive *cieo* significat *moveo*. Prius *cio* Vossius in Etymolog. in v. derivat a Graeco κίω *eo* (moveo me). Posterius a κινέω *moveo*, omisso ν, quod et in aliis derivatis factum esse exemplo demonstrat.

Graecia magna. V. vs. 176. h. Ep. van Lennep in Animadv.

Magna praeter majorem vetustatis auctoritatem majorem videtur habere vim, nam *tota* etiam de *parvula* terra dici potest. Loers in d. spec.

Tot prius abductis, dic quae repetita per arma est?
Crede mihi, vanos res habet ista metus.
Nomine ceperunt Aquilonis Erechtida Thraces:
Et tuta a bello Bistonis ora fuit.
Phasida puppe nova vexit Pagasaeus Iason:
Laesa nec est Colcha Thessala terra manu.
Te quoque qui rapuit, rapuit Minoïda Theseus:
Nulla tamen Minos Cretas ad arma vocat.
Terror in his ipso major solet esse periclo:
Quaeque timere libet, pertimuisse pudet.

341. *Abductis.* V. s. va. 339. Cf. not. ad vs. 1. Ep. III. sive *per vim raptis* inquit Oud. laud. va. 86. Ep. VIII.

Dic. Formula est, inquit Oud. in Dict. MMS. in Terent. Andr. Act. IV. sc. 1. vs. 43, cum imperio rogantis et curiose inquirentis; neque enim *injuriosi* quid in se continet, ut censent quidam. V. Broukh. ad Prop. L. IV. El. 3. vs. 23. Ad d. Propert. vs. praeter alia, hoc, quod et ad h. vs. facit, observat, phrasin *dic mihi* artificiose exponere *sollicitudinem* amantis. Pluribus pro re nata verbum *dicere* gaudet significationibus, quo et *objurgantes* utuntur et *exprobrantes*, et *provocantes ad probandum*, ut ad h. vs. observat Ruhnk., quem et vid. ad Terent. Phorm. Act. II. sc. 3. vs. 90. et Act. II. sc. 4. vs. 7.

343. *Nomine — Aquilonis.* Historiam tetigit, inquit Hubert., non fabulam. Erechtheus, rex Atheniensium, filias duas habuit formosissimas, quarum Procris nupsit Cephalo; alteram, Orithyiam, cum rex Thracum uxorem petivisset et non impetrasset, ille parata et instructa classe misit, qui illam raperent. Et quoniam, spirante Borea vento, qui flat ex Attica in Thraciam, (leg. ex Thracia in Aticam) navigantibus abducta est, datus est locus fabulae, quod Boreas ventus eam abstulerit.

344. *Et tuta a bello* (adversus, contra bellum) *Bistonis ora fuit.* V. not. ad vs. 90. Ep. II.

345. *Phasida puppe* etc. V. Argum. Ep. VI.

Pagasaeus autem dictus Iason a Pagasaeo, Thessaliae sinu, unde navem solvit.

347. *Te quoque qui rapuit.* V. vs. 147. sq. h. Ep. et not. ad vs. 151.

Minoïda. Ariadnen. V. Argum. Ep. X.

348. *Nulla — ad arma vocat* pro *non vocat ad arma* Ep. X. vs. 11. Drakenb. Gravius *nulla.* V. not. ad vs. 11. Ep. X.

349. *Terror in his ipso ma-*

Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum.
Et mihi sunt vires: et mea tela nocent.
Nec minor est Asiae, quam vestrae copia terrae:
Illa viris dives, dives abundat equis.
Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,
Quam Paris: aut armis anteferendus erit.
Pene puer caesis abducta armenta recepi
Hostibus: et caussam nominis inde tuli.
Pene puer vario juvenes certamine vici,
In quibus Ilioneus, Deiphobusque fuit.

jor solet esse periclo i. e. ita hisce in rebus fere fit, ut terror periculum longe superet, sive terror major sit, quam periculum.

350. *Quaeque timere libet* i. e. ad quorum timorem proni sumus. *Pertimuisse pudet.* Iis, quae adsiduo timore nos vexabant, feliciter peractis, pudet nos ita ad finem usque timuisse, i. e. *pertimuisse.*

351. *Si vis.* Indicativi vim ne negligas. Formula, inquit Oud., est concedentis.

Consurgere bellum, quod antea *jacebat*, vel *sedebat.* Metaphoram explicare sciens praetermitto.

352. *Et mihi.* Etiam mihi, uti Graecis. Hubert.

353. *Nec minor est Asiae, quam vestrae copia terrae. Copia* est multitudo virorum. V. vs. 181. h. Ep.

354. *Illa viris dives.* V. vs. 182. h. Ep. *Divitem*, inquit Cic. in Parad. 6, quem intelligimus? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta possessio, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit." Hinc ad alias res translatam adjectivi notionem facile intelligas. De vocis etymo V. G. J. Vossius in Etymologico in v.

Abundat per metaphoram hic dicit, quod vs. supra laud. 182. pp. significavit *vix tellus sustinet* per hyperbolen, cujus figurae, quam dicunt Rhetores, fons est, omnem modum ac fidem superans phantasia.

Illa. Asia. Dixit autem *illa*, quia, quando haec scribebat, erat in Graecia. Hubert.

355. *Nec plus* etc. Cf. vs. 251. Ep. XVII.

356. *Armis anteferendus erit.* Mihi, puta, Paridi.

357, 358. *Pene puer* etc. Quid igitur a viro exspectes, cum mihi in tenera jam aetate tantus animus esset?

Caesis abducta etc. V. §. 5. Argum. Ep. V.

Neve putes, non me, nisi cominus, esse timendum:
Figitur in jusso nostra sagitta loco.
Num potes haec illi primae dare facta juventae?
Instruere Atriden num potes arte mea?
Omnia si dederis: numquid dabis Hectora fratrem? 365
Unus is innumeri militis instar habet.

359. *Vario certamine.* Intelligit πεντάθλον, quod constabat jactu disci, cursu, saltu, jaculatione, luctatione. Cf. Justin. L. VII. c. 2. V. Burm. ad h. vs. Ruhnk.

360. *Ilioneus, Deiphobusque fuit.* Uterque erant filii Priami, quorum notior est Deiphobus. Ilioneus autem memoratur apud Dictyn Cretens. L. IV. c. 12. Alium Phorbantis filium memorat Hom. Il. L. XIV. vs. 489. Hujus nominis tertium, qui cum Aenea Troja aufugit, memorat Virg. Aen. L. I. vs. 120. Drakenb. V. Hygin. fab. 91.

362. *In jusso — loco,* quem ut sagitta ferirem, magister ludi atque exercitii jaculatorii vel sagittandi artis, aut quisquis alius, mihi dixerat, et scopum meum esse jusserat. V. Senec. in Troade vs. 542. Oud.

363. *Num potes — dare* sive adscribere illius titulis. *Num* eo sensu semper adhibetur, ut interrogationem sequatur negatio. Huic igitur interrogationi respondendum erit *profecto non potes.*

364. *Instruere Atriden* etc. *Instruere,* inquit Gesn. in Thes., significat pp. *apparare, componere, armare, ornare, machinari.* De Atride V. vs. 39. Ep. III. ibiq. not.

365. *Numquid.* A me impetrare non possum, ut Drakenborchio V. Cl. adsentiam dicenti, *quid* hic *eleganter abundare.* Mihi quidem *quid* est accusativus, qui regitur ab intellecto *ad* seu *quod ad* Graeco more, ut *quid* significet, *quod ad aliquid pertinet,* aliquatenus. Quasi dicat Paris « Persuasum mihi est, te Menelao non posse dare fratrem, qui Hectoris virtutem aliquatenus referat. V. vs. 14. Ep. I. et not. ad h. vs. Ep. XIII. vs. 63. sq.

366. *Innumeri militis instar habet.* Pp. similitudinem habet innumerorum militum. V. not. ad vs. 27. Ep. II. *Instar* enim est substantivum, per apocopen factum ex *instare,* ut *exemplar* ex *exemplare.* V. Voss. in Etymol. in v. *instar.* Ovidii verborum sensus hic est, auctore Ruhnk. « Tantum potest, quantum innumeri milites » Justin. L. IV. c. 4. §. 7. « Gylippus solus, sed in

Quid valeam, nescis: et te mea robora fallunt:
Ignoras, cui sis nupta futura viro:
Aut igitur nullo belli repetere tumultu:
Aut cedent Marti Dorica castra meo:
Nec tamen indigner pro tanta sumere ferrum
Conjuge: certamen praemia magna movent.
Tu quoque, si de te totus contenderit orbis;
Nomen ab aeterna posteritate feres:

quo instar omnium auxiliorum erat." Ep. VII. vs. 19. et not. ad h. vs.

367. *Quid valeam.* Cf. vs. 6. Ep. VIII.

Te mea robora fallunt, mutatis verbis idem significat, quod in priore h. vs. membro, *quid valeam, nescis*. *Hoc fallit me* enim est, *hoc ignoro, hoc me latet*; licet *latere* rectius absolute ponatur. Cf. vs. 97. El. 2. L. I. Trist.

368. *Cui* i. e. *quali*, ut saepius, i. e. quam forti, praestanti.

370. *Marti — meo.* Qui scil. belli Deus mecum faciet, a mea parte stabit, meus tunc erit Deus.

Dorica castra i. e. Graeca. Parte itaque totum significavit. Fieri enim aliter non potest, quin, partem si cogitemus, totius cogitatio animum una subeat. Cf. vs. 185. h. Ep. vs. 29. Ep. XII. Concludit, inquit Hubert., epistolam Paris, inferens ex supra dictis, quod, aut non repetetur bello, aut, si repetita fuerit, defendetur, et ei erit maxima gloria, quod propter eam Europa et Asia magno bello certaverint.

371. *Indignor.* V. not. ad vs. 28. Ep. XIII.

Sumere ferrum. Efficacius hoc est, quam *sumere bellum*; illud enim *alii pro ipso* gerere possunt, sed *ferrum sumere* dicit, quia non indignatur *pro ipsa per se* pugnare, et ferrum in hostem stringere. Oud.

372. *Certamen praemia magna movent.* Sunt causa certaminis; certamini originem dant. V. not. ad Sil. Ital. L. XIV. vs. 141.

373. *Totus — orbis* sive totius orientis Trojam adjuturi, et occidentis, Graecorum in partibus stantis, vires. Oud.

374. *Nomen — feres*, celebritatem, laudem auferes, adcipies.

Ab aeterna posteritate. Ab omnibus posteris, qui erunt usque ad finem seculorum. Hubert.

Spe modo non timida, Dis hinc egressa secundis, 375
Exige cum plena munera pacta fide.

375, 376. *Spe modo non timida* etc. Tu tantummodo ex jam perveneris, fidenter, si domo Menelaï et Lacedaemone dubitatione, quae munera ne, bonis avibus, sive fa- illi promiserim, exigas ac reventibus Dis profecta certa ac poscas. Quod ad participium firma spe, datum iri, quod a *pacta* vid. not. ad v. 6. Ep. II.

EPISTOLA XVII.

HELENA PARIDI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Describere hic argumentum lubet, quod in Ovidii Operum editione Basileënsi per Joannem Hervagium anno 1549 huic epistolae praefixum invenitur.

« Multi hanc epistolam non esse Ovidii contendunt, asserentes, Sabinum omnes responsales literas confinxisse, quod ipsius Ovidii testimonio comprobare nituntur, cum in Am. L. II. El. 18. vs. 27. sq. ita ad Macrum scribat

Quam celer e toto rediit meus orbe Sabinus,
Scriptaque diversis retulit ille locis!
Candida Penelope signum cognovit Ulixis:
Legit ab Hippolyto scripta noverca suo.
Jam pius Aeneas miserae rescripsit Elissae:
Quodque legat Phyllis, si modo vivit, habet.
Tristis ad Hypsipylen ab Iasone litera venit:
Det votam Phoebo Lesbis amata lyram.

Quod quidem nihil ad rem facere videtur, cum nullam interim de Helena faciat mentionem, verum statim subjungit hos duos versus:

Et Paris est illic, et adultera nobile crimen;
Et comes exstincto Laodamia viro,

quibus facile convincuntur, nisi ad Sabinum referre malint. Sed cum Ovidianis epistolis *responderit*, quomodo possunt esse Sabini? Non enim Paris, nec Laodamia *respondent* sed *scribunt*. Nimirum hae quoque Ovidianae sunt, et eodem pene stilo scriptae, quo reliquae.

« Ipsa, in Animadv. ad h. Ep. scripsit V. Cl. van Lennep, numerorum facilitas, et in exprimendo muliebri ingenio servandoque personae decore admirabile prorsus artificium non Sabini illam, sed, ut ceteras Nasonis esse, extra omnem, me quidem judice, dubitationem ponit.»

§. 2. « Helena, lecta Paridis epistola, quasi offensa, primum respondens objurgat; dein ut pudorem tutetur, Paridis suasiones infringere conatur, quaedam semina spargendo, ne

omnino illius amorem negligere videatur. Et sic aperte ostendit, muliebre ingenium varium esse ac mutabile, juxta illud Ovidianum A. A. L. I. vs. 483. sq.

Forsitan et primo veniet tibi litera tristis;
Quaeque roget, ne se sollicitare velis.
Quod rogat illa, timet: quod non rogat, optat, ut instes,
Insequere; et voti postmodo compos eris.

Postremo Paridis voluntatem implętura, ut honestius, ita tutius visum est, si quid in desiderio sit, non literis mandare, sed, ut Clymene et Aethra, comites fidissimae, exponerent. Idque cum fecissent, cum Paride et Helena ad Trojam advectae sunt."

NUNC oculos tua cum violarit epistola nostros,
Non rescribendi gloria visa levis.
Ausus es, hospitii temeratis, advena, sacris,
Legitimam nuptae sollicitare fidem?

Vs. 2. *Non rescribendi* etc. Sensus est: Cum oculos meos violarit, eosque quasi scelestos et criminis reos fecerit epistola tua; levem hanc gloriam putarem, quam inde acquirerem si non rescriberem. *Gloria levis* est vilis, nullius momenti ac pretii. Prop. L. I. El. 4. vs. 9. Burm. ad Val. Flacc. L. III. vs. 126. Drakenb. Cf. vs. 11 — 13. Ep. XVI.

3. *Ausus es.* V. not. ad vs. 41. Ep. I.

Hospitii — sacris. Hospitium, inquit Pitisc. in Lexic. Ant. Rom. in v., est consuetudo, qua alios in nostram domum recipimus. — Arctum necessitudinis hujus fuit olim vinculum, atque etiam (tam apud Graecos quam apud Romanos) divini numinis reverentia sanctum, quod juris hujus disceptationi praefecit antiquitas *Jovem hospitalem* adpellans et invocans, quasi hospitii praesidem et vindicem.

Temeratis. Temerare, violare sacra et contaminare; dictum videlicet a *temeritate.* V. Fest. in v. Recte ergo scripsit Helena, sive mavis, Ovid. *ausus es.*

Advenam recte Helena adpellavit Paridem, ut eum eo significantius sui officii admoneret, quod gratissimum ab illo in hospitio excipientem poscebat animum, atque in Deum hospitalem reverentiam. Magis etiam quod, invitis Spartanorum legibus receptus esset. Lex autem peregrinos ab urbe ar-

Scilicet idcirco ventosa per aequora vectum
Excepit portu Taenaris ora suo?
Nec tibi, diversa quamvis e gente venires,
Oppositas habuit regia nostra fores:
Esset ut officii merces injuria tanti?
Qui sic intrabas, hospes, an hostis eras?

cebat, ne advenae nulla utili de causa inrepentes in urbem alicujus noxae doctores forent, neve mollitiem, luxuriam, divitiarum cupiditatem ab iis cives discerent, ut ait Nic. Cragius de Rep. Lacedaemoniorum L. III. Instit. 3. pag. m. 210.

4. *Legitimam nuptae sollicitare fidem.* Uxoris legitime nuptae fidem loco movere, sive uxoris legitimae animum a fide abstrahere. V. not. ad vs. 80. Ep. XVI. et van Lennep Animadv. in h. vs.

5. *Scilicet* etc. Cf. Ep. XVI. vs. 14, 27. sq. De hac particula, scribentis dubitationem indicante, alibi egimus.

Ventosa. Ventis patentia, obnoxia. Quod Adjectiva nempe in *osus* desinentia copiam atque abundantiam indicare quis nescit? Cf. vs. 21, 22. antec. Ep.

6. *Taenaris.* V. not. ad vs. 72. Ep. VIII.

7. *Diversa quamvis e gente.* Quae vis his verbis insit, ex nota extrema ad vs. 3. h. Ep. intelligere licet.

8. *Oppositas.* Clausas. Drakenb. Clausas tanquam custodes « ne possis intrare. Quod Uterque laudat Horat. L. III, Od. 26. vs. 8.

Fores. Pp. Nam bifida Graecis janua erat.

9. *Merces officii* sive beneficii *injuria.* Ut pro officio praestiti hospitii rependeres injuriam: passim enim *merces* metaphorice vocatur omne id, quod quasi in remunerationem vel compensationem rei acceptae penditur. Oud. sive ut *praemium*, sive *poena.* Drakenb.

Officii — tanti. V. not. extr. ad vs. 3. Cf. vs. 124. Ep. X.

10. *Qui sic.* Qua vi gaudeat *sic* ex vs. 4. h. Ep. efficias.

Hospes, an hostis. Elegans est *paronomasia* sive, ut ait Vossius, cum parva verbi inmutatione in aliam plane sententiam deflectitur oratio; qua et usus est Ovid. Fast. L. II. vs. 787. Oud. Ad. d. Ovid. vs. Ciofan. Liv. laudat L. I. extr. Equidem has ita dictas elegantias non magni facio. Subjungit praecedentibus Oud. « Olim ejusdem significationis voces *hospes* et *hostis* fuerunt." Festus in v. *hostis* apud antiquos *peregrinus* dicebatur, et qui nunc *hostis* perduellis.

Nec dubito, quin haec, cum sit tam justa, vocetur
Rustica, judicio, nostra querela, tuo.
Rustica sim sane: dum non oblita pudoris,
Dumque tenor vitae sit sine labe meae.
Si non est ficto vultus mihi tristis in ore;
Nec sedeo duris torva supercilliis;
Fama tamen clara est: et adhuc sine crimine vixi;
Et laudem de me nullus adulter habet.
Quo magis admirer, quae sit fiducia coepti:
Spemque tori dederit quae tibi causa mei.

11, 12. *Nec dubito.* Oratio ita construenda est « Nec dubito, quin haec querela nostra, cum sit tam justa, vocetur rustica *judicio tuo* i. e., quod ad sensum, certo scio, quod juste de te querar, me a te vocatum iri rusticam. Drakenb. post Hubert. *cum* interpretatur per *etsi*, *quamvis*. Cui interpretationi equidem non adsentio; rationem enim τὸ *cum* mihi reddere videtur quare aliter fieri non posset, quin *rustica* vocaretur. Cf. vs. 285. Ep. XVI.

13. *Rustica sim.* V. not. ad vs. 77. Ep. I.

Dum. Hic idem valere quod *dummodo* nemo non videt.

14. *Tenor vitae.* V. not. ad vs. 18. Ep. IV. et ad vs. 112. Ep. VII.

Sine labe. V. not. ad vs. 8. Ep. IX.

15. *Si non est* etc. Cf. Ep. XVI. vs. 11, 287. sq.

16. *Nec sedeo. Sedeo* aptum est verbum describendo castitatem matronae, quae solet domiseda esse et ad lanam sedere inter operantes famulas. Burm. Ad h. vs. Oud. et Burm. laudant Propert. L. II. El. 14. vs. 35. et Broukh. ad h. vs.

Duris torva supercilliis. V. not. ad vs. 11. Ep. XVI.

17. *Fama tamen clara est: et adhuc sine crimine vixi.* Posterior versus pars priorem explicat, unde adeo videas *claram* dici *famam sine crimine*, *labe*, purum. V. not. ad vs. 294. Ep. XVI.

18. *Et laudem.* Ut possit se jactare de concubitu meo. Hebert. Cf. vs. 147. sq. Ep. XVI. inprimis vs. 157.

19. *Quae sit fiducia coepti* i. e. audax animi ad tantum facinus confidentia; in malam partem. V. Serv. ad Aen. L. II. vs. 61, 75. Propert. L. III. El. 23. vs. 1. et Passerat. ad h. vs. Oud.

An, quia vim nobis Neptunius attulit heros:
Rapta semel, videor bis quoque digna rapi?
Crimen erat nostrum, si delenita fuissem.
Cum sim rapta, meum quid, nisi nolle, fuit?
Non tamen e facto fructum tulit ille petitum.
Excepto, redii passa, timore, nihil.
Oscula lactanti tantummodo pauca protervus
Abstulit: ulterius nil habet ille mei.
Quae tua nequitia est, non his contenta fuisset.
Di melius: similis non fuit ille tui.

20. *Spem tori.* V. not. ad vs. 193. Ep. XII.

21. *Neptunius — heros.* V. not. ad vs. 109. Ep. IV.

Vim — attulit. Locutio, inquit, Drakenb., hic non cum effectu capienda est; verum ex animo et consilio Thesei, qui Helenam rapuit, ut vim inferret, sed non perfecit; se enim virginem redditam esse, dicit mox vs. 31. Meo quidem sensu verbum cum effectu capiendum est; *adtulit* re vera vim Helenae Theseus, eam rapiendo; nec vero *intulit*. Diversa praepositionum *ad* et *in* significatio diversum hunc sensum fundit, quod idem sensisse Drakenborchium, verba indicant, quibus dictam locutionem explicuit.

22. *Rapta semel, videor bis quoque digna rapi?* Videtur Helena ex Oenones sententia, quam vs. 132. Ep. V. tulit.

Bis. Etiam a te. Advertendum est, quod, licet hoc exemplum videatur dissuadere Paridi, ne eam rapiat, tamen latenter ad incitandum positum est. Hubert.

23. *Delenita.* Demulcta, flexa ad *ultro* eundum et sequendum. V. Liv. I. V. c. 31. Ovid. Ad d. Liv. 1. Drakenb. *delenire* id. valet, quod *mitigare, placare*, qui ibidem animadvertit vocem *delenita* et inde declinatam aliam *delenimentum* librariorum inscitia in *delinita* et *delinimentum* abiisse.

24. *Meum quid, nisi nolle.* Meum quid, praeter quam quod noluerim. V. not. ad vs. 27. Ep. II. Cf. not. ad vs. 5. Ep. VIII.

25. *Non tamen*, etc. Vid. vs. 129. Ep. V.

26. *Redii passa, nihil, excepto timore: Adtulerat* animi Theseus vim, non *intulerat*.

27. *Lactanti.* V. not. ad vs. 142 — 143. Ep. V.

28. *Ulterius, amplius.* De quo V. Donat. in Comm. ad Terent. Andr. Act. II. sc. 1. vs. 25.

Reddidit intactam; minuitque modestia crimen:
Et juvenem facti poenituisse patet.
Thesea poenituit, Paris ut succederet illi:
Ne quando nomen non sit in ore meum?
Nec tamen irascor: (quis enim irascatur amanti?) 35
Si modo, quem praefers, non simulatur amor.
Hoc quoque enim dubito. non quo fiducia desit;
Aut mea sit facies non bene nota mihi:

29. *Quae tua nequitia est.* De relativi *quae* usu V. not. ad Ep. I. vs. 75. De substantivi significatione ad vs. 17. Ep. IV. De Paridis libidine Ep. XVI. vs. 245. sq.

30. *Di melius.* V. not. ad vs. 125. Ep. III.

Similis tui. Ita protervus et libidinosus, ut tu es. Hubert. Genitivum *tui* *similis* additum fere *interrium*; dativum *exterrium* significare hominem, quamvis differentiam perpetuam esse neget Vossius, Grammaticos adfirmare, me alibi observare memini.

31. *Et juvenem.* Est gravitas in voce *juvenem.* Cf. Ep. V. vs. 139.

34. *Ne quando nomen non sit in ore meum* i. e. ut semper homines de me loquantur. Hubert. *In ore* scil. vulgi.

35. *Nec tamen irascor:* (*quis enim irascatur amanti?*) Cf. vs. 29. Ep. VII. Ecce! more mulebri jam incipit conciliari Paridi et ei blandiri. Hubert. Labascit jam Helena, inquit Oud., et hinc sensim ac processu epistolae plane se dabit Paridi; nam, ut alibi ait auctor

« Per numeros venient ista, gradusque suos »
A. A. L. I. vs. 482.

Quis enim praeter stultum amanti irasci possit? En praecedentium rationem!

36. *Si modo* etc. Sentit ergo Helena amorem in adulterium jam nascentem; dubitat modo, an illi indulgere sibi tutum sit. Metus adeo solus, non pudor eam amplius a scelere arcet. Observa in sequentibus, quanta in Helenae animo sit pugna. Ab hac enim parte residuus pudor pugnat ac metus, ab illa libidinis furor.

Quem praefers. Sive palam ore et vultu testaris, et, ut vulgatius dicitur, prae te fers et jactas. Oud.

37. *Hoc quoque enim dubito. Enim* pro *vero* adfirmationi cum indignatione conjunctae inservire docet Turnell. de Part. L. L. in v. *enim.*

Dubito. Ex observ. Ruhnk. ad h. vs. saepe jungitur acc. pronominum neutr. generis. Cf. nota

Sed quia credulitas damno solet esse puellis;
Verbaque dicuntur vestra carere fide.
At peccant aliae: matronaque rara pudica est.
Quid prohibet raris nomen inesse meum?
Nam mea quod visa est tibi mater idonea, cujus
Exemplo flecti me quoque posse putes:
Matris in admisso, falsa sub imagine lusae,
Error inest: pluma tectus adulter erat.

V. Cl. ad Terent. Adelph. Act. IV. sc. 5. vs. 57.

Quo desit. Cum subjunctivo saepe haec particula ponitur pro *quia* vel quod. Ut apud Nep. in Pelop. c. 2. Infra Ep. XX. vs. 23. Liv. L. XI. c. 26. Cic. ad Fam. Ep. L. XII. Ep. 17. L. VI. Ep. 4. Drakenb. Oud.

Fiducia meae pulchritudinis. Hubert. Non esse in te fidem. Anton. Posterius equidem praefero ob vs. 40.

38. *Aut faciles hoc bene nota.* His verbis ostendit Helena, sibi placuisse laudationem formae, quae omnibus mulieribus maxime cordi est. V. Ovid. A. A. L. I. vs. 623. In Medic. fac. vs. 31. sq. Oud. V. not. ad vs. 33.

39. *Sed quia crudelitas* etc. Cf. Ep. II. vs. 63. Ep. XII. vs. 120. Ep. VI. vs. 21.

40. *Verba — carere fide.* Cf. vs. 26. Ep. II.

Vestra i. e. Omnium virorum. V. Burm. ad Ovid. Ep. I. vs. 75. Drakenb.

41. *At peccant aliae.* V. not. ad vs. 295. Ep. XVI. Responsio Paridis est, vel potius objectio, ad quam vs. seq. Helena respondet.

42. *Quid prohibet?* V. not. ad vs. 88. Ep. X.

43. *Nam mea quod visa est tibi mater idonea* i. e. nam quod attinet ad matrem, quae tibi visa est idonea. Cf. Ep. XVI. vs. 83. sq. 272, 291. sq.

44. *Flecti.* Verbum de facilibus, mollibus animis; *frangi*, de duris adhiberi ex Broukh. ad Tibull. supra explicitum dedi.

Me quoque. Ut aliae matronae.

45. *Matris in admisso* sive facinore *falsa imagine lusae.* Respicit Poëta ad factum Jovis, qui in cycnum conversus Ledam stupravit. V. Ep. XVI. vs. 250. Drakenb.

Falsa. V. not. ad Ep. I. vs. 17.

Lusae. Delusae, deceptae. V. Sil. Ital. L. VII. vs. 15 et vs. 194, 142. h. Ep. Drakenb.

46. *Pluma tectus adulter erat.* Hinc Ovid. Ep. VIII. vs. 68. dixit *in plumis delituisse Jovem.* Adhibetur autem *pluma* in sin-

Nil ego, si peccem, possim nescisse, nec ullus
Error, qui facti crimen obumbret, erit.
Illa bene erravit, vitiumque auctore redemit.
Felix in culpa quo Jove dicar ego?
Quod genus, et proavos, et regia nomina jactas:
Clara satis domus haec nobilitate sua est.
Jupiter ut soceri proavus taceatur, et omne
Tantalidae Pelopis Tyndareique decus:
Dat mihi Leda Jovem, cycno decepta, parentem,
Quae falsam gremio credula fovit avem.

gulari, ut *crinis*, *capillus* aliaque, cum non *aliqui* crines aut capilli, sed *omnes omnino* designantur; *totus* enim erat plumeus Jupiter. Oud.

48. *Error.* Animi scil.

Qui facti crimen obumbret. Praetextu (quasi umbra) erroris velet, excuset, fuco aliquo falsae causae tegat. Ovid. ex Ponto L. III. Ep. III. vs. 75. Drakenb.

49. *Bene erravit.* Idem fere significant, quod in vs. seq. *Felix in culpa.* De qua constructione V. not. ad vs. 121. Ep. VI.

Vitium auctore redemit. Pensavit ac rependit atque excusavit crimen et innoxiam se probavit, quia adulterii sui auctor seu stupri illator erat Jupiter ipse. Ut Vellej. Paterc. L. II. c. 87. Oud. Cf. Ovid. Ep. VII. vs. 105.

50. *Quo Jove dicar ego?* Qua magna excusatione: quia in nomine Jupiter, quo possim excusari. Hubert.

51. *Quod.* V. not. ad vs. 43. Mihi itaque non convenit cum Ruhnk. V. Cl. q. vid. ad Terent. Eun. Act. V. sc. 8. vs. 34.

Genus etc. V. Ep. XVI. vs. 297. sq.

52. *Domus haec.* Pronomen est demonstrativum. Domus designatur in qua scribebat. *Domo familiam* designari tralaticium est.

53. *Soceri.* Helenae socer Atreus, Menelai pater. V. Ep. XVI. vs. 205.

54. *Tantalidae Pelopis Tyndareique decus.* Atrei pater Pelops, avus Tantalus, proavus Jupiter.

Tyndareus. Oebali filius ex Leda, Thestii filia, procreavit Castorem et Clytemnestram; ex eadem Jupiter in cygnum conversus Pollucem et Helenam. V. Hygin. fab. 77. Tyndareus adeo Helenae fuit pater putativus.

Decus. An recte *pro genus* praetulerit Heinsius dubito propter vs. 207 — 210. Ep. XVI.

I nunc, et Phrygiae late primordia gentis,
Cumque suo Priamum Laomedonte refer:
Quos ego suspicio; sed, qui tibi gloria magna est
Quintus, is a nostro nomine primus erit.
Sceptra tuae quamvis rear esse potentia Trojae,
Non tamen haec illis esse minora puto.
Si jam divitiis locus hic numeroque virorum
Vincitur: at certe barbara terra tua est.

55. *Dat mihi* etc. V. vs. 45. sq. et not. ad h. vs.

56. *Credula* causam in se habet τοῦ *fovit*. V. supra vs. 39.

Fovere pp. dicitur de avibus, quae pullos alis recipiunt, aut ovis incubant; unde h. l. metaphorice de muliere maritum gremio recipiente. Propria significatione occurrit apud Sueton. in Tiberio c. 14. Drakenh.

57. *I nunc*. V. not. ad vs. 26. Ep. III.

Et Phrygiae lata primordia gentis — refer. Non videtur, inquit Oud., vox *Phrygiae* jungenda cum *gentis*, sed esse dativus; nempe *mulieri cuicunque* Phrygiae, (non mihi, quae gloriari possum illustriore genere quam tu) vid. vs. 59, 60.

Late. Van Lennep V. Cl. cum Forcellino exponit *fuse*, *magnifice*, *multis verbis*, jungitque cum refer. V. Animadv. ad h. vs.

59, 60. *Quos ego suspicio* Non quod eos quidem spermo. *Sed qui tibi — is — primus erit*, sed is, quo tu potissimum gloriaris, *quintus* est tibi ordine et mihi *primus*. Jovem autem significat. Helenae enim *primus*, ut pater (supra vs. 55.) Paridi *quintus*, quia Jupiter genuit Dardanum ex Electra, Dardanus Erichthonium, Erichthonius Troem, Tros Ilum, Ilus Laomedonta, Laomedon Priamum, Priamus Parim et reliquos filios; ergo quintus est Jupiter a Paride exclusive. Hubert.

A nostro nomine i. e. a me ipsa, quia ipsius sum Jovis filia: passim enim *nomen* hominis vel rei pro ipso *homine* vel *re* ponitur. V. Vellej. Paterc. L. I. c. 12 et 69. Bernecc. ad Just. L. XII. c. 1. Oud. Burm. et van Lennep in Animadv.

61. *Sceptra tuae* etc. Cf. vs. 175. sq. Ep. XVI.

62. *Haec*. Nostra Graecia. Hubert.

63. *Si jam*. In argumentationibus elegans est particularum usus, quasi *concedentis* pro *etsi sit*, *ita esto*, ut vs. 67. Oud. V. not. ad vs. 67. Ep. III.

Divitiis locus hic etc. Cf. vs. 185. Ep. XVI. Helena, inquit Hubert, dicit: si terra sua vin-

Munera tanta quidem promittit epistola dives,
  Ut possint ipsas illa movere Deas.
Sed si jam fines vellem transire pudoris:
  Tu melior culpae caussa futurus eras.
Aut ego perpetuo famam sine labe tenebo:
  Aut ego te potius, quam tua dona, sequar.
Utque ea non sperno: sic acceptissima semper
  Munera sunt, auctor quae pretiosa facit.
Plus multo est, quod amas; quod sum tibi caussa laboris:
  Quod per tam longas spes tua venit aquas.

citur divitiis, saltem hoc habet, quod non est barbara, sic ut terra Trojana.

64. *Barbara.* Vid. vs. 26. Ep. I. et not. ad h. vs.

65. *Munera tanta* etc. Respondet Paridis promissis vs. 335. Ep. XVI. et ita respondet, ut, si ei obsequi vellet, id faceret potius ejus causa, quam munerum: „quia „Turpiter ingenuum *munera* corpus emunt." Hubert. Ovid. Ep. V. vs. 144.

66. *Ut — movere Deas*, nedum me. Cf. quae dicta sunt ad Ep. VII. vs. 85.

67, 68. *Sed si jam* etc. Cf. supra ad vs. 63 et 65. not.

68. *Tu melior.* Lect. *major* praefero cum Loers in d. spec., tam, ut scribit Vir Doct., propter Codd., quam propter vs. 65. (munera *tanta*). Sensus est, inquit, munera tanta epistola tua promittit, ut satis *magnam* (non *bonam*) causam praebeant pudoris fines transeundi; sed si id vellem; *tu major culpae* etc.

Melior explicat Oud. honestior, quam promissae divitiae; nam meretrix captat dona et munera, non ingenua puella. V. Ep. V. vs. 144.

69. *Aut ego* etc. Cf. vs. 13. h. Ep.

70. *Aut ego te potius* etc. V. not. ad vs. 65.

72. *Auctor.* De h. vocis significatione alibi dictum est. V. Ruhnk. ad Terent. Andr. prolog. vs. 19. Hic loci significat eum, qui dat, donatorem. Munera enim, inquit Hubert., pro dignitate dantis pretium capiunt.

73. *Plus multo est* (mihi) *quod amas.* Multo pluris facio amorem tuum. Hubert.

73, 74. *Quod sum — quod per tam longas spes tua.* V. Ep. XVI. vs. 102. sq.

Spes tua est tu sperans. V. Vechn. Hellenol. L. II. c. 8. pag. 331. Drakenb.

Illa quoque, apposita quae nunc facis, improbe, men-
(Quamvis experiar dissimulare) noto. (sa, 75
Cum modo me spectas oculis, lascive, protervis;
Quos vix instantes lumina nostra ferunt:
Et modo suspiras; modo pocula proxima nobis
Sumis; quaque bibi, tu quoque parte bibis. 80
Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa supercilio pene loquente dari!
Et saepe extimui, ne vir meus illa videret:
Non satis occultis erubuique notis.
Saepe vel exiguo, vel nullo murmure, dixi: 85
Nil pudet hunc. nec vox haec mea falsa fuit.
Orbe quoque in mensae legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero litera fecit, Amo.

75. *Illa quoque* etc. V. Ep. XVI. vs. 215. sq.

Improbe. Vocis significationem effice ex vs 4. h Ep.

76. (*Quamvis experiar dissimulare*). Ita suum ipsa Helena ingenium prodit. Quam intime cognitam Ovidius habuit naturam humanam!

Nota. Cf. Ep. XVI. vs. 227.

78. *Instantes.* Ita continuo et tenaciter in me conversos et ad meum adspectum intentos, ut ipsa debeam oculos prae pudore avertere, diutius te aspicere non ausa. Ovid. Metam L. III. vs. 82. Oud.

79. *Et modo suspiras.* Cf. vs. 227. Ep. XVI.

80. *Quaque bibi* etc. V. not. ad vs. 253. Ep. XVI.

81 — 85. *Ah quoties digitis* etc. V. not. ad vs. 256. Ep. XVI.

82. *Supercilio pene loquente.* Nictibus et nutibus designantibus clare tuam mentem, non secus, ac si clara verba emitteres. Utraque jungit Ovid. Am. L. II. El. 5. vs. 15. sq. Tibull. L. I. El. 2. vs. 21. Prop. L. III. El. 6. vs. 25.

83. *Extimui.* Praepositio verbi subjuncti significationem intendit. *Valde timui.* Cf. vs. 117. Ep. XII. vs. 5. Ep. XIV. Oud.

85. *Exiguo vel nullo murmure.* Tenui et submissa voce, ne audirer. Hubert.

86. *Nec vox haec mea falsa fuit.* Quae dicebam, vera fuerunt.

88. *Deducta* ex gutta scil. vini mensae instillati.

Credere me tamen hoc oculo renuente negavi.
Hei mihi! jam didici, sic quoque posse loqui.
His ego blanditiis, si peccatura fuissem,
Flecterer: his poterant pectora nostra capi.
Est quoque (confiteor) facies tibi rara: potestque
Velle sub amplexus ire puella! tuos.
Altera vel potius felix sine crimine fiat,
Quam cadat externo noster amore pudor.
Disce meo exemplo, formosis posse carere.
Est virtus placitis abstinuisse bonis.

89. *Oculo renuente.* Nutu tibi respondente. Hubert.

90. *Jam didici, sic* (nutibus et notis) *quoque posse loqui.* Atqui ipsa Helena artem mutandi invenisse dicitur a Ptolem. Hephaest. L. IV. An, magistro Paride quae dedicit, alios docuit? Bunn.

91. *His ego blanditiis* etc. Jam propius accedit ad ignem, ut ait Terentius.

93. *Est quoque* (*confiteor*) *facies tibi rara* ut pulcritudine parem vix invenias. Ne sine pondere credas verbum parenthesi inclusum. Est vero gravissimum in ore Helenae. Menelaum adeo forma vinci fatetur, qua sola non raro feminae capiuntur. Cf. vs. 203. Ep. XVI.

Rara i. q. praestans. *Rarum* enim est, quod non ubique reperitur, unde *praestantis, eximii* significationem accepit. Cf. Ovid. Metam. L. XIV. vs. 237. Ruhnk.

Potestque. Adtende ad h. verbi vim. Statuit jam Helena *fieri posse*, ut amor, spreto marito, in alterius viri amplexus ruat. Quam parum aberat a voluntate! Vid. vs. 41. h. Ep. et not. ad Ep. XVI. vs. 86 et 214.

95. *Altera vel potius felix sine crimine fiat. Alterâ* significari *innupta* ex sequentibus *sine crimine* patet.

Vel potius. Malo cum Loers in d. spec. legere *altera sed potius.* Sive enim, inquit, *vel altera* legis, sive *vel potius* sententia claudicat; et est contra Codd. et veteres Edd., quare revocandum erit *sed*, quo nihil sensui convenientius. *Felix fiat*, quae habeat talem maritum, qualis tu es. Hubert.

96. *Quam cadat* etc. V. not. ad vs. 124. Ep. XIII. et ad vs. 42. Ep. IX. Ovidii verba h. m. interpretatur Ruhnk. „Quam pudor noster succumbat amori externi viri."

Quam multos credas juvenes optare, quod optas,
Qui sapiant? oculos an Paris unus habes?
Non tu plus cernis, sed plus temerarius audes:
Nec tibi plus cordis, sed magis oris, inest.
Tunc ego te vellem celeri venisse carina,
Cum mea virginitas mille petita procis.
Si te vidissem, primus de mille fuisses.
Judicio veniam vir dabit ipse meo.

97. *Disce meo exemplo.* Quae licet non habeam maritum pulchrum, tamen eo sum contenta. Hubert.

98. *Est virtus* etc. In eo cernitur virtus, quod *abstinuerimus*, i. e. ostenderimus nos rebus, quae vel maxime nobis placuissent, posse abstinere.

99. *Quam multos* q. d. plurimi sunt. Hubert.

100. *Qui sapiant?* Qui bene intelligant, quantum ego ceteris pulcritudine praestem. Qui, ut ait Horat. in re quamvis diversa Ep. I. I. Ep. 7. vs. 23, non ignorent, quid distent aera lupinis. Cf. not. ad Ovid. Ep. IV. vs. 96.

Oculos an Paris unus habes? Quibus scil. pulcritudinem formae meae notares. *Unus* hic ponitur pro *solus*. Cf. Ep. XV. vs. 20. Drakenb.

101. *Temerarius audes.* Audes, quia es temerarius.

102. *Plus cordis.* vs. 305. Ep. XVI. dixit Ovid. *plus pectoris* ad q. vs. vid. not. Unde *cor* sapientiae prudentiaeque notionem adceperit, videre est apud Cic. Tusc. Quaest. I. I. c. 9.

Sed magis oris, impudentiae. Cic. in Verr. I. IV. c. 29. Epist. ad famil. I. IX. Ep. 8. ibi v. Manut. *Magis* hic ponitur pro *potius* et perinde ac *plus* cum genitivo construitur. Non habes plus cordis sed magis seu potius plus oris. Drakenb. Major impudentia tibi est. Oud. qui laudat Suet. in in Ner. c. 2. Gronov. Obs. I. III. c. 12. van Lennep in Animadv. ad h. vs. Ruhnk. ad Terent. Heaut. Act. IV. sc. 3. vs. 22. *os* interpretatur fiduciam, audaciam.

103. *Tunc ego* etc. Cf. vs. 105. sq. Ep. XVI.

104. *Cum mea virginitas.* V. not. ad vs. 74. h. Ep.

105. *Si te vidissem.* Cf. vs. 127. Ep. XVI.

Primus de mille. Quae sit harum non definitarum locutionum origo, alibi vidimus. *Maximam* multitudinem significari in promptu est. V. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

106. *Judicio veniam* etc. Sen-

Ad possessa venis praeceptaque gaudia serus.
Spes tua lenta fuit: quod petis, alter habet.
Ut tamen optarem fieri tibi Troïa conjux,
Invitam sic me nec Menelaus habet.
Desine molle, precor, verbis convellere pectus:
Neve mihi, quam te dicis amare, noce.
Sed sine, quam tribuit sortem Fortuna, tueri:
Nec spolium nostri turpe pudoris habe.

tentiam a me editam maritus meus non culpabit. Menelaus, inquit Hubert., parcet mihi, si hoc dico: quia etiam praeposnissem te ei.

107. *Ad possessa venis praeceptaque gaudia serus.* Ad gaudia, quae Menelaus occupavit et nullius sunt, nisi ipsius. V. Heins. ad Val. Flacc. L. IV. vs. 750. De v. *gaudia* vid. not. ad vs. 112. Ep. III.

108. *Spes tua lenta fuit.* V. not. ad vs. 73. h. Ep. et vs. 9. Ep. II.

109, 110. *Ut tamen optarem* etc. Dixit Helena, interpretante Hubert., quod, quamvis libenter fuisset ejus uxor, si venisset in tempore; tamen non est sic invita et male libenter cum Menelao, ut nunc optet esse conjux Paridis.

111. *Desine molle, precor, verbis convellere pectus.* Adjectivum *molle* eam in Paridis animum vim habere debuit, ut sperareț, futurum aliquando, quod vellet, modo instare pergeret. *Molles* enim, inquit Drakenb., vocantur, qui proni sunt ad amorem, qui facile in amorem inpelluntur. V. Ep. XVI. vs. 124. Verbum *precor* ejusmodi est, ut, quae tale facinus abhorreret, eo usa non fuisset.

Convellere. Non tantum sollicitare sed et labefactare ac dejicere, ita ut illicito amori succumbam per potentem Suadae vim et verborum blanditias. Metaphora desumta ab aedificiis, quae inpulsionis impetu conquassata sternuntur. V. Manut. ad Cic. ad Famil. L. V. Ep. 13. Hinc Ep. XVI. vs. 41. dixit Ovid. *convellere fata.* Oud.

112. *Neve mihi, quam te dicis amare, noce.* Cf. vs. 275. Ep. XVI. Nota bene verbum *dicis.* Vid. vs. 36. sq. h. Ep.

113. *Quam tribuit sortem Fortuna. Sortem*, conditionem meam et vitae statum, quem mihi hoc Menelaï conjugio tribuit fortuna. Vel ipsum significat conjugium, fortunae sorte mihi datum; ut millies *sors* latine dicitur. Oud.

Tueri est *servare.* Hubert

At Venus hoc pacta est: et in altae vallibus Idae
Tres tibi se nudas exhibuere Deae:
Unaque cum regnum, belli daret altera laudem;
Tyndaridos conjux, tertia dixit, eris.
Credere vix equidem coelestia corpora possum
Arbitrio formam supposuisse tuo.
Utque sit hoc verum: certe pars altera ficta est,
Judicii pretium qua data dicor ego.
Non est tanta mihi fiducia corporis, ut me
Maxima, teste Dea, dona fuisse putem.

Proprie notat *videre*; hinc *servare*, *defendere*; qua postrema significatione equidem hîc sumere malo, ut sit: patere me defendere quasi stationem meam, contra te adgressorem. Hanc verbi vim spectasse Poëta mihi videtur ob sequens *spolium*.

114. *Nec spolium* etc. V. not. ad vs. 140. Ep. V.

115. *At* (inquis) *Venus hoc pacta est*. Vid. vs. 20, 85. Ep. XVI. Quod ad *pacta*. vid. not. ad vs. 4. Ep. II. *In altae vallibus Idae*. V. vs. 53, 65. Ep. XVI.

Nudas. V. not. ad vs. 36. Ep. V.

116. *Exhibuere*. V. not. ad vs. 52. Ep. X.

117, 118. *Unaque cum regnum* etc. Vid. vs. 81. sq. Ep. XVI.

119. *Coelestia corpora*. Coelites. Numina. Heins. ad h. l. Ita *corpora Graja* pro *Graecis* Ep. XII. vs. 30. Drakenb. Sed non ubique neque indistincte optimos auctores *corpora* pro Diis vel hominibus scripsisse crediderim. Hoc enim l. *corporum* meminisse debuit poëta, ut *formam* arbitrio subponerent. In vs. laud. 30. Ep. XII. *corpora Graja* sive Grajorum pp. *premebant* toros. Loca ab Heins. ad h. Ep. vs. 119. laudata ipse expendas, Lector.

120. *Arbitrio — supposuisse tuo*. Cf. vs. 69. Ep. XVI. et not. ad h. vs.

Supposuisse hîc accipi debet eo sensu, quo suppositum esse alicujus jurisdictioni in l. I. ff. *si quis in jus vocat*. Drakenb. Ita permisisse arbitrio tuo, ut se subjicerent tuae voluntati, quasi inferiores te. Sic metaphorice Fast. I. I. vs. 306. Oud.

122. *Judicii* (quod pro Venere tulisti. Hubert.) *pretium*. V. not. ad vs. 143. Ep. V. Cf. vs. 85. Ep. XVI.

123. *Fiducia corporis*. V. not. ad vs. 37. h. Ep.

124. *Maxima* quae scil. tibi dari potuerunt. Hubert. *Teste*

Contenta est oculis hominum mea forma probari:
Laudatrix Venus est invidiosa mihi.
Sed nihil infirmo: faveo quoque laudibus istis.
Nam mea vox quare, quod cupit, esse neget?
Nec tu succense, nimium mihi creditus aegre.
Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Dea. Testis pro *auctore quocunque* sive *adstipulatore* ponitur. Cic. de Off. L. III. c. 29. Ern. in Cl. Cic. in v. h. vs. cit. Ruhnk. ad h. vs.

125. *Probari*; hinc placere.

126 *Invidiosa*. Malo cum Ciofano legere *insidiosa*. Quae lectio multis Codd. et Vet. Edit. firmatur. Ratio, quod *insidiosa* hîc legendum esse mihi videatur, haec est. vs. 111—115. indicant *insidias* sibi a Paride vel potius a Venere, (vid. vs. 85. Ep. XVI.) structas timere Helenam: *Invidiam* ab hominibus (ut ait Oud.) quare timeret, cum arbitrio suo Venus Ledae filiae pulcritudinem laudaret, non video. A suisne et popularibus? Ab hominibus enim ejus forma jam probabatur. Vid. praec. Hoc jam erat *invidiosum*. Neque *invidiae* cujuscunque alibi mentionem injicit Helena, neque hac in re nisi *insidiae* ejus animo obversari poterant. *Insidiosa* ergo est *fraudem parans*, ut interpretatur Hubert.

Invidiosa explicat Drakenb. h. m.: *Invidiosa* hic sumitur passive; pro, *laudes Veneris multam invidiam mihi conflant*. V. Ep. II. vs. 145. Oud. *Nimiam mihi invidiam apud homines conflabit tantopere me laudando*. Sunt, qui legant *insidiosa*; sed male: Nam Veneris insidias non metuit Helena, nec etiam unquam ab illa fuit laesa, et Tyndaris Venus aequa fuit et Helena mansit innoxia. V. Propert. L. II. El. 21. vs. 12. Ineptam τοῦ *insidiosa* lectionem pronunciat Ruhnk. ad h. vs. ac v. *invidiosa* explicat, *quae invidiam mihi creat*.

127. *Nihil infirmo*. Nulla in parte testimonii in meae formae honorem a Venere praebiti fidem atque auctoritatem debilito neque infringo. Oudendorpius interpretatur «Argumentis contrariis nolo eas laudes refutare ac negare, demonstrare conando eas mihi non esse dictas (f. debitas) V. Cic. pro Roscio Com. c. 15. Divin. c. 9.

Faveo quoque. Assentior etiam. Hubert.

128. *Mea vox quare, quod cupit, esse neget?* Quare mea ego voce me pulcram esse negem; id quod tantopere cupio. Ex feminini sexus natura, cui pulcrum est propositum, haec depromsit Poëta.

Prima mea est igitur Veneri placuisse voluptas:
Proxima, me visam praemia summa tibi;
Nec te Palladios, nec te Junonis honores
Auditis Helenae praeposuisse bonis.
Ergo ego sum virtus? ego sum tibi nobile regnum?
Ferrea sim, si non hoc ego pectus amem.

129. *Nec tu succense* etc. Nec tu irascere mihi, si vix credo tibi, quod judicio Veneris ego sim existimata pulcerrima. Hubert.

Mihi creditus de iis, quae de me dicis. Hubert. Cui a me nimis aegre creditum est. Cui difficillime fidem habere potui. Oud.

130. *Tarda solet* etc. Magnae res non cito solent credi. Hubert. Cf. not. extr. ad vs. 128. Quae observatio humanae indoli suam debet originem.

131. *Prima — voluptas.* Praecipua, maxima: *primus* enim saepe non *ordinem* sed *dignitatem* notat. Vid. vs. 39. Ep. IV. Drakenb. Cf. not. ad d. vs. 39.

132. *Proxima* longo quamvis intervallo; qua in parte differt *proxima* a *secunda*, quae primae *inhaeret*. V. Horat. Od. L. I. Od. 12. vs. 19. sq.

133, 134. *Nec te Palladios* etc. Vid. vs. 81. sq. Ep. XVI.

135. *Ergo ego sum virtus? Tibi* in altero hemistichio obvium, ad primum quoque referendum esse, recte monet Oud., quod *sum* hic idem valeat ac *habeor*, *aestimor* a te tanti, quanti *virtus*. *Virtus* autem ex animadv. Drakenborchii indicat virtutem *bellicam*, fortitudinem; ut in vs. 49. Ep. VIII. et *sum virtus* pro virtutis loco. Cf. vs. 52. Ep. III.

136. *Ferrea sim.* Existimes me duram et inhumanam. Cf. vs. 14. Ep. IV. vs. 58. Ep. I. Drakenb. *cui robur et aes triplex circa pectus erat.* Oud. Horatii illa sunt in Od. L. I. Od. 3. vs. 9. sq. *Sim* cum Hubertino non scriptum putem pro *ero*, sed explicem *ferrea sim necesse est.* Ceterum, *praesentia* tempora saepius pro *futuris* poni non nego. Unde autem haec permutatio exsistat, videre est apud W. Bilderdyk. Vir. Consult. Nederlandsche Spraakleer pag. 374.

Hoc — pectus. Demonstrative. Tuum, Paridis. Sed, inquit Hubert., quia dixit se esse ferream, nisi amet talem in se animum; posset dicere Paris, quare ergo non amas me? Respondet vs. 137. sq. dicens se nolle amare eum, quem *vix* sperat unquam posse esse suum. Sed cum dicit *vix*, dedit *ali-*

Ferrea, credo mihi, non sum: sed amare repugno
Illum, quem fieri vix puto posse meum.
Quid bibulum curvo proscindere litus aratro,
Spemque sequi coner, quam locus ipse neget? 140
Sum rudis ad Veneris furtum: nullaque fidelem
(Di mihi sint testes) lusimus arte virum.
Nunc quoque, quod tacito mando mea verba libello,
Fungitur officio litera nostra novo.

quam spem; non enim *omnino negavit* se putare.

137. *Amare repugno.* Amori resisto. *Repugnare* cum infinitivo construi, ut *pugnare* ad h. vs. docet Heins. Ruhnk.

139, 140. *Quid bibulum — quam locus ipse neget?* Elegans comparatio voti irriti ab aratore, qui arat littus, sperans, inde sibi segetem proventuram, quam loci natura negat. Vult enim dicere Helena: quomodo possim sperare, te fore meum maritum, cum ego alteri sim nupta, nec Veneris furtis sim assueta ac rudis illiciti amoris commercii. V. Ep. V. vs. 115, 116. Oud. et not. ad d. vs. *Bibulum* autem *littus*, et *bibula* arena (Ep. XIX. vs. 201.) passim dicitur poëtis ob ariditatem, quae omnem aquam facile absorbet. Oud.

Proscindere, (quo verbo et usus est Sil. Ital. L. XVI. vs. 551. et Lucret. in not. ad d. vs. cit.) dicebantur ex doctrina Varr. de R. R. L. I. c. 29. agricolae, cum *prima vice* terram arabant, quam frugibus ferendis idoneam reddere volebant. Drakenb.

140. *Spem sequi.* Ut Virgilius *Italiam sequi* Aen. L. IV. vs. 361, ita hic Helena se *spem sequi* dicit, quae quasi res animata eam aufugere videtur.

Quam locus — neget. Fortuna, conditio mea neget. V. ad Sil. Ital. L. I. vs. 598. Drakenb. Ruhnk. in Dict. ad Terent. Andr. Act. IV. sc. 1. vs. 57. et in Eun. Act. II. sc. 2. vs. 3.

141. *Sum rudis ad* etc. Rationem adducit Helena, quare haec spes sibi negari videatur; et arguit a moribus suis et ante acta vita. Hubert. De constructione vocis *rudis* cum *ad* vid. not. ad vs. 48. Ep. XI.

Veneris furtum. V. not. ad vs. 43. Ep. VI.

142. *Lusimus.* V. not. ad vs. 45. h. Ep.

143. *Quod tacito mando mea verba libello.* Ut tabulae *properatae*, ait Drakenb., sunt *properanter, celeriter scriptae:* ita h. l. libellus *tacitus* est *tacito, clam scriptus.* V. not. ad Ep. I. vs. 8.

Felices, quibus usus adest! ego, nescia rerum,
Difficilem culpae suspicor esse viam.
Ipse malo metus est. jam nunc confundor, et omnes
In nostris oculos vultibus esse reor.

Libellus autem *tacitus* est secreta epistola. Hubert.

144. *Fungitur officio litera nostra novo* i. e. ego scribens officio fungor inusitato.

145. *Felices, quibus usus* i. e. experientia *adest!* Quam prope abesse ab adulterio illa censenda est, quae *felices* praedicare audeat, quibus *experientia furtorum magistra* fuerit!

Nescia rerum, malarum. En rationem, quare *suspicetur; certo* enim *scire*, deficiente experientia, non poterat.

146. *Difficilem culpae esse viam.* Quia, qui habitum fecit non peccandi, nescit, quomodo incipiat peccare. Hubert.

147. *Ipse malo metus — est*, sive incommodo. Ipse metus difficiliorem culpae viam facit. Oud. Metus hic ex innato pudore oritur; ἅμα δὲ κιθῶνι ἐκδυόμενῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδώ γυνή, inquit Gyges ad Candaulen apud Herodotum.

Jam nunc confundor. Quod ad *jam nunc*. vid. not. ad Ep. II. vs. 83. Notandus, inquit Drakenb., verus ac latinus usus verbi *confundor*, quo scriptores recentiores et inprimis Ecclesiae Christianae Patres ac Theologi hodierni utuntur pro *pudore afficior*. Verum ita apud antiquos numquam occurrit, qui, hoc sensu, nomine addito, dicebant, *pudore confundi*. Ut Ovid. Ep. XXI. vs. 111. Apud Cic. autem aliosque optimos scriptores generatim *confundi* notabat *perturbari*, *motu aliquo animi affici*. V. Burm. ad Val. Flacc. L. I. vs. 79. Si vero speciatim motum aliquem exprimere velint, eum denotabant *nomen addendo*: ut *confundi dolore*, *pudore*, *metu*. Vid. Vorstius de Latinitate merito suspecta c. 17.

148. *Et omnes in nostris oculos vultibus esse reor.* Omnium oculos in me conversos, et in meo vultu defixos esse. Solent enim homines, qui semel quid peccarunt, malae conscientiae stimulo perciti credere, vel certe metuere, ne alii istud peccatum sciant, et hinc praetereuntium oculos ideo in se conjectos opinantur, quod ipsis hoc peccatum exprobrare tacite velint. Oud.

Reor. Horridum, inquit Quinct. I. O. L. VIII. c. 3. pag. 687. Nescio, ait Burm. ad h. l., an hic judicio Fabii standum: nam hoc verbo, ne de Terentio et antiquioribus agam, Cic. saepius utitur de off. L. II. c. 9. Academ. L. I. c. 7. et ali-

Nec reor hoc falso. sensi mala murmura vulgi:
Et quasdam voces retulit Aethra mihi
At tu dissimula: nisi si desistere mavis.
Sed cur desistas? dissimulare potes.
Lude, sed occulte. major, non maxima, nobis
Est data libertas, quod Menelaus abest.
Ille quidem procul est, ita re cogente, profectus.
Magna fuit subitae justaque caussa viae;
Aut mihi sic visum est. ego, cum dubitaret, an iret,
Quamprimum, dixi, fac redituras eas.

bi. Qui et L. III. de Orat. c. 38. *poëticum* esse quidem verbum, sed tamen loco positum *grandiorem* et *antiquiorem* orationem facere judicat. Saepissime Ovid., qui maxime ab *horridis* vocubis abstinuit, usus est. Ep. XVII. vs. 148. XVIII. vs. 132. Trist. L. I. El. 1. vs. 82. L. VI. El. 24. et alibi passim. Virgil. etiam Aen. L. VI. vs. 690. L. IX. vs. 253. L. X. vs. 608. Sed *horrorem* illum forte Fabius ex duplicata illa litera canina (r) sibi finxit.

149. *Nec reor.* De ejusdem vocis repetitione Ovidio familiari alio loco actum est.

Sensi. Non vertam equidem cum Hubertino et Drakenb. *percepi*, *intellexi*, *audivi*; sed propria verbum significatione hic adhiberi autumem, ut se pudore ac metu confundi sentiret ad *mala murmura*, quae suspicabatur. Sunt autem *mala murmura* susurri quidam de Helenae in Paridem amore scelesto.

150. *Et quasdam voces.* Animadverte *quasdam* et ex Virgil. elegantissimo loco de *Fama*. Aen. L. IV. vs. 176. sq. intelligas, quare illud adjectivum τῷ *voces* adjunxerit.

Aethra. Quae una erat ex praecipuis Helenae comitibus, pedissequis in Ep. XVI. vs. 257. Drakenb.

151. *Nisi si.* V. not. ad vs. 111. Ep. IV.

Desistere. Cessare ab amore meo. Hubert.

152. *Sed cur desistas?* Latenter ostendit, sibi gratum esse, quod pergat. Hubert. En pudoris jura soluta!

153. *Major, non maxima.* Cf. vs. 297. Ep. XVI. *Major*, quam si adesset. *Non maxima.* Quia etiam observor. Hubert. Vult enim, inquit Anton., *custodem sibi appositum fuisse*, significare.

155, 156. *Ita re cogente* etc. V. van Lennep in Animadv. ad vs. 156.

Omine laetatus dedit oscula: Resque, domusque,
Et tibi sit curae Troïus hospes, ait.
Vix tenui risum. quem dum compescere luctor,
Nil illi potui dicere, praeter, Erit.

157. *Aut mihi sic visum est.* Douza hic decorum observasse notabat; quia hoc dicit se corrigens Helena, sibi visam fuisse magnam causam, ne videatur regiorum consiliorum conscia, et maritum futilem ostendat, qui consilia cum uxore communicat, quod principe viro indignum. Burm. Cum suum cuique judicium sit, et mihi hic a Viro clarissimo dissentire liceat. Alios enim eosque plurimos Codd. et vet. Edd. secutus pro *aut* lego, *at*, ut haec verba non ad praecedentia, sed ad sequentia referam, quibus astuta Helena adultero blandiretur, atque impediret, quo minus desisteret. (vs. 151. h. Ep.) Obscure significasse Paridi Helena mihi videtur, se potissimum in causa esse, quare maritus abiret, quo major ipsi esset cum eo vivendi libertas. Equidem non video, unde nunc Helenae, cujus animus in Paridis amorem inclinaret, tantum decori studium, tanta honoris, quem marito deberet, cura. Sensus ergo in vs. 156. finiri, et punctum post *viae* ponendum esse liquet. Drakenb. et Oud. legunt *aut*.

Ego, cum dubitaret. Ut saepius apud Poëtas, ita et h. l. ante pronomen omissa est copula *nam*.

158. *Fac* (V. not. ad vs. 69. Ep. XIII.) ut abeas, rediturus quam primum.

159. *Omine laetatus.* Omen, inquit Drakenb., in eo consistebat, quod Helena dicens eas, *quamprimum rediturus* addat; unde Menelaus omen capiebat, se cito rediturum. Veteres enim ex quolibet verbo casu prolato omina ceperunt. Memorabile exemplum est apud Liv. L. V. c. 55.

Res, domusque. Est ἐν διὰ δυοῖν pro re domestica et toto familiae negotio, ut Tibull. L. I. El. 10. vs. 72. Oud.

160. *Et tibi* etc. Cf. vs. 301. Ep. XVI.

161. *Vix tenui risum.* Cum vidi eum ita stultum, ut mihi commendaret eum, qui sibi nocere posset. Hubert.

Compescere luctor. Cf. vs. 235. Ep. XVI. ubi et *luctor* cum infinitivo ponitur. V. not. ad d. vs.

162. *Praeter.* Pro *praeterquam*. V. Gronov. ad Gell. N. Att. L. I. c. 23. extr. et auct. ibi cit. Ruhnk.

Erit. V. supra vs. 160.

Vela quidem Creten ventis dedit ille secundis.
Sed tu non ideo cuncta licere puta.
Sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens.
An nescis longas regibus esse manus?
Fama quoque est oneri. nam quo constantius ore
Laudamur vestro, justius ille timet.
Quae juvat, ut nunc est, eadem mihi gloria damno est:
Et melius famae verba dedisse foret.
Nec, quod abest, hic me tecum mirare relictam:
Moribus et vitae credidit ille meae.
De facie metuit, vitae confidit: et illum
Securum probitas, forma timere facit.

164. *Cuncta licere.* Cf. supra vs. 153.

166. *An nescis longas* etc. Proverbium est Graecorum, *μακραὶ τυράννων χεῖρες*" de vi ac potestate eorum longe lateque sese extendente; hinc manum longe porrigere significat *late exserere potentiam et aviditatem.* V. Quinct. Declam. XIII. c. 6. Oud. et Burm. ad h. l.

167. *Fama quoque est oneri.* Nimirum fama, quae ad maritum detulit, me tam constanter a te laudari; unde suspicari possit, te amore mei ardere. Drakenb.

169. *Quae juvat* etc. i. e. quae delectat me, sicut nunc est, honesta; eadem gloria mihi injicit ruborem faciendi, quod a me petis, quod esset utilius. Latenter inquit, quod libenter peccaret, si auderet. Hubert.

170. *Et melius famae* etc. Sensus est: impedimento est, et nocet mihi gloria; quae obstat ne victas tibi manus dem, et melius fuisset, me jam olim furtivis amoribus operatam fuisse, et decepisse rumores, quos de mea *pudicitia* homines differebant, fidelemque virum lusisse. Burm. Contra Ruhnk. *formam* intelligit, verba Ovidiana ita interpretatus « Melius foret famam decepisse alia omnia de *forma* mea narrando."

Famae verba dare quid? Vid. Animadv. Cl. van Lennep ad h. vs.

171. *Nec; quod abest* etc. Cf. vs. 313. sq. Ep. XVI.

172. *Moribus et vitae* ante actae scil. Mores, ut observat Burm. ad Ovid. Trist. L. V. El. 5. vs. 45, hîc, uti in Ep. XVII. pro *bonis* et *honestis* ponuntur.

173. *De facie metuit. Metuere de aliquo* est metuere, ne quis malum inferat. V. Ovid.

Tempora ne pereant ultro data, praecipis; utque
  Simplicis utamur commoditate viri.
Et libet, et timeo; nec adhuc exacta voluntas
  Est satis: in dubio pectora nostra labant.
Et vir abest nobis; et tu sine conjuge dormis;
  Inque vicem tua me, te mea forma, capit:
Et longae noctes; et jam sermone coïmus;
  Et tu (me miseram!) blandus; et una domus.

A. A. L. II vs. 445. Drakenb.

174. *Probitas* generis est. Species hic intelligitur, *pudicitia*. *Facit timere.* Graecorum imitatione, qui post verbum finitum Infinitivum ponunt pro accusativo substantivi. Quam constructionem soli poëtae usurpant. Cf. Propert. L. II. El. 9. vs. 6. V. Vechn. Op. l. L. I. c. 10. pag. 137. In soluta oratione *facit timorem, sive ut timeat.*

175. *Tempora ne pereant ultro data, praecipis.* Vid. vs. 297. sq. Ep. XVI. Quod ad phrasin *tempora pereant* vid. Ep. XVI. vs. 312.

176. *Commoditate* V. not. ad vs. 300, Ep. XVI.

177, 178. *Nec adhuc exacta* etc. Rem tanti momenti adhuc perpendo et mentis trutina pondero et adhuc vacillat et nutat dubia voluntas, quo se inclinatura sit. Eleganti metaphora (quam et vid. Metam. L. X. vs. 371. sq. Fast. L. III. vs. 637.) desumta a lance, cujus instrumentum vel linguae sive aequamentum et libramentum proprie *examen* dicitur, atque ipsa ponderatio *exagium*; unde passim *exigere* pondus. V. Schol. ad Persii Sat. I. vs. 6. Oud. Ad Suet. Caes. c. 47. Ruhnk.

178. *In dubio* etc. Terent. Andr. Act. I. sc. 5. vs. 31. „Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc inpellitur." Ad q. vs. Schol.: Translatio haec est, inquit, a mole alicujus ponderis, quae, antequam in loco sederit, cum incerta pendet, facillime commovetur.

179. *Et vir abest nobis* etc. Cf. vs. 315. Ep. XVI. Vid. not. ad vs. 33. Ep. IX.

180. *Inque vicem.* Ita semper, duabus vocibus, scribendum esse, ad h. vs. monet Drakenb. Cf. vs. 132. Ep. XVI.

181. *Sermone coïmus*, i. e. conjungimur. Hubert.

182. *Me miseram!* Exclamatio est suspirantis ac gemitum edentis prae timore, quem quasi continere et inhibere vult Helena, dum sensim ac pedetentim inclinat in crimen, ad quod tamen cogi se velle prae se fert. Oud.

Et peream, si non invitant omnia culpam.
Nescio quo tardor sed tamen ipsa metu.
Quam male persuades, utinam bene cogere possis!
Vi mea rusticitas excutienda fuit.
Utilis interdum est ipsis injuria passis.
Sic certe felix esse coacta velim.

Una domus tanquam mariti et uxoris; nihil ergo deëst, ut, sicuti unius domus sumus participes, ita quoque lecti fiamus consortes. Oud.

183. *Peream.* Jurandi est verbum, simile illi «Dii me perduint." Cf. vs. 29. Ep. XXI. Oud.

Invitant omnia culpam. Blandimentis pelliciunt suadendo, et adhortando. Ex frequenti Romanis loquendi more, quo verba *ori* propria *rebus* ipsis accommodant. V. Plin. L. V. Ep. 6. Vell. Paterc. L. II. c. 67. Drakenb. ad Liv. L. II. c. 42. Sic in bonam partem *somnos invitat unda* L. XI. Metam vs. 604. Oud.

184. *Nescio, quo — metu* q. d. etiamsi sit sine ratione. Hubert.

Sed tamen ipsa. Ipsa ex Heusing. observatione; (qui etiam commata utrimque delenda censet) hic eleganter obponitur τῷ *omnia*. Vid. praec.

185. *Quam male persuades.* Vel *quam male* hoc sensu capi debet: Utinam aeque bene possis cogere, ac male persuades: ut desit ei respondens particula *tam, tam bene*, quam male; ut apud Justin. L. XII. c. 8. §. 14. Gronov. ad Liv. L. II. c. 56: Vel *quam* hic est pronomen, ut sensus sit: Utinam cogere possis illam, quam non persuades. Antiqui enim non modo dixerunt *suadere* et *persuadere alicui*, sed etiam *aliquem*. V. Burm. ad Phaedr. L. I. fab. XV. vs. 6, quod praestat Drakenb. *Male* interpretantur Oud. et Burm. *vix, aegre*, uti et Ruhnk. Ab his V. V. Cl. mihi dissentire liceat, qui explicem *in meam infamiam*, cum persuaderi me turpiter patiar; coactae vero nullum sit crimen. Cf. supra vs. 23. sq.

186. *Rusticitas.* V. not. ad vs. 77. Ep. I.

Vi — excutienda. Furca quasi expellenda, ut ait Horatius. V. not. ad vs. 43. Ep. XIV.

187. *Utilis interdum* etc. cujus dicti veritatem suo ipsa exemplo confirmat Helena vs. seq. Post *passis* subaudiendus est accusativus ejusdem vocis *injuria*, quae praecessit, ut sit *utilis ipsis passis injuriam*. Uti observat Oud. ad h. vs.

189, 190. *Dum novus* etc. Ostenditur mutabilitas muliebris, inquit Hubert.; postquam enim

Dum novus est, potius coepto pugnemus amori:
Flamma recens parva sparsa resedit aqua.
Certus in hospitibus non est amor. errat, ut ipsi:
Cumque nihil speres firmius esse, fuit.
Hypsipyle testis, testis Minoïa virgo est:
In non exhibitis utraque lusa toris.

significavit se cupere, quod Paris persuadet; nunc hortatur, ut potius desistat ab amore, dum nondum est vehementer auctus; et multis exemplis rationibusque probat, quare non debeat sequi Paridem. Advertendus est dativus casus, inquit Oud., *cui pugnemus* additus pro *cum amore* vel *in amorem*. V. Propert. L. I. El. 10. vs. 21. Drakenb. laudat Virg. Aen. L. IV. vs. 38. et Serv. ad h. vs. Est autem haec constructio Graeca, uti patet ex Vechn. Op. l. L. I. c. 25.

190. *Flamma — resedit.* Eleganter flamma, quae crescens *surgit*, dicitur *residere* vel *residere*, ut Heinsius legit, cum extinguitur et suffocatur. Lucan. L. IX. vs. 75. Oud. van Lennep ad h. vs. Et *flatus* dicitur *residere* apud Virg. L. VII. vs. 27. et *animus* Liv. L. X. c. 27. Drakenb.

191. *Certus non est amor.* Explicantur sequenti *errat*.

192. *Fuit* pro *fugit* adrisit Heinsio Drakenb. Oud. et Lennep: ut obponeretur antecedenti *esse*; id quod, cum Loersio d. spec., mihi negandum videtur. Primum, inquit Loers., in eo graviter errat Heinsius, quod *fuit* voci *esse* respondere existimat, cum *esse* illud nullam omnino in h. sensu vim habere videatur, quae omnis inest in voce *firmius*.

Firmius esse est idem, quod *firmius stare*, cui omnium aptissime respondet *fugit*; *Fuit* autem habet hunc sensum: *cumque* nihil *firmius esse*, i. e. *stare* putas, esse *desiit*, quo nihil est languidius. Respondet sic vs. praecedenti; nimirum *firmius esse* voci *certus*, et *fugit* voci *errat*; et, quod usque repeto, flagitat eam lect. auctoritas *omnium* librorum.

193. *Hypsipyle. Minoïa virgo*, d. *Ariadne*. Vid. harum Epp. ad Iasonem et Theseum.

194. *In non exhibitis utraque lusa toris* i. e., secundum Drakenb, matrimonium olim *verbis* promissum, postea *re* perfectum non est. Probaverat enim antea V. Cl., *lusa* hic id. qd. supra vs. 45. (ad q. vs. vid. not.) valere *decepta*; *torum* poni pro *matrimonio* ut vs. 193. Ep. XII. *exhibere* verbum esse e foro petitum, uti

Tu quoque dilectam multos, infide, per annos,
Diceris Oenonen destituisse tuam.
Nec tamen ipse negas: et nobis omnia de te
Quaerere, si nescis, maxima cura fuit.
Adde quod, ut cupias constans in amore manere,
Non potes. expediunt jam tua vela Phryges.
Dum loqueris mecum, dum nox sperata paratur,
Qui ferat in patriam, jam tibi ventus erit.
Cursibus in mediis novitatis plena relinques
Gaudia: cum ventis noster abibit amor.

patet ex L. 22. Dig. de verb. signif., ac significare „re ipsa praestare quod quis antea verbis promisit." V. Just. L. VIII. c. 4. §. 4. Laudat Oud. et Phaedr. l. IV. fab. 25. vs. 9. Ovid. Metam L. X. vs. 181.

195, 196. *Tu quoque dilectam* etc. Ut vidimus in Oenones Ep. ad Paridem. *Diceris*, scripsit Helena: *fando* enim audiverat.

198. *Quaerere*, inquirere, magnopere laborare de re aliqua. V. not. ad Nep. in Pelopida c. 3. Observat ad h. vs. Drakenb. et *judicem* dici *quaerere crimen* cum in crimen inquirit, citatque Gronov. ad Liv. L. VII. c. 34.

Maxima cura fuit. In *omnia* enim inquirebat. Pro more amantium, inquit Oud., et praesertim eorum, qui nuptias sunt contracturi.

199. *Adde.* Aliam (Helena) adducit rationem, quia Paridis comites instabant, ut jamjam discederet. Hubert.

Adde quod. Frequentissima ita loquitur Ovid. pro *praeterea*, *quin imo*, *quod magis est.* V. Am. L. 1. El. 14. vs. 13. L. II. El. 7. vs. 13. A. A. L. II. vs. 675.

Ut cupias etc. Quamvis cupias. Cf. supra vs. 191. sq.

200. *Expediunt.* Vernaculum est *uit de voeten maken.* Pp. verbum notat, explicante Gesn. in Thes., *liberare* et quasi *pedum* ligamenta dissolvere; unde et pro *explicare* et *proferre* ponitur.

201. *Dum nox — paratur.* Concubitus nocte peragendus; hinc passim *rogare*, *promittere*, *dare noctem.* V. Heins. ad Ovid. A. A. L. II. vs. 308. Metam L. VII. vs. 739. ad Petron. c. 95. Oud.

202. *Jam* futuro junctum *mox* denotare, saepius, nisi fallor, admonui.

203. *Cursibus in mediis* etc. In medio actu ut Oud., vel,

An sequar, ut suades; laudataque Pergama visam:
Pronurus et magni Laomedontis ero?
Non ita contemno volucris praeconia Famae,
Ut probris terras impleat illa meis.
Quid de me Sparte poterit, quid Achaïa tota,
Quid gentes Asiae, quid tua Troja loqui?

secundum Drakenb. «cum nondum animum fruendo explevesis?» Quo sensu *gaudia* adcipi debeat vid. ad Ep. III. vs. 112. De vocis *cursus* significatione ad Ep. V. vs. 122.

Plena novitatis. Tantummodo incoepta. Hubert.

204. *Cum ventis.* V. van Lennep in Animadv. Causa, quod Viri Clar. ibi laud. pro *ventis*, *velis* legere malint, haec mihi fuisse videtur, quod Latini, cum aliquid *evanuisse* significare velint, id *in ventos* abiisse dicant, non *cum ventis*, quod aliam omnino sententiam funderet. V. Virg. Aen. L. IV. vs. 241. *Cum velis* autem *amor*, personae instar, *abire licitur*, cum quis rei amatae, unde discedit, amplius omnino non meminit.

Noster amor, quo ego amor a te, amor tuus erga me. Drakenb. ad Liv. L. VI. c. 28. no. 9. Pronomina enim possessiva substantivis addita, nunc active, nunc passive explicantur.

205. *Laudataque Pergama visam.* Cf. Ep. XVI. vs. 177—181. et vs. 331.

206. *Pronurus. Nurus* ad *patrem* mariti refertur; *pronurus* ad avum. Hubert.

207, 208. *Non ita contemno* etc. i. e. non adeo quascunque laudes contemno ut contra etiam culpari malim. *Famae praeconium* pro laudatione ponitur. Cf. Ep. XVI. vs. 139. Drakenb. *Volucris* unde fama dicatur docet Virg. Aen. L. IV. vs. 174. sq.

208. *Probris terras impleat.* Verbi vim probe expendas velim, neque pluralis numeri vim in v. *terras* negligas. *Probrum*, inquit Oud., omne, quod debet prohiberi, adeoque crimenosum est, et cujus reus male audit, atque ignominiae dedecore infamis est. V. Cortium ad Sallust. c. 23. Hinc *exprobrare* et *opprobria dicere* est convicia alicui dicere; sed in primis vox *probrum* millies adhibetur de *illicita* Venere, scortatione atque adulterio; unde feminae *probrosae* apud Suet. in Domit. c. 8.

209, 210. *Quid de me Sparte poterit — loqui?* Et Burm. et post hunc Drakenb. et Oud. *poterit* eleganter abundare affirmant, ita ut sit, *quid loque-*

Quid Priamus de me, Priami quid sentiet uxor:
Totque tui fratres, Dardanidesque nurus?
Tu quoque, qui poteris tibi me sperare fidelem,
Et non exemplis anxius esse tuis?
Quicumque Iliacos intraverit advena portus,
Is tibi solliciti caussa timoris erit.
Ipse mihi quoties iratus, Adultera, dices!
Oblitus nostro crimen inesse tuum.
Delicti fies idem reprehensor et auctor.
Terra, precor, vultus obruat ante meos.
At fruar Iliacis opibus cultuque beato:
Donaque promissis uberiora feram.

tur. Dissentire a tantis viris verecundor, nec tamen, quid ego sentiam, reticere meum duco, quamvis hisce Vir. Cl. me longe inferiorem pronunciem. Tantum enim abest, ut *abundare* vocem *poterit* mihi persuadeam, ut singularem verbo vim inesse sentiam, et sensus sit. « Fieri aliter non potest, quin me adulteram adpellent" sive, ut Hubertinus, quid *poterit* loqui de me, nisi me esse adulteram. Hic et seq. vs. obponuntur vs. 183. sq. Ep. XVI.

212. *Nurus.* V. supra ad vs. 206.

213, 214. *Tu quoque, qui poteris* etc. Simili modo Paridem ab amore dehortatur Oenone Ep. V. vs. 90. sq. Drakenb. 216. *Solliciti.* Cf. vs. 12. Ep. I. ac not. ad h. vs.

Causa timoris. Quia putabis eum venisse eadem intentione (eodem animo) qua tu huc venisti, Hubert.

218. *Oblitus nostro.* i. e. oblitus, quod non potes male dicere de me, quin maledicas de te ipso. Hubert. Naturam humanam et in his Poëtam sequi ducem, usus docet. Fieri enim quidem potest, ut animus adfectibus quasi obcaecatus criminis atrocitatem non videat; postea vero, cum, adfectibus sedatis, ad se redierit, non potest non, intimo boni malique judice cogente, mali horrorem et sentire et odisse.

220. *Terra, precor, vultus* etc. In summis malis optabant, ut a terra absorberentur, ne ulterius mala viderent ac sentirent. V. Ep. VI. vs 144. Oud. Not. ad h. vs. et Virg. Aen. L. IV. vs. 24. ad Sil. Ital. L. IV. vs. 332. laudat Drakenb.

221. *At fruar.* Objectio. Hu-

Purpura nempe mihi pretiosaque texta dabuntur:
Congestoque auri pondere dives ero.
Da veniam fassae: non sunt tua munera tanti.
Nescio quo tellus me tenet ista modo.
Quis mihi, si laedar, Phrygiis succurrat in oris?
Unde petam fratres, unde parentis opem?
Omnia Medeae fallax promisit Iäson.
Pulsa est Aesonia num minus illa domo?
Non erat Aeëtes, ad quem despecta rediret:
Non Ipsea parens, Chalciopeque soror.

bert. Conf. vs. 191, 335. sq. Ep. XVI.

Cultu beato. V. not. ad vs. 24. Ep. XII.

224. *Congestoque auri pondere.* Immensis (i. e. *auri pondere*) opibus *in me unam* collatis. *Congerere* enim significat *magnum* acervum, *multamque* copiam. Cf. Ep. XVIII. vs. 113. Oud. Drakenb. ad Sil. Ital. L. V. vs. 266.

225. *Da veniam fassae.* Responsio. Hubert. Ignosce mihi verum fatenti.

Non sunt — tanti. V. not. ad vs. 4. Ep. I.

226. *Nescio, quo tellus* etc. Quam tu tam parcam, et cultu divite, quo digna sim, indigentem dicis, et a qua me abducere cupis, (Ep. XVI. vs. 185. sq.) ista me nihilominus quodam insito et naturali amore retinet, quia dulce est natale solum. Oud. Ad h. vs. animadvertit van Lennep V. Cl., forte praeferendum, quod in Puteaneo et aliis haud paucis legitur, *ipsa*, cum Burmanni interpretatio *τῶ ista* illi paulo durior videatur.

Ista, scribit Loers d. spec., h. l. est *haec* vel *isthaec*, qua vi saepissime reperitur (v. Forcell. in Lexico); id quod etiam patet vs. *seq.*, in quo *Phrygiis oris* respondent verbis *ista tellus.* Sensus autem loci est: « Placet mihi, nescio quo modo, ista *tellus* (scil. Lacedaemonia, patria mea, in qua pater, et frater meus est) quis enim, si laedar, *Phrygiis* in *oris* succurrat etc.

Nescio — quo modo. Incredibiliter. Hubert.

228. *Petam fratres.* V. van Lennep in Animadv.

229. *Omnia Medeae fallax* etc. V. Ovid. Ep. Medeae Iäsoni. De significatione terminationis *ax* alibi egimus.

230. *Aesonia.* V. §. 8. Argum. Ep. VI.

231. *Aeëtes.* V. Apoll. Rhod.

Tale nihil timeo: sed nec Medea timebat.
Fallitur augurio spes bona saepe suo.
Omnibus invenies, quae nunc jactantur in alto,
Navibus a portu lene fuisse fretum.
Fax quoque me terret: quam se peperisse cruentam
Ante diem partus est tua visa parens.
Et vatum timeo monitus: quos igne Pelasgo
Ilion arsuram praemonuisse ferunt,
Utque favet Cytherea tibi, quia vicit habetque
Parta per arbitrium bina tropaea tuum:
Sic illas vereor, quae, si tua gloria vera est,
Judice te caussam non tenuere duae.

Argon. L. III. vs. 241. sq.

232. *Non Ipsea parens.* De matre Medeae inter veteres non convenit; nullus tamen est, qui eam vocat Ipseam; hinc Heins. emendat *Idya*, quia ita vocatur Apollod. L. I. c. 9. §. 23. et Hygin. fab. 25. Quos si sequi velimus, non *Idya*, ut Heins. voluit, sed *Idyia* scribendum erit, quia Graecis dicitur *Idvia*. V. Munker. ad d. Hygini l. Drakenb. Plura de h. vs. vid. in Animadv. V. Cl. van Lennep.

234. *Fallitur augurio spes bona saepe suo*, i. e. evenit saepe aliter, quam opinamur. Anton. *Spes* cum *opinio* tantum sit de re *futura*, *bona* esse et *mala* potest. *Augurium suum* est quod spes auguratur, sibi bene eventurum, ut ait Hubert. V. Cic. Phil. Orat. II. c. 32. Tusc. Quaest. L. I. c. 15. a Drakenb. laud.

235, 236. *Omnibus invenies* etc. Similitudine probat, fortunam suam sibi posse mutari: quia, si Paris eam nunc diligit, posset mutare voluntatem. Hubert.

236. *Lene fuisse fretum*, non saevum, mite. Vid. vs. 179. Ep. VII. Contrarium indicatur vs. antecedente *Navibus quae nunc jactantur in alto* sive medio mari.

237. *Fax* etc. V. §. 3. Argum. Ep. V. Cf. vs. 45. Ep. XVI, et vs. 119. sq.

239. *Pelasgo* i. e. Graeco. V. not. ad vs. 29. Ep. XII.

240. *Ilion arsuram*. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XIII. vs. 43. Ep. I. vs. 47. Ond.

242. *Parta per arbitrium*. Vid. vs. 79, 126. Ep. XVI.

Bina tropaea, duas victorias, a Junone et Pallade. Hubert. V. Ep. XVI. vs. 81. sq. *Tropaea* pp. quae sint vid. in not. ad vs. 66. Ep. IV.

Nec dubito, quin, te si prosequar, arma parentur.
  Ibit per gladios (hei mihi!) noster amor.
An fera Centauris indicere bella coëgit
  Atracis Aemonios Hippodamia viros?
Tu fore tam justa lentum Menelaon in ira,
  Et geminos fratres, Tyndareumque putas?
Quod bene te jactes, et fortia facta loquaris,
  A verbis facies dissidet ista suis.

244. *Causam non tenuere.* Alias obtinuerunt. Forense est verbum, ait. Oud., tuo judicio causa ceciderunt, litem perdiderunt, ut L. XIII. Metam. vs. 190. Liv. L. XXXIX. c. 3. ibiq. Drakenb.

Duae. Male inquit Ruhnk. h. l. editur *duae* contra libros scriptos, qui exhibent *Deae*, quae vox magnam vim habet et sumenda est pro Deae *maximae*, *potentissimae.*

245. *Nec dubito, quin* etc. Respondet ad vs. 339. sq. Ep. XVI.

Te si prosequar. Ut *prosequi*, amici, sic *persequi* infesti animi est.

246. *Ibit per gladios — noster amor.* Sive in medios hostes Paris meus ruet. Oud. Exemplo dicta probat Helena.

247. *Centauris.* V. Hygin. fab. 33. Dorn Seiffen in Onomastico Poët.

248. *Atracis.* Atrax sive Atracia, urbs Thessaliae (sive Haemoniae) ejus partis, quae Pelasgiotis dicta fuit, ab Atrace, filio Penei et Burae, condita ac nominata, auctore Stephano. Hinc *Atracis* Hippodamia, pro Thessalica, sive quod ex ea urbe nata fuerit, sive generaliter accepto nomine. Alii *Atracem* fluvium Thessaliae faciunt, ejusque filiam Hippodamiam, sed hac tenus dissimulato nomine. Micyllus. V. not. ad Val. Flacci Argon. L. I. vs. 141. Verborum constructio haec est « An Hippodamia Atracis coëgit viros Haemonios (sive Lapithas) indicere fera bella Centauris."

249. *Lentum.* V. not. ad vs. 22. Ep. III.

250. *Geminos fratres.* V. not. ad vs. 271. Ep. XVI.

Tyndareumque. V. not. ad vs. 91. Ep. V.

251. *Quod bene te jactes.* Respondet Paridi vs. 355, 367. Ep. XVI. *Bene*, valde. V. not. ad vs. 67. Ep. XV. *Jactes* explicatur sequentibus.

Fortia facta loquaris. Proprium est magniloquentiae verbum, inquit Burm. ad h. vs., illudque ad Petron. Satyr. c.

Apta magis Veneri, quam sunt tua corpora Marti.
Bella gerant fortes: tu, Pari, semper ama.
Hectora, quem laudas, pro te pugnare jubeto:
Militia est operis altera digna tuis.
His ego, si saperem, paulloque audacior essem,
Uterer. utetur, si qua puella sapit:
Aut ego, deposito, faciam fortasse, pudore;
Et dabo conjunctas tempore victa manus.
Quod petis, ut furtim praesentes plura loquamur:
Scimus quid captes, colloquiumque voces.
Sed nimium properas, et adhuc tua messis in herba est.
Haec mora sit voto forsan amica tuo.

217. dicit esse « Dictis ac factis apparentibus simulare."

252. *Facies ista*, Haec, tua. *Dissidet* pp. Senatus, postquam in diversas partes abiit; hinc *non consentire, non convenire. Dissidet suis a verbis facies* quae *amorem*, non *bellum* prae se fert.

Suis. Suus interdum exquisite ponitur pro *insitus*, *innatus*, *proprius*, *nativus*. Ovid. Fast. L. II. vs. 6. Virg. Georg. L. II. vs. 82. Just. L. II. c. 9. Heins. ad Ovid. A. A. L. III. vs. 236. Ruhnk.

255. *Hectora, quem laudas* vs. 365. Ep. XVI.

256. *Militia — altera.* Veneris, non Martis. Cf. vs. 118. Ep. XIII. Am. L. I. El. 9. vs. 1.

Operis tuis i. e. exercitiis et factis. Hubert.

257. *His ego* scil. operis. Hubert.

Si saperem. V. ad vs. 210. Ep. XV. Colligit jam epistolam, ita ut plus spei quam timoris relinquat. Anton.

259. *Faciam fortasse.* Utar his operis amoris.

260. *Et dabo conjunctas* etc. V. not. ad vs. 14. Ep. IV.

261. *Quod petis.* V. vs. 281. seq. Ep. XVI.

262. *Quid captes. Captare* is dicitur, qui diligentem operam dat, ut aliquid assequatur. V. Just. L. XXV. c. 3. §. 8. Virg. Ecl. II. vs. 8. Eo sensu *voces auribus captas*, qui *omni studio* voces audire conatur; ut in Ep. XIX. vs. 53. Ep. XX. vs. 43. Ep. VIII. vs. 93. Drakenb.

263. *Adhuc tua messis in herba est. Messis* fruges sunt suo tempore metendae. *In herba* messis est, cum aristae nondum provenerunt, et, ut Oud. ad h. l., adhuc longe a maturitate absunt. Hinc locutio haec proverbialis de homine,

Hactenus, arcanum furtivae conscia mentis
Litera, jam lasso pollice, sistat opus.
Cetera per socias Clymenen Aethramque loquamur,
Quae mihi sunt comites consiliumque duae.

qui nimis properat, quasi qui vellet fruges metere, priusquam aristae excrevissent. V. Erasmum in Adag. in tit: *incerti eventus*. Drakenb.

264. *Sit — amica*. Proderit haec dilatio *tibi voventi, valde cupienti*. *Amica* est: *grata, accepta*.

265. *Haetenus*. Dicit se nolle plura mandare epistolae, quia cetera vult loqui per Clymenem et Aethram, comites suas, quae erunt internunciae, et mediae inter ipsam et Paridem. Hubert.

Arcanum — sistat opus. Finiat opus arcanum, officium scribendi secreta. Hubert. *Sistere* is dicitur, qui efficit, ut opus stet, nec ulterius progrediatur. V. Ep. VI. vs. 87. Drakenb.

267. *Per socias Clymenen Aethramque*. V. Ep. XVI. vs. 257.

268. *Consilium* hic sunt *consilium dantes*. Ovid. Fast. L. III. vs. 276. Trist. L. IV. El. 2. vs. 32. V. not. ad Sil. Ital. L. XV. vs. 748. Drakenb. Passim assessores in judicio, et alibi, vel senatores ipsi dicuntur *consilium*. V. ad Liv. L. XLIV. c. 2. Gronov. Obs. L. III. c. 22. Oud.

LEANDER HERONI.

ARGUMENTUM.

§. 1. Leander Abydo, urbe ad orientale Hellesponti litus sita, oriundus, Herus in urbe Sesto, quae in obposito litore jacebat, natae amore incensus, quaque nocte, face, quam Hero ex pacto in rupe quadam adcendere solebat, duce, natando fretum, septem stadiorum, quod Abydon a Sesto separabat, trajicere solebat; quare aliter fieri non poterat, quin, orta tempestate ac saeviente mari, aditu ad amicam prohiberetur amans, quod impedimentum alteram altero vehementius movebat, ac percutiebat.

§. 2. Quamvis mutuo Leander et Hero ardebant amore, faciebat tamen et diversus corporis habitus et diversa vivendi ratio, ut altera majori quam alter interclusi aditus dolore adficeretur. Tenerae enim Virginis animus, domi cum nutrice sedentis ac soli lanificio intentae vel absentis amantis desiderio magis quatiebatur vel metu angebatur, ne, periculis spretis, ad se per impetuosas undas properaret diuturniorem absentiam non ferens Leander, qui duriore corporis constitutione, et variis, quibus distinebatur, obcupationibus, licet ardentissimo flagraret amore, facilius absentiam ferre poterat, nec habebat, quod amicae timeret.

§. 3. Accidit autem, ut tempestas denuo orta solito longius saeviret, quare Leander, timens, ne forte Hero, nil nisi amantis absentiam cogitans, falsam ejus causam sibi fingeret, hanc ad eam perscriptam epistolam audaci nautae, Sestum navigranti, dedit, unde videret, unam coeli ac maris saevitiam causam esse, quae ipsum, ne se mari committeret, inpediret. Eodem autem se adhuc in illam ferri amore, quamvis oblique, significat, cum varios animi describat adfectus, quibus nunc ad fretum tranandum inpellatur, nunc a periculoso ausu deterreatur, tandem longioris morae inpatiens, adfirmet futurum, ut, quamvis non desaeviat mare, tamen per medios fluctus ac pericula ad Heronem perveniat.

§. 4. Quod suspicatus erat Leander, accidit. In epistola enim responsoria adparuit, Heronem ipsum desidiae ac timiditatis accusare, cui id, quod toties ausus esset, tempestatis vehementiam pretexens, nunc subterfugeret, quo ipso ardentissi-

mum Hero praedebat amorem, qui et conspicuus est in Heronis zelotypia, qua mota Leandrum in alterius amicae sinu jacentem sibi fingit, suique inmemorem Sestou non amplius respicere suspicatur. Mox vero se ipsa reprehendens, ut quam primum sua praesentia, periculis nihili habitis, omnem a se suspicionem ac metum amoliatur, enixe petit; sed et hujus petitionis illam subito poenitet, et rogat, ne vitam maris ac tempestatis periculis objiciat, et tempus exspectet, quo placatum mare, in cujus saevitiam invehitur, tuto tranare liceat.

MITTIT Abydenus, quam mallet ferre, salutem,
Si cadat ira maris, Sesti puella, tibi.
Si mihi Di faciles, et sunt in amore secundi:
Invitis oculis haec mea verba leges.
Sed non sunt faciles, nam cur mea vota morentur,
Currere me nota nec patiantur aqua?

Vs. 1. *Mittit* etc. Cf. init. Ep. IV et XIII.

Quam mallet ferre. Omnem his verbis statim a legentis animo alius minus honestae causae suspicionem amovet; si enim fieri potuisset, ipse praesens eam salutare maluisset, quam per epistolam, nec quidquam illum retinere posse fatetur nisi solam maris iram.

2. *Si cadat ira maris.* Gravius dici *ira maris* quam *iratum mare*, quia h. modo *ira* substantivum omnem ad se advertit animum, supra observavi. *Saevitiae* maris meminit Dido in Ep. VIII. vs. 73.

Cadat, quae nunc tumida surgit. V. Ep. VII, vs. 49. ibiq. not. Lucanus, quem laudat Oud. L. IV. vs. 284. de ira. Paulatim fugit ira ferox, montesque tepescunt.

Sesti. V. van Lennep ad h. vs.

3. *Faciles — secundi.* V. Ep. XII. vs. 84. Ep. XVI. vs. 375.

4. *Invitis oculis.* Non libenter: quia si me amas, ut opto, malles *me videre*, quam *legere hanc meam epistolam*. Hubert. Eadem verba, sed sensu longe alio, leguntur Ep. IX. vs. 124.

6. *Currere.* Virg. Aen. L. V. vs. 235.

Di, quibus imperium est pelagi, quorum aequora curro.

Hic, aliique loci, in quibus *currere* de terrestri et maritimo itinere adhibentur, laudati inveniuntur a Schradero in Animadv. ad Musaei verba vs.

Ipsa vides coelum pice nigrius, et freta ventis
Turbida, perque cavas vix obeunda rates.
Unus, et hic audax, a quo tibi litera nostra
Redditur, e portu navita movit iter.
Adscensurus eram: nisi quod, cum vincula prorae
Solveret, in speculis omnis Abydos erat.

208. νήχομαι ἐλλησποντον. Quis carminis de Herone et Leandro auctor fuerit, et quando vixerit, videre licet ex ipsius Schraderi praefatione ad h. Carm. et ex Fuhrmanno, Handleiding der klassische Letterkunde door d'Engelbronner D. I. ade St. bladz. 108 sq.

Nota aqua currere est natare per aquam *notam*. V. Argum. §. 1.

7. *Ipsa vides*. Non adeo opus est, ut ego tibi hoc adfirmem.

Pice nigrius. Hyperbolen minus excultorum hominum imaginationi, nullis finibus circumscriptae, deberi, supra me monere memini.

Freta ventis turbida. Virg. Aen. L. I. vs. 125.

« Emissamque hiemem sensit
Neptunus, et *imis*
Stagna refusa vadis."

8. *Vix obeunda*. Cum et in Vet. Edd. et MMs. legatur *adeunda*, posterius praeferrem, cum, quamvis pro *adire* et *obire* saepius dici videatur, tamen *ob* per se alium sensum fundat (τῶ *circum*, *contra*, *propter*), quem quare in composito amittat, non video. Lego ergo cum Hubert. *vix adeunda*, et explico: Ad quae cavis s. cavatis navibus vix adcedere licet, ea ego natando trajicerem?

9. *Unus, et hic* (isque) *audax*. V. not. ad Ep. I. vs. 41.

10. *Movit iter*. Incepit, aggressus est. Oud. V. not. ad Ep. VII. vs. 4.

11. *Nisi quod*. Excepto, quod. Sed. V. Tursell. de partic. L. L. in v. *nisi*. Laudat Drakenb. Cic. ad fam. L. XIII. vs. 1. Terent. Heaut. Act. V. sc. 2. vs. 6.

Cum vincula prorae solveret. Si vincula intelligimus funem, quo navis terrae alligatur, *prora*, quae vox (anteriorem) navis partem denotat, hîc pro *tota* nave in genere ponitur; nam, qui ad litus appulsi erant, solebant proram navis obvertere pelago, puppim autem obvertebant litori, ut ita navis paratior navigationi foret. Virg. Aen. L. VI. vs. 3. Hinc patet, naves vinculo, quod in prora erat, *terrae alligari* non potuisse: patet tamen etiam *prora* proprio sensu accipi, si vincula intelligamus *funes anchorarum*; anchorae enim erant

Non poteram celare meos, velut ante, parentes:
Quemque tegi volumus, non latuisset, amor.
Protinus haec scribens, Felix, i, litera, dixi:
Jam tibi formosam porriget illa manum.
Forsitan admotis dominae tangere labellis:
Rumpere dum niveo vincula dente volet.

in prora, atque inde dejiciebantur in mare. Virg. Aen. L. III. vs. 277. Drakenb.

12. *In speculis omnis Abydos erat* i. e. omnes Abydeni spectabant. *Urbs*, inquit Drakenb., saepe pro ejus *incolis* ponitur. Ita *Messenen* descivisse dixit Liv. L. XXXIX. c. 48. *Specula* pp. est locus altus ad id aedificatus, ut ibi excubiae fiant, atque ex eo omnia vicina prospectari possint. Vid. V. V. D. D. ad Flor. L II. c. 2. §. 19. Verum h. l. specula in genere *quemlibet locum* significat, *ex quo aliquis spectat.* Cic. in Verr. L. I. c. 16.

14. *Quem tegi volumus* etc. Respondet ita objectioni, quare non adscenderit cum illo nauta propter multitudinem spectantium, cum navis a litore discedebat. Hubert.

15. *Felix, i, litera.* V. not. ad vs. 338. Ep. XVI. Felicitatis rationem reddunt vs. seq.

17. *Admotis dominae.* Dominam hîc dici *amicam* Ep. III. vs. 101. probare conatur Oud. Mihi quidem non probavit. Invitis Codd., inquit Loers in d. spec., cum Burmanno scribere non ausim *dominae*; nam de subjecto verbi *volet*, minime dubito, quod est idem, quod verbi *porriget* vs. 16. *illa*. Revoco igitur *admotis etiam*. Hanc lect. et Hubert. habet. Cui particulae *etiam* mihi multo major vis inesse videtur, quam voci *dominae*. Ita felicitatis *duo* quasi gradus, alter alterum altitudine superans.

18. *Rumpere dum niveo vincula dente volet.* Antiqui literas obsignaturi, primo adhibebant *linum*, quo literas constringebant; tum imponebatur *cera;* deinde huic cerae imprimebatur *annulus signatorius.* Plaut. in Bacchid. Act. IV. sc. 4. vs. 96. Ovid. Am. L. II. El. 15. vs. 15 sq. Qui igitur epistolam aperire volebat, debebat vinculum illud lini abscindere, ac ceram detrahere. V. Cic. Orat. Catil. L. III. c. 5. Nep. in Paus. c. 4. Qui autem vehementi desiderio noscendi, quae literis scripta essent, tenebantur, neque prae desiderio satis cito vincula manibus solvere poterant, interdum ad vincula *rumpenda* etiam dentes adhibebant, quod, tan-

Talibus exiguo dictis mihi murmure verbis,
Cetera cum charta dextra locuta mea est.
At quanto mallem, quam scriberet, illa nataret,
Meque per adsuetas sedula ferret aquas!
Aptior illa quidem placido dare verbera ponto.
Est tamen et sensus apta ministra mei.
Septima nox agitur, spatium mihi longius anno,
Sollicitum raucis ut mare fervet aquis.

quam *curiosi* hominis signum, non faciendum esse Plutarch. docet in l. *de Curiosis* pag. 522. Id autem Heronem facturam decenter admodum hic suspicatur Leander. Drakenb.

19. *Talibus exiguo* etc. Cf. vs. 85. Ep. XIII.

20. *Cum charta dextra locuta mea est.* Poetica est locutio. Dextra loquitur cum charta, quando, illa, quae dicenda sunt, chartae inscribimus. Eodem colore *charta cum aliquo loqui* dicitur, cum quis legit, quae chartae inscripta sunt. V. Ep. XXI. vs. 244. Drakenb.

21. *At quanto mallem.* Ita legere mavolunt Heins. ad h. vs. pro *ah quanto mallem*, et Burm. ad Quinct. Decl. II. c. 22. Me quidem V. V. Cl. non habent adsentientem, qui conditioni, in qua versabatur Leander, multo convenientiorem putem dolentis particulam *ah*, quae maximum Heronis visendae desiderium simul declaret. Editio Ovid. an. 1549. exhibet *ah*.

22. *Per assuetas aquas.* Cf. supra. vs. 6.

Sedula ferret. Modum, quo, ostendit adjectivum, quod Hubert. exponit, *intenta*.

23. *Aptior — dare verbera ponto. Aptior dare* graecismum esse et alibi vidimus, et ad h. vs. notat Drakenb. Graeci enim *potentiae* et *facultatis* adjectivis infinitivum jungunt, ut Vechn. Op. l. docet. *Dare verbera ponto* quasi in tabula picta nobis repraesentant natantem Leandrum, quando, ut legitur infra vs. 58. *liquido jactabat brachia mari.* Cf. Lucan. L. III. vs. 537. Virg. Aen. L. X. vs. 208. a Ruhnk. ad h. vs. laud.

24. *Est tamen* etc. quae mihi apta inservire solet ad mentis meae sensus aperiendos et explicandos. Passim enim quaevis res et instrumenta vocantur *ministrae* et *ministra*. Ut hîc, ita Cic. de Nat. Deor. L. II. c 60, et Ovid. Ep. XXI. vs. 114. Oud.

25. *Septima nox agitur, spatium* etc. *Agitur* est *ingreditur*, incipit. Haec est propria ejus

His ego si vidi mulcentem pectora somnum
Noctibus, insani sit mora longa freti.
Rupe sedens aliqua specto tua litora tristis,
Et, quo non possum corpore, mente feror.
Lumina quin etiam summa vigilantia turre,
Aut videt, aut acies nostra videre putat.

verbi vis. V. Ciofanus ad vs. 700. L. VII. Metam.

Spatium mihi longius anno. Ex affectu amantis, cui exspectanti tempus videtur *longissimum*. Hubert. Ovid. Ep. XI. vs. 29. Hubert. Kornelisz. Poot. Minnedichten. D. I. pag. 162.

Hier heeft mij Rozemont bescheiden;
Hier, bij deez' boom, die weligh wast:
Waar magh de schoone zoo lang beiden,
Dat zij niet op het uurtje past?
. . . . . .
Maar och, hoe lang zijn thans de stonden,
Elk omzien duurt een jaer gewis.

16. *Sollicitum* ab effectu sic dici mare adparet. V. ad vs. 13. Ep. I.

Raucis aquis. Aquae *raucae* dicuntur, quia in scopulos ac littus et in se invicem impactae *raucum* sonum edunt. Ovid. Ep. X. vs. 26. Drakenb. V. not. ad d. vs. 26.

Ut mare fervet. Ut hic ponitur pro *postquam*. *Mare* autem dicitur *fervere*, cum tempestatibus, aut reciproco aestu huc illuc impellitur, quia refert aquae *ferventis* effigiem ac similitudinem. V. Sil. Ital. L. XIV. vs. 146. Drakenb. Musaeus Her. et Leand. vs. 104.

Παρθένε, σοὶ δ' ἔρωτα καὶ ἄγριον ὕδμα περήσω,
Εἰ πυρὶ παφλάζοιτο, καὶ ἄπλοον ἔσσεται ὕδωρ.

Schrader. ad h. vs.

27. *His ego.* Demonstrative. *Si* adseverantis est. V. Turnell. Op. l. in v. Jurat enim, ut ait Hubert, Leander, se *his septem noctibus* non dormivisse sive *vidisse somnum pectora mulcentem*. Vid. Dictata D. Ruhnkenii ad Terent. Heaut. Act. III. sc. 1. vs. 82. Oud. praeter alios et laudat Cort. ad Sallust. Catil. c. 40. Oud. ad Lucan. L. I. vs. 255.

28. *Insani sit mora longa freti* i. e. precor, diu duret tempestas maris, quod minime vellem. Hubert. V. van Lennep ad h. vs.

30. *Et, quo non possum corpore, mente feror.* Venio cogitatione, quo corpore venire non possum. Hubert. Cf. Ep. X. vs. 135.

31. *Lumina* etc. Solebat enim

Ter mihi deposita est in sicca vestis arena.
Ter grave tentavi carpere nudus iter.
Obstitit inceptis tumidum juvenilibus aequor:
Mersit et adversis ora natantis aquis.
At tu de rapidis, immansuetissime, ventis,
Quid mecum certa proelia mente geris?

Hero ponere lumen in quadam turri sua, ad quod lumen Leander natabat: quod dicit se videre, aut ex affectu putare videre. Hubert.

Vigilantia lumina. Instar custodis vigilias agentia, et semper accensa. V. Ep. XIX. vs. 35. Horat. Od. L. III. Od. 8. vs. 14. Drakenb. Oud. V. Musaeus vs. 24 sq.

33. *Ter mihi deposita* etc. De numero ternario alio dixi loco. Macrob. in Somn. Scip. L. I. c. 6. Repetitus hic conatus proditor amoris est. Ita Ovid. Trist. L. I. El. 3. vs. 55.

34. *Grave* hic id est quod *periculosum.*

Tentavi. Non solum adeo vestem exuerat; sed et periculum natandi fecerat; unde magis etiam adparebat vehemens in Heronem amor.

Carpere iter. Virg. Aen. L. VI. vs. 629. dixit *carpere viam* i. e. celeriter progredi. Apud Ovid. *celeriter natare.* Quod ad prius: eodem modo cecinit Hom. Il. L. XXIII. vs. 121. χθόνα κοσσὶ δατέσθην. δατέεσθαι enim κοσσὶ χθόνα ipsum illud est *carpere viam* V. Köppen ad h. vs.

35. *Inceptis — juvenilibus.* Juvenes audaciores et inconsideratiores esse solent, quam viri, quibus magis matura sunt consilia: (V. Cic. de Senect. c. 6. extr.): Hinc *juvenilis* h. l. ponitur pro *audax*, *inconsideratus.* Ovid. Trist. L. II. vs. 117. Drakenb.

36. *Adversis.* In natantis pectus ferentibus, ruentibus.

37. *At tu* etc. Expostulatio haec ad Borean similis est ei, quam agit Ovid. Am. L. III. El. 6. init. ad *torrentem.* Oud.

De rapidis etc. Non recte hoc epitheto hic utitur Poëta; nam *rapidi* venti sunt, qui *cum turbine praecipites celerrime veniunt et abeunt;* agitur autem h. l. de illis ventis, qui *diu* saevam vehementiam exercent. Legendum igitur est *rabidis*, quod etiam suadet vox *immansuetissime.* V. Lucan. L. VI. vs. 27. Horat. L. I. Od. 3. vs. 14. Drakenb. ad Sil. Ital. L. V. vs. 451. Oud. Schrader. ad vs. 320 Musaei.

38. *Certa — mente.* Animo obstinato, inmutabili. Indesinenter.

In me, si nescis, Borea, non aequora, saevis.
Quid faceres, esset ni tibi notus amor?
Tam gelidus cum sis, non te tamen, improbe, quondam
Ignibus Actaeis incaluisse neges.
Gaudia rapturo si quis tibi laudare vellet:
Aërios aditus, quo paterere modo?
Parce, precor: facilemque move moderatius auram.
Imperet Hippotades sic tibi triste nihil.

40. *Quid faceres.* Eadem est sententia in Tibulli L. I. El. 10. vs. 39.

Esset ni tibi notus amor. V. not. ad vs. 343. Ep. XVI.

41. *Tam gelidus.* Lectio Cod. Trev., inquit Loers d. spec. *Nam gelidus* optime sententias conjungit; sed majorem tamen vim et vetustatis auctoritatem h bet vulgata *Tam gelidus.*

Improbe. Improbum generatim dici eum, qui quacunque in re praescriptos fines ac modum migraverit, supra vidimus.

42. *Ignibus Actaeis.* Atticae Orithyiae amore. V. not. Schraderi laud., ut et not. ad vs. 343. Ep. XVI.

43. *Gaudia rapturo.* Cum Orithyiam rapere destinasti. Hubert., quocum facit Drakenb., testes citans vs. 109. Ep. XV. vs. 41. Ep. XIX. eandemque in locutione *gaudia rapturo* figuram esse adfirmans, ac, cum *amor* ponitur pro *re amata.* Oud. adsentit Heinsio *gaudia*, ut saepius, significare *rem veneream* censenti. Mihi quidem priorum Virorum interpretatio placet, ut loci ex Drakenb. explicatione hic sit sensus: „Quo animo illud laturus fuisses, o Borea, si quis tibi clausisset coelum, ne per illud volare posses, quo tempore Orithyiam, tua gaudia, rapturus eras."

45. *Parce, precor.* V. not. ad vs. 79. Ep. XIII.

Facilem. V. ad vs. 93. Ep. XVI.

46. *Sic* in votis et imprecationibus usurpari, vid. ad vs. 135. Ep. III.

Hippotades. Aeolus, Nepos Hippotae Trojani ex Egesta ejus filia in Siciliam delata. Alii eum Jovis, alii Neptuni filium dicunt. V. Serv. ad Virg. Aen. L. I. vs. 52. Drakenb.

Triste. Quod grave tibi, ac molestum est. Hubert. *Triste illud* significat carcerem, quo vovet, ne includatur, si moderatius flet. Oud. Aeoli regia et ventorum carcer prope Siciliam, in Aeoliis insulis conlocari solet.

Vana peto, precibusque meis obmurmurat ipse:
Quasque quatit, nulla parte coërcet aquas.
Nunc daret audaces utinam mihi Daedalus alas!
Icarium quamvis hic prope litus adest.
Quidquid erit, patiar: liceat modo corpus in auras
Tollere, quod dubia saepe pependit aqua.
Interea, dum cuncta negant ventique fretumque,
Mente agito furti tempora prima mei.
Nox erat incipiens (namque est meminisse voluptas)
Cum foribus patriis egrediebar amans.

49. *Vana peto, precibusque.* *Et* declarantis est, atque antecedentium rationem reddentis. Valet *et quidem, nam.*

Obmurmurat ipse. Contra murmurat *ultro*, non lacessitus.

48. *Quasque quatit*, alis scil. commovet, *nulla parte*, omnino non, *coercet*, non compescit, non sedat.

49, 50. *Nunc daret* etc. De Daedalo et Icaro quae narrantur notissima sunt. V. Ovid. A. A. L. II. vs. 21. sq. Metam. L. VIII. vs. 183. sq. Hygin. fab. 40. Drakenb.

51. *Quidquid erit.* V. ad vs. 177. Ep. XV.

52. *Dubia — pependit aqua*, quae nunc deprimebat, nunc tollebat corpus meum, ut fit in natatu. Oud. Cf. vs. 150. Ep. XIX.

53. *Dum cuncta negant ventique fretumque.* Cf. quae notata sunt ad vs. 131. Ep. XIII.

54. *Mente agito.* Cogito, reminiscor. Cic. de Senect. c. 12. Justin. L. VIII. c. 3. §. 12. *Secum agitare* vel etiam simpliciter *agitare*, tum Cicero, tum alii frequenter dixerunt. Drakenb.

Furti tempora. V. not. ad vs. 43. Ep. VI.

55. *Nox erat incipiens.* Graeca loquendi ratio, de qua v. Vechn. Op. l. Prima significatur noctis pars. Oud. ad Apuleji Met. L. III. pag. 220. a Ruhnk. laud.

Meminisse voluptas. Perversum fert hominis ingenium, ut furtiva licitis magis etiam placeant. Generatim praeteritorum laborum jucunda memoria est.

56. *Egrediebar amans.* Participium nobis animum aperit, quo egrediebatur Leander. Observat Drakenb. pentametrum participio finiri, quod inprobat Serv. ad Virgil. Aen. L. III. vs. 300. Refelli autem Servium Broukhusio ad Tibull. L. III. El. 4. vs. 46.

Nec mora, deposito pariter cum veste timore,
  Jactabam liquido brachia lenta mari.
Luna fere tremulum praebebat lumen euunti,
  Ut comes in nostras officiosa vias.
Hanc ego suspiciens, Faveas, Dea candida, dixi;
  Et subeant animo Latmia saxa tuo.
Non sinat Endymion te pectoris esse severi.
  Flecte, precor, vultus ad mea furta tuos.
Tu, Dea, mortalem coelo delapsa petebas.
  Vera loqui liceat: quam sequor, ipsa Dea est.

57. *Nec mora.* Amoris enim ardor omnis morae inpatientem reddebat Leandrum.

Deposito pariter cum veste timore. Musaeus, ut observat Schrader ad vs. 252, Leandrum suum fingit *veste capiti adstricta* aequor natare; Ovidius autem vestes ipsum *in litore relinquere.*

58. *Jactabam* etc. Cf. supra vs. 23 et 96. Ep. XIX. vs. 48. Drakenb.

Brachia lenta. Mollia. Hubert. Flexibilia, ductilia. Oud.

59. *Tremulum.* Ob motum aquarum. Hubert. In quas immissi radii lunae tremulo splendore repercutiebantur. V. Virg. Aen. L. VIII. vs. 22. Drakenb. et Oud.

60. *In nostras officiosa vias.* Cf. vs. 114. Ep. X. *Officiosus* pp. dicitur, qui magnos vel divites viros honoris causa comitatur, deducit, et alia officia praestat ad speciem et cultum pertinentia. Horat. L. I. Ep. 7. vs. 8. Ruhnk. Cf. Sat. 6. L. II. vs. 20. sq.

61. *Hanc ego suspiciens, faveas, Dea candida, dixi.* V. Schrader. ad Musaei vs. 250.

62. *Et subeant animo* etc. V. not. ad vs. 90. Ep. XV. et Valcken. ad Euripidis Phoeniss. p. 464. *b.* van Lennep in Animadv. in h. vs.

63. *Pectoris esse severi.* V. not. ad vs. 82. Ep. XV.

64. *Flecte — vultus* etc. Cf. Ovid. Metam. L. X. vs. 235. *Flectere vultus* est *respicere*, quod notat *juvare, misericordia affici*, ut Ep. I. vs. 113. Eodem sensu h. l. accipienda est locutio, *flecte vultus ad mea furta:* Leander enim Lunam precatur, ut amores suos furtivos *adjuvare* velit. Drakenb.

65. *Tu, Dea, mortalem* etc. Antepouit amorem suum amori Lunae. Hubert.

66. *Sequor.* V. not. ad vs. 10. Ep. VII. Ambitiose appeto. Drakenb.

Neu referam mores coelesti pectore dignos;
Forma nisi in veras non cadit illa Deas.
A Veneris facie non est prior ulla, tuaque.
Neve meis credas vocibus, ipsa vides.
Quanto, cum fulges radiis argentea puris,
Concedunt flammis sidera cuncta tuis;

Ipsa Dea est. Non autem mortalis. Hubert.

67. *Neu* s. Neve plerumque notat *vel ne;* verum h. l. ponitur pro simplici *ne* V. Sallust. in Jug. c. 14. §. 24. Drakenb. *Neu referam* etc. i. e. ut taceam mores, quos haec mea puella habet Divinos. Hubert.

68. *Forma nisi in veras* (germanas) *non cadit* illa (emphatice, *tanta*) *Deas.* Talem formam (pulcritudinem) non sortiuntur, nec accipiunt, nisi Deae. Talis forma non convenit nisi Deabus. Ovid. ex Ponto L. I. Ep. 6. vs. 5. Oud.

69. *A Veneris — tuaque.* Post pulcritudinem Veneris et tuam non est, quae antecedat eam. Hubert. *A* interdum descensum signat, inquit Tursell. in v., a nobilioribus rebus ad ignobiliores et declarari potest per *post.*

Prior. Primus non tantum de ordine, ut in vs. 6. Ep. XVII. sed et de *dignitate* dici patet ex vs. 39. Ep. IV. et h. vs. Drakenb.

70. *Neve meis credas vocibus, ipsa vides.* De *Neve.* v. not. supra ad vs. 67. Non necesse est, ut *verbis* meis fidem habeas; tuis ipsa oculis id ita hoc ipso temporis puncto perspicis, ut nullum supersit dubium. Ita explico Indicativi praesentis *vides* significationem. De Indicativi modi usu et significatione v. Periz. ad Sanct. Minerv. L. I. c. 13. no. 1. pag. 89, 90.

71 — 74. *Quanto* etc. Sensus est, inquit Hubert.: quanto es splendentior omnibus aliis stellis, cum tu nitidissima (*radiis argentea puris*) fulges in coelo: tanto illa sua pulcritudine superat omnes alias puellas.

72. *Concedunt flammis — tuis,* ut inferiores superioribus via *cedere* solent. Est, inquit Drakenb., emphasis in composito *concedere*, ut omnes stellae *simul* cedere dicantur. Elegans comparatio et crebra, quam, ut observat Schrader. ad Musaei vs. 75. pag. 172, ex h. Ovidii loco forte desumsit auctor. Plurimas huic similes comparationes a Schradero l. ibi videas.

Tanto formosis formosior omnibus illa est:
Si dubitas, caecum, Cynthia, lumen habes.
Haec ego, vel certe non his diversa, locutus
Per mihi cedentes nocte ferebar aquas.
Unda repercussae radiabat imagine Lunae,
Et nitor in tacita nocte diurnus erat:
Nullaque vox nostras, nullum veniebat, ad aures,
Praeter dimotae corpore, murmur, aquae.
Alcyones solae, memores Ceycis amati,
Nescio quid visae sunt mihi dulce queri.

74. *Cynthia* a Cyntho, monte Deli, in qua insula uno partu hanc cum Apolline edidit Latona, ita dictum esse Dianam, omnes Mythographi narrant.

Caecum — lumen. Caecos oculos. Activo sensu poni adjectivum ipsa res loquitur.

76. *Per mihi cedentes.* Eleganter et passim aquae et unda dicuntur *cedere* natanti et navi, a quibus impellitur et dimovetur, ut ait vs. 80. et Ep. XIX. vs. 48. Ceterum pro voce *nocte*, quae statim sequitur et, hic plane otiosa est, rectius foret *sponte* seu *facile*, *nec invitas* aquas ac *molles*, ut ait vs. 88. Oud. Et Francius legebat *sponte*, ut opponantur *adversis aquis* vs. 36. et *invitis* vs. 194. Burm. Non male. Ruhnk.

77. *Lunae repercussae* etc. Elegans est descriptio speculi, in quo apparet imago corporis ejus, quod obstat illi adversum vi repercussionis, quando penetrare et transire nequit. V. Metam. L. II. vs. 110. L. III. vs. 434. L. IV. vs. 782. Virg. Aen. L. VIII. vs. 23. et Serv. ad h. l. Oud.

Radiabat est radios emittebat. Cf. vs. 105. Ep. VIII. Sil. Ital. L. III. vs. 629.

78. *Et nitor* etc. Lux, quae solet esse diei, erat in nocte. Nox erat clara, sicuti dies. Hubert. *Tacita* unde nox dicitur, patet ex Virg. Aen. L. IV. vs. 525. seq.

80. *Praeter dimotae* etc. V. supra vs. 76. et not. ad h. vs.

81. *Alcyones solae.* V. Ovid. Metam. L. VI. fab. 10. Seneca in Agam. vs. 674. Ed. Farnab. pag. 167. Burm. ad Lotich. L. III. El. 7. vs. Has solas volucres, perturbato mari querelam effundentes, audisse dicit. Animadvertendum autem est, pro nomine *mulieris* declinari *Alcyone*, *Alcyones*; pro *volucre* vero, *Alcyon*, *Alcyonis*, ut hic locus ostendit. Hubert.

Jamque fatigatis humero sub utroque lacertis,
Fortiter in summas erigor altus aquas.
Ut procul adspexi lumen: Meus ignis in illo est;
Illa meum, dixi, litora numen habent.
Et subito lassis vires rediere lacertis:
Visaque, quam fuerat, mollior unda mihi.
Frigora ne possim gelidi sentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, praestat amor.

82. *Dulce queri.* V. not. ad vs. 8. Ep. X. Loers. d. spec laudat, praeter Epist. XV. vs. 152, Am. L. III. El. 1. vs. 4.

83. *Humero sub utroque lacertis.* Lacerti vocabantur illa pars corporis, quae ab humero pertinet ad cubitum. Certe ex h. l. constat, lacertum esse sub humeris, et contra brachia subjecta esse lacertis tradit Ovid. Metam L. XIV. vs. 304. ad q. l. v. Burm. Drakenb.

84. *Fortiter — aquas.* « Solent natantes, inquit Hubert., defatigatis brachiis, sustentare corpus aliquantulum super undis, quod se fecisse dicit." Utrum hic sit verborum *fortiter* etc. sensus, equidem valde dubito. Si recte video, hoc sibi vult hicce vs. à Lacertos sentiens defatigatos, omnes quasi colligo corporis vires, quibus me in summos fluctus elevem, cujus extremi conatus felicissimus hic fuit exitus, ut, simul ac lumen procul adspexerim, lassis lacertis vires redirent vs. 89.

Altus. Vid. vs. 20. Ep. VII. et not. ad h. vs.

85. *Ut procul adspexi lumen.* V. supra vs. 31.

Meus ignis. V. Ep. XVI. vs. 102.

86. *Numen.* Quamvis probe sciam Ovidium alio in loco etiam fratres eodem modo *numina* dicere, lintea *Deos*; ut sit, interpretante Drakenb. ad h. vs. 68, « quae mihi Numinis instar sunt?" et Oud. « quam pro *Dea* habeo." licet Burmannus scribat « rectius a *Numine* vires dici redire" tamen mihi (quamvis e minimis) adridet *lumen*, quae est lect. G. omnium et Edit. Basil. 1549, et Heusingero placuit, quod *lumen*, *lux*, φως notae sint amantium blanditiae, et *Numen* non faciat ad illa, quae praecedunt, *Ut procul* etc.

88. *Mollior.* V. not. ad vs. 76. h. Ep. *Visaque mollior unda mihi.* i. e. labor natandi mihi visus facilior. Ruhnk.

89. *Frigora — gelidi.* Notari possunt, inquit Schrader. ad Musaei vs. 235, voces uno loco, quamvis eamdem habeant significationem, a Poëta posi-

Quo magis accedo, propioraque litora fiunt,
Quoque minus restat, plus libet ire mihi.
Cum vero possum cerni quoque, protinus addis
Spectatrix animos, ut valeamque facis.
Nunc etiam nando dominae placuisse laboro,
Atque oculis jacto brachia nostra tuis.

tae; quod probum censeo, et auctoritate bonorum scriptorum, non raro voces ejusdem vel adfinis admodum significatus sociare solitorum, quidquid alii dissentiant, posse muniri. Quas auctoritates ibid. leg. V. van Lennep ad h. vs.

90. *In cupido pectore.* Cf. vs. 129. Ep. V. *Cupidus*, inquit Drakenb.; juvenis dicitur, qui amore puellae flagrat. Cf. Tibull. L. I. El. 9. vs. 56. V. Broukh. ad Tibull. L. I. El. 10. vs. 58.

91. *Propioraque* etc. Leander natando ad litora accedebat, sed litora pp. non fiebant propiora. Saepe poëtae h. m. loquuntur; tanquam, cum terram, a qua recedimus, *recedere* dicunt; urbem, quam transimus, *transire*. Virg. Aen. L. III. vs. 72. ibique Serv. Ovid. Metam. L. XI. vs. 466. Val. Flacc. L. II. vs. 431. Gron. ad Sen. Medeam vs. 164. et Drakenb. ad Sil. Ital. L. III. vs. 157. Ruhnk.

92. *Quoque minus restat* viae, ad perveniendum ad littus, *plus libet ire mihi*, eo plus animi est mihi et voluntatis. Hubert.

93. *Protinus addis spectatrix animos.* En mutui Heronis in Leandrum amoris signum in v. *protinus*, *spectatrix*; sive tu, quae spectas me. Hora, ergo solita in litore stabat Hero illud temporis punctum cupide exspectans, quo discerni in undis posset Leander. Cf. infra vs. 97.

Animos addis. Me animosiorem facis et alacriorem.

94. *Ut valeamque facis.* Cf. supra vs. 87.

95. *Nunc etiam nando* i. e. hoc temporis puncto, quo alacritas et vires mihi redierunt, non tantum omni virium intentione litori adnatare conor, sed et meam natandi artem tibi probare libet, qua placeam. Tantum roboris atque animi dominae sive puellae amatae adspectus natatori dederat, ut ad ostentationem iis abuti posset. Cf. vs. 118. h. Ep. *Nunc etiam*, inquiunt Oud. et Burm., ait Ovid., non *tunc etiam*, quia tempus *praeteritum* sibi fingit *praesens*. Consentit Ruhnk.

96. *Oculis jacto — tuis* i. e. in voluptatem oculorum tuorum (est enim dativus *oculis* ut ob

Te tua vix prohibet nutrix descendere in altum:
Hoc quoque enim vidi; nec mihi verba dabas.
Nec tamen effecit, quamvis retinebat euntem,
Ne fieret prima pes tuus udus aqua.
Excipis amplexu, feliciaque oscula jungis:
Oscula (Di magni!) trans mare digna peti.
Deque tuis demtos humeris mihi tradis amictus:
Et madidam siccas aequoris imbre comam.

servat Oud.) Cum arte et ostentatione, inquit Hubert., (iterato) moveo et ostendo. Vid. vs. 175. Ep. XII.

97. *Te tua vix prohibet* etc. Schrader ad Musaei vs. 260. „Vs. 256, inquit, puellam e turre marito lucernam ostendentem inducit Poëta, et descensu ejus non memorato, hoc vs. ipsum ad suam turrim deduxisse. Nimis certe concise. Elegantius, si quid video, Ovidius Ep. XVIII. vs. 97. sq."

Nutrix. Nutrices apud antiquos solebant comitari puellas nobiliores, quas olim aluerant, licet deinde ad aetatem maturam pervenissent, earumque institutioni praeërant ac pudicitiam custodiebant. V. Ep. I. vs. 103. Nihilominus tamen eaedem illae nutrices illiciti amoris earum saepe consciae et adjutrices erant; ut non tantum constat ex hoc exemplo Herûs, verum etiam exemplo nutricis, quam habuit Scylla, Nisum amans apud Virg. in Cyri vs. 220. sq. et quam habuit Myrrha, incesto amore patris Cinyrae flagrans apud Ovid. Metam. L. X. vs. 382. sq. Drakenb.

98. *Hoc quoque — vidi.* Quod voluisti procurrere in altum, sive in aequor. Hubert.

Verba dabas. Vid. vs. 237. Ep. XVI. Van Lennep ad h. vs.

100. *Prima — aqua* i. e. aquae magis vicina litori. Hubert. V. ad vs. 127, 128. Ep. II.

101. *Excipis amplexu*, cum sum in litore. Hubert.

Felicia oscula. Felicitatem nostram testantia.

Jungis. V. not. ad vs. 94. Ep. II.

102. *Di magni.* Exclamatio est admirantis. Oud.

Trans mare digna peti. V. Vechn. Op. I. L. I. c. 21. pag. 194. a Drakenb. cit.

103. *Deque tuis demtos* etc. V. Schrader ad Musaei vs. 266. pag. 338. Pag. vero 339 operarum vitio legitur Ep. XVIII. vs. 61. pro Ep. XIX, et Ep. XIX. vs. 39, pro 31.

104. *Aequoris imbre. Imber* dicitur de quovis copiose humore. Ovid. ex Ponto L. IV. Ep. I. vs. 30. Ruhnk.

Cetera nox, et nos, et turris conscia novit,
Quodque mihi lumen per vada monstrat iter.
Nec magis illius numerari gaudia noctis,
Hellespontiaci quam maris alga potest.
Quo brevius spatium nobis ad furta dabatur,
Hoc magis est cautum, ne foret illud iners.
Jamque, fugatura Tithoni conjuge noctem,
Praevius Aurorae Lucifer ortus erat.
Oscula congerimus properata, sine ordine, raptim,
Et quaerimur parvas noctibus esse moras.

105. *Cetera* etc. Honeste subticuit rem pudendam. Hubert. *Turris conscia.* V. not. ad vs. 52. Ep. IV.

108. *Hellespontiaci — maris alga.* V. ad Ep. VII. vs. 172.

110. *Iners.* V. ad vs. 158. Ep. XVI.

111. *Fugatura Tithoni conjuge noctem* etc. Virg. Aen. L. III. vs. 584. sq.

Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

H. Kornelisz. Poot. Uchtentstont. pag. 177. D. I.

Aurore, die het al verblyt
Behalven ons, wat wrevle nyt
Prest u zoo vroeg te wagen?
Wilt gy de snelle morgenstar
Te rugge ryden met uw kar
Om lieven dus te plagen?
. . . . . .
Ik wed, gaf 's ouden Thitons koets
U wat min leets, en wat meer zoets,
Gy zoudt wel later klimmen. enz.

112. *Praevius Aurorae Lucifer.* Stella Veneri sacra, quae mane Solem praegrediens, ejusque adventum quasi annuncians vocabatur *Lucifer*, eumdem autem vesperi subsequens dicebatur Hesperus. Drakenb.

113. *Oscula congerimus.* V. ad vs. 224. Ep. XVII.

Properata, propere, celeriter. Eodem modo cecinit Ovid. Fast. L. II. vs. 715.

Sine ordine i. e. non exspectata vicissitudine dandi et accipiendi. Oud.

Raptim, quasi raperemus oscula; ne Aurora forte interveniat. V. Horat. L. III. Od. 6. vs. 27. ab Oud. laud. Id. Ep. L. II. Ep. 2. vs. 198. Ceterum ipsa oratio copula carens celeritatem prodit. V. Longin. Op. l. sect. 21.

114. *Et quaerimur parvas* etc. Cf. init. carminis ex Eroticis nostri Poot supra laud. et Ovid. Am. L. I. El. 13. ab Oud. cit. *Noctibus.* Latini, inquit Ruhnk., Graecorum imitatione dicunt

Atque ita cunctatus, monitu nutricis amaro
Frigida deserta litora turre peto.
Digredimur flentes: repetoque ego Virginis aequor,
Respiciens dominam, dum licet, usque meam.
Si qua fides vero est: veniens huc, esse natator,
Cum redeo, videor naufragus esse mihi.
Hoc quoque si credas; ad te via prona videtur:
A te cum redeo, clivus inertis aquae.

pro *nocti*. Hor. L. I. Od. 25. vs. 7. Mihi vero non sine causa *plurali* numero usus videtur Ovid., quo noctis *longitudinem* significaret. « Querimur noctis spatium, *quamvis longum*, parvum esse." Ut felices solent. Infelices contra. V. Ep. I. vs. 8.

115. *Monitu nutricis amaro*, ad triste nutricis monitum, quod dies appropinquare incipiat, quod monitum necessarium erat, ne luce deprehenderetur furtum. Oud. V. not. ad vs. 169. Ep. XII.

117. *Virginis aequor*. V. supra vs. 108. Mare dictum ab Helle puella, quae in mare delapsa ei nomen dedit. V. Argum. Ep. VI. *Hypsipyles Iasoni*. §. 4.

118. *Respiciens dominam*. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XVII. vs. 214. « Auctor est Livius L. XXX. c. 20. Hannibalem Italia decedentem *respexisse saepius ejus litora*, quod notavit, ut indicium faceret, quam invitus hinc abierit. Qui enim respicit, indicare vult, se non *sponte* neque *voluntate sua* relinquere id, *ad quod* vultum convertit." V. not. ad vs. 113. Ep. I.

Dum licet, usque. Assidue, dum possum. Hubert.

119. *Si qua fides vero est* i. e. si veritati, quam dico, creditur. Hubert. V. not. ad vs. 278. Ep. XVI. Oud. ad h. vs. « sensus est, inquit; si qua fides mihi, verum quidem dicenti, sed cui multi fidem non habent." Ita et l. interpretatus est Burm. V. van Lennep. ad h. vs. Ait enim idem, quod Paris Ep. XVI. vs. 60. *Vera loquar, veri vix habitura fidem*.

Veniens huc, esse natator i. e. videor *optime scire* natare, propter affectum amoris, qui me adjuvat. Ovid. de Thisbe « *Audacem faciebat amor*." Hubert.

120. *Cum redeo* etc. Cum a te discedo, videor submergi fluctibus et periclitari. Hubert. Ut is, qui nullam habet natandi peritiam. Anton., quia jam invitus natabam. Oud.

121. *Hoc quoque si credas*.

Invitus repeto patriam: quis credere possit?
Invitus certe nunc moror urbe mea.
Hei mihi! cur animo juncti, secernimur undis?
Unaque mens, tellus non habet una duos?
Vel tua me Sestos, vel te mea sumat Abydos.
Tam tua terra mihi, quam tibi nostra placet.
Cur ego confundor, quoties confunditur aequor?
Cur mihi causa levis, ventus, obesse potest?

Cf. vs. 119. h. Ep.

Via prona. Facilis et quasi pendens; nam facilius descendimus quam adscendimus. Hubert.

122. *Clivus inertis aquae.* Ascensus, monticulus aquae *immobilis;* quia non ita facile natur; sicut aqua *mobilis* (dimotu facilis. V. h. Ep. vs. 76, 88.) Hubert.

123. *Quis credere possit?* q. d. nullus, nisi qui sciat, quanta sit vis amoris. Naturaliter enim omnes libenter redeunt in patriam. Ovid. *Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos ducit.* Hubert.

125. *Cur animo juncti. Animis*, inquit Loers in d. spec., quod est in multis Codd. (et in Edit. Basileens. a. 1549); etiam Trevirensi, certe multo est concinnius: Cur, *animis* cum juncti simus, *undis* secernimur?

126. *Unaque mens* etc. Sensus ita debet suppleri: « Cur una mens habet duos, et cur una tellus non habet duos." Genus loquendi est compendiosum, quale fere supra habuimus Ep. XIII. vs. 132. et est Ep. XIX. vs. 115. Ceterum *una mens habet duos* hic per hypallagen ponitur pro *duo habent unam mentem;* qualis erat illa locutio Ep. XIV. vs. 108. Drakenb.

127. *Sestos — Abydos.* V. Argum. §. 1. et Pomponius Mela de situ Orbis L. I. c. 19. a Drakenb. laud., ubi nummus exhibetur, in quo Hero Leandrum per Hellespontum natantem ex turri prospicit, cum hac inscriptione ἥρω Λεανδρος Ἀβυδηνων.

Sumat. Habitandum illic concedat, et quasi in gremium suum recipiat. Ut Fast. L. VI. vs. 544. Oud.

129. *Cur ego confundor* etc. V. not. ad vs. 147. Ep. XVII. Quod non fieret, inquit Hubert., si essemus in eadem terra.

130. *Causa levis, ventus* i. e. ventus, qui est parva causa, *cur potest obesse*, nocere, impediendo natationem meam:

Jam nostros curvi norunt delphines amores:
Ignotum nec me piscibus esse reor.
Jam patet attritus solitarum limes aquarum,
Non aliter, multa quam via pressa rota.
Quod mihi non esset, nisi sic iterare, querebar: 135
At nunc per ventos hoc quoque deesse querer.
Fluctibus immodicis Athamantidos aequora canent,
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare, cum primum de Virgine nomina mersa,
Quae tenet, est nactum, tale fuisse puto. 140

quod facere non posset, si essemus simul. Hubert.

131. *Jam nostros curvi* etc. Delphines pisces sunt repando dorso, homini amicum animal, de quorum natura vid. Plinius et Solinus. His igitur, dicit Leander, se jam esse notum propter frequentem natationem suam. Hubert. V. Herod. L. I. c. 23, 24. Van Lennep ad h. et sq. vs.

132. *Ignotum nec me piscibus esse reor.* Piscibus scil. aliis, qui etiam non adeo familiares sunt hominibus. Hubert. De verbo *reor* vid. not. ad Ep. XVII. vs. 148, 149.

133, 134. *Jam patet attritus* etc. Hyperbole est, inquit Hubert.; hoc enim fieri non potest: sed, ut amator, dicit, se ita crebro ac saepe natasse, ut appareat in aquis quasi limes quidam, quem suo corpore fecit, tanquam orbita rotae, vel via, per quam multae rotae incedunt. Cf. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XVI. vs. 338. *Attritus* exponit Id. *frequentatus.* Vid. van Lennep ad vs. 131.

135. *Quod mihi* etc. Ego ante querebar, quod non possem, non liceret mihi ad te *iterare* i. e. venire, *nisi sic*, scil. natando, (vs. 136) sed nunc queror *hoc*, scil. *iterare natando*, deësse mihi. Hubert. Cf. van Lennep ad vs. 131. sq. Vulgatam lect. non rejiciendam esse putat Drakenb.

137. *Fluctibus immodicis* (ingentibus) *Athamantidos aequora canent* i. e. fretum Hellespontiacum a fluctuum spumis canet, sive, ut Anton., procellis assiduis spuma operitur. Cf. Ep. V. vs. 54. Helle enim, unde freto nomen, *Athamantis* dicta est, quod Athamantis, Aeoli filii, ex Nephale uxore filia erat. V. Hygin. fab. I. et Apollod. Bibl. L. I. c. 9.

138. *Portu — suo.* Ubi ut plurimum solet esse tranquillitas. Quanto ergo minus tuti erunt homines in medio ipsius? (in medio mari). Hubert.

Et satis amissa locus hic infamis ab Helle est:
Utque mihi parcat, crimine nomen habet.
Invideo Phryxo, quem per freta tristia tutum
Aurea lanigero vellere vexit ovis.
Nec tamen officium pecoris navisve requiro:
Dummodo, quas findam corpore, dentur aquae.
Arte egeo nulla: fiat modo copia nandi,
Idem, navigium, navita, vector, ero.
Nec sequar aut Helicen, aut, qua Tyros utitur, Arcton:
Publica non curat sidera noster amor.

139. *De Virgine mersa.* V. supra vs. 117.

142. *Utque* etc. Quamvis mihi parcat, infamia tamen notatus est, crimine in Hellen commisso. Vel etiam, inquit Drakenb., *nomen* hic potest notare *appellationem*, ut indicet Leander, mare hoc ab amissa Helle appellari Hellespontum, adeoque opus non esse, ut *nominis* accipiendi causa sese undis mergat.

143. *Invideo Phryxo.* Verbum Leandri vehementissimum indicat studium habendi id, quo usus erat Phryxus. V. Argum. Ep. VI. §. 4.

Freta tristia. V. Ep. XVIII. vs. 2. Ep. XVII. vs. 147.

145. *Nec tamen officium pecoris* (arietis) *navisque requiro.* Ut maris, ita et in amantium animis adfectuum est reciprocatio.

146. *Quas findam corpore.* Natationis periphrasis. Anton.

147. *Arte egeo nulla*, transeundi, vel nave vel alio modo. Hubert. fiat modo facultas natandi. Vid. van Lennep in Animadv. ad h. l.

148. *Idem* etc. V. Schrader ad Musaei vs. 255. et auct. ibi cit. inter quos et Xenophon Ephes. L. II. p. 36. Edit. Peerlkampii L. I. p. 18. vs. 6, cujus Viri Cl. et aliorum not. ad h. l. vid.

Vector. Passive accipitur, i. e. qui vehar. Hubert.

149. *Nec sequar aut Helicen* etc. Cf. Musaeus vs. 213. sq. Schrader ad h. vs. Dicit, inquit Hubert., se non navigaturum ad observationem siderum, sicuti alii solent; at sui amoris lumen tantummodo spectaturum.

Helicen aut, qua Tyros utitur, Arcton. Intelligitur duplex sidus coeleste, Arctos sive Ursa major et minor, quarum major vocabatur *Helice* et observabatur a Graecis, ut ad ejus cursum navigationem in-

Andromeden alius spectet, claramve Coronam,
Quaeque micat gelido Parrhasis Ursa polo.
At mihi, quod Perseus et cum Jove Liber amarunt,
Indicium dubiae non placet esse viae.
Est aliud lumen, multo mihi certius istis:
Non erit in tenebris quo duce noster amor.
Hoc ego dum spectem, Colchos, et in ultima Ponti,
Quaque viam fecit Thessala pinus, eam:

stituerent. Minor vocabatur *Cynosura*, ad cujus cursum instituebatur navigatio Phoenicum vel Tyriorum. Ovid. Fast. L. III. vs. 107. De utraque ursa agit Hygin. in Poët. Astron. L. II. c. 1. Drakenb. Ovid. Fast. L. IV. El. 3. vs. 1. sq. Manil. Astron. L. I. vs. 294. Oud.

150. *Publica sidera.* Quae omnes aspicere possunt. Hubert.

151. *Andromeden.* Hygin. Poet. Astron. L. III. c. 10.

Coronam. Vid. Id. L. III. c. 4.

152. *Parrhasis Ursa.* Fingitur enim in hanc mutata esse Callisto, Lycaonis Arcadis filia, et cum filio Arcade, itidem urso facto, in coelum esse sublata, et *Helice* vocata. Arcadiae autem regio est.

Parrhasia; hinc *Parrhasis Helice.* V. Ovid. Fast. L. IV. vs. 579. Trist. L. I. El. 3. vs. 48. Lucan. L. I. vs. 137. Ovid. Metam. L. II. fab. 5 et 6. Oud.

153. *Quod Perseus et cum Jove Liber amárunt.* Perseus enim amavit Andromedam, Jupiter Callistonem, Bacchus Ariadnen (de qua V. Argum. ad Ep. X. §. 7.) Oud. Notandum, inquit. Ruhnk., *quod* h. l. pro *quam* poni: saepe enim et poëtae et prosae orationis scriptores *neutro* genere utuntur, ubi *viri*, vel *mulieres* intelliguntur. V. Burm. ad Ovid. Fast. L. II. vs. 415. et L. II. Ep. ex Ponto Ep. VIII. vs. 46. ad Luc. L. V. vs. 729.

154. *Dubiae.* V. ad vs. 21. Ep. XVI.

155. *Est aliud lumen, multo mihi certius* i. e. me non fallens cursu, ut solent aliquando sidera fallere nautas. Broukh. ad Tibull. L. I. El. 10. vs. 10. Oud. Non de accensa in turre face, sed de Hero placet intelligi. Hubert. Cf. supra not. ad vs. 86.

157. *Colchos, et in ultima Ponti — eam* i. e. non dubitarem ire in extremas aut periculosissimas partes orbis. Hubert. Cum, inquit Loers d. spec., etiam nomina locorum, ubi per *quo* quaestio sit, in accusativo sine praepositione poni possint, et, praecipue a poë-

Et juvenem possim superare Palaemona nando,
Miraque quem subito reddidit herba Deum.
Saepe per adsiduos languent mihi brachia motus,
Vixque per immensas fessa trahuntur aquas.
His ego cum dixi, Pretium non vile laboris,
Jam dominae vobis colla tenenda dabo:
Protinus illa valent, atque ad sua praemia tendunt;
Ut celer Eleo carcere missus equus.

tis saepe ponantur. Ovid. Metam. L. III. vs. 462. Virg. Ecl. I. vs. 66. vulgata *atque ultima* ab Heinsio mutanda non erant in *et in ultima Ponti*, praesertim cum in h. v. nomen loci cum nomine urbis conjunctum sit. Cod. Trev. *atque*.

158. *Quaque viam fecit Thessala pinus*. q. d. per Scyllam et Charybdim, per Symplegadas. Hubert. V. Ep. XII. vs. 9. 121. sq. et Argum. Ep. VI.

159. *Juvenem — Palaemona*. Palaemon, quem et Melicertam dicunt, Inûs ex Athamante filius, cum quo mater e Lechaeo promontorio, Bacchi furore concitata, in mare se praecipitavit. Hubert. Ambo vero Bacchi beneficio in Deos marinos relati sunt. V. Hygin. fab. II. Ovid. Metam. L. IV. fab. 14.

160. *Miraque quam* etc. Glaucum Anthedonis filium significat; qui cum in scopulis Aegarum, quae sunt ad Euboeam, pisces, quos in ripam projiciebat, tecta herba, in mare resilientes vidisset, et ipse eamdem tractavit, atque in mare transiliens Deus factus est. Anton. V. Ovid. Metam. L. XIII. fab. 9. Fast. L. VI. vs. 543. Van Lennep in Animadv.

162. *Per immensas aquas*. Quales languenti et fesso videbantur.

163. *His ego cum dixi*. Scil. brachiis. In natura humani generis positum esse, ut tam in secundis quam in adversis rebus omnia circum se animata fingant, eaque adloquantur; saepius jam vidimus.

165. *Ad sua praemia*, ad te, quae es praemia ipsorum. Hubert.

166. *Ut celer Eleo* etc. Curruli cursu certaturus Elide in sacro certamine Olympico quinquennali; hinc *Eleas palmas quadrigae* Propert. L. III. El. 7. vs. 17. L. I. El. 8. vs. 36. et plane ut Tibull. L. I. El. 4. vs. 28. Oud. *Carcer* et *carceres* locum dici, unde emittuntur equi, probat Ciofanus ad h. vs. Est autem, observante Drakenb., verbum *mittere* in ludis Olympiacis proprium, cum is, qui ludis praeërat, dato signo, fa-

Ipse meos igitur servo, quibus uror, amores:
Teque, magis coelo digna puella, sequor.
Digna quidem coelo, sed adhuc tellure morare:
Aut dic, ad Superos et mihi qua sit iter.
Hic es, et exiguum misero contingis amanti:
Cumque mea fiunt turbida mente freta.
Quid mihi, quod lato non separor aequore, prodest?
Num minus hoc nobis tam brevis obstat aqua?
An malim, dubito, toto procul orbe remotus
Cum domina longe spem quoque habere mea.

cultatem concedit. Ovid. Am. L. III. El. 2. vs. 56. Ad hos ludos non nisi praestantissimi et celerrimi equi admittebantur, unde ducta est Ovidiana comparatio. V. Sil. Ital. L. XV. vs. 210. sq.

167. *Servo.* Observo, ut nimirum cursum eo dirigant, quemadmodum nautae observabant sidera coeli. Drakenb. et Oud.

168. *Magis coelo digna puella*, quam Andromeda, Ariadne, aliae.

Sequor tanquam sidera nautae.

169. *Digna quidem coelo, sed adhuc tellure morare.* In posteriori versus parte se reprehendit amans, ne priori omen habeant; quod tamen ipsum mox vs. seq. non displicet, modo dicat Hero, quae via et Leandrum in coelum ducat, ubi cum Herone in perpetuum conjunctus degat.

171. *Hic es.* In terra moraris.

Exiguum. Adverbialiter, exiguo tempore, *contingis amanti* Perraro eam amans capio voluptatem, quam frequentissime captare deberem. Ciofanus. Amanti non licet, nisi perraro te praesente frui. Pervulgata est locutio, *res mihi contingit.* Rarior et exquisitior; *homo contingit rei* vel *homini*, unde voluptatem, honorem, commodum capit. V. Lucan. L. V. vs. 383. Plin. Paneg. c. 14. Ovid. Am. L. III. El. 7. vs. 43. Ruhnk.

172. *Cumque mea* etc. i. e. turbor, cum turbatur mare. Hubert.

173. *Quid mihi — prodest?* Idem orationis color in Ep. I. vs. 47.

174. *Num minus* etc. Sensus est „Idem mihi objicit impedimentum." V. ad vs. 19. Ep. XI.

Tam brevis aqua. Tam arcta. Cf. Ep. XIX. vs. 142. Oud.

175, 176. *An malim, dubito* etc. Dubitat Leander, an non

Quo propius nunc es, flamma propiore calesco:
Et res non semper, spes mihi semper adest,
Pene manu, quod amo, (tanta est vicinia) tango:
Saepe sed (heu!) lacrimas hoc mihi Pene movet.
Velle quid est aliud fugientia prendere poma,
Spemque suo refugi fluminis ore sequi?
Ergo ego te numquam, nisi cum volet unda, tenebo?
Et me felicem nulla videbit hiems?
Cumque minus firmum nil sit quam ventus et unda,
In ventis et aqua spes mea semper erit?

malit longo terrarum tractu a domina remotus esse, *ut ita sperare nequeat, se ei affuturum, nisi post longum tempus:* nunc enim parvo spatio ab ea remotus, non tantum aegre ferebat absentiam dominae, verum etiam quod spes, se eam brevi visurum, irrita ac caduca esset, licet tamen tam prope adesset. Drakenb. « Non video, inquit Loers d. spec., cur potius cum paucis Codd. scribendum sit *mea*, quam cum longe plurimis *meam*, quod etiam loci rationi convenientius sit."

Habere spem meam longe cum domina, est, ait Hubert., esse longe ab amica mea et habere etiam spem meam longe cum ea. Vid. supra Drakenborch. interpretationem.

177. *Flamma propiore calesco.* Meminit Hubert. ad h. vs. Terentiani illius. « Accede ad ignem hunc, et calesces plus satis." V. supra ad vs. 85.

178. *Et res* amata scil. tu, amica mea. *Res, spes* familiarem esse hanc agnominationem dicit Burm. ad h. l. Verborum oppositionis elegantiam et Drakenb. laudat et Oud. Equidem ad tales elegantias me caecum profiteor. Conlusores in his vocibus, ex Oud. sententia, Ovidius habet Cic. pro Coelio c. 32. Sallust. in Catilina c. 21. et Auson. in professoribus Epigr. I. XI.

180. *Hoc — Pene.* Scil. manu tangere, nec tamen una esse posse.

181. *Velle quid est aliud* etc. V. ad vs. 102. Ep. XVI.

183. *Ergo.* Cum indignatione et dolore pronunciandum est. Hubert.

184. *Hiems.* Cf. vs. 41. Ep. VII.

185. *Firmum* h. e. constans. V. Ovid. Ep. XXI. vs. 151. Ruhnk.

Aestus adhuc tamen est. quid cum mihi laeserit aequor
Plias, et Arctophylax, Oleniumque pecus!
Aut ego non novi, quam sit temerarius: aut me
In freta non cautum tunc quoque mittet Amor.
Neve putes id me, quod abest, promittere tempus:
Pignora polliciti non tibi tarda dabo.

187. *Aestus* pro *aestate* hic ponitur. V. Virg. Georg. L. I. vs. 297. Oud.

Quid cum mihi etc. Quid erit, q. d. multo major tempestas erit. Hubert. cum *mihi*, in meum dolorem, mare perturbaverit.

188. *Plias*. Singularis ponitur pro plurali; septem enim fuerunt Pleiades, ita dictae, quod ex Pleione Oceani filia et Atlante sunt natae. Hae numero septem dicuntur quidem, sed nemo amplius quam sex videre potest, ut ait Hygin. in Poet. Astron. c. 21, apud quem hujus rei causam videas. Alio nomine Latinis vocantur *Vergiliae* a voce *Ver*, quia ab earum ortu ver finitur et aestas incipit, ut ait Fest. in v. *Vergiliae*. Oriuntur autem mense Martio et occidunt mense Novembri. V. Serv. ad Virg. Georgic. L. I. vs. 138. Drakenb. qui et Horat. L. IV. Od. 14. vs. 20. laudat, ut probet veteres hoc sidere tempestates excitari credidisse.

Arctophylax stella, quae et Bootes sive Bubulcus dicitur, qua oriente et occidente gravissimae cieri tempestates solebant. V. Hygin. Poetic. Astron. L. II. c. 4. Serv. ad Virg. Georg. L. I. vs. 204. a Drakenb. laud. Horat. L. III. Od. 1. vs. 27.

Oleniumque pecus sive capra vel capella *Amalthea*, quae fingitur in Oleno, Achaiae civitate, infantem Jovem suo lacte nutrivisse, et hinc in coelum esse recepta. V. Ovid. Fast. L. V. vs. 111. sq. Oud. Laudat praeterea Drakenb. Horat. L. III. Od. 1. vs. 27. et Serv. ad Virg. Aen. L. IX. vs. 668. De Amalthea vid. Hyg. Op. l. L. II. c. 13. pag. 378.

189. *Quam sit temerarius* scil. Amor. Magis tamen mihi placet lectio *sim* Edit. Basil. an. 1549, i. e. aut ego non novi temeritatem *meam*. Hubert.

190. *Non cautum*. Edit. Basil.: *non cautus* i. e. qui facit hominem incautum.

Tunc quoque. Cum Plias, et Arctophylax et pecus Olenium aequor laedunt et maxima est tempestas. Drakenb.

Mittet. Urget in aequor.

191. *Id — quod abest*. Tempus, quod longe abest, quod remotum est. Contra tempus;

Sit tumidum paucis etiam nunc noctibus aequor;
Ire per invitas experiemur aquas.
Aut mihi continget felix audacia salvo:
Aut mors solliciti finis amoris erit.
Optabo tamen, ut partes expellar in illas:
Et teneant portus naufraga membra tuos.
Flebis enim, tactuque meum dignabere corpus;
Et, Mortis, dices, huic ego caussa fui.

quod adest, ut ait Drakenb., dixit Terent. in Andr. Act. I. sc. 1. vs. 125. ad q. v. in Dict. ad Terent. Ruhnk. Ad ellipsin τῷ *tempus* probandam laudavit Sanct. Min. L. IV. c. 4. pag. 645. Ovid. Fast. L. I. vs. 583.

192. *Pignora — non tarda.* Probationis et certa (non fallacia) signa promissionis meae. Hubert.

Non — tarda. Cui promissioni brevi satisfaciam, uti ex proxime sequentibus patet.

193, 194. *Sit tumidum* etc. Si aliquot noctibus duret haec tempestas, ego experiar venire invitis aquis. Hubert. *Invitas* intelligit aquas, quae tumore et fluctuum molibus quasi permittere nolunt, ut transnatentur: quo sensu aliquid fieri dicitur, invitis aut prohibentibus rebus inanimatis. V. Ep. XIII. vs. 131. Drakenb.

195, 196. *Aut mihi continget — aut* etc. Facit argumentum, quod dicitur *dilemma*, quod utrimque probat et concludit, *esse eundum*. Hubert.

Felix audacia est, cui fortuna et Dii favent. Hubert. *Continget mihi salvo.* Mihi incolumi feliciter cedet audacia.

196. *Aut mors* etc. Aut si moriar, mors finiet sollicitudines et molestias mei amoris. Hubert. Cf. Ep. I. vs. 12.

197. *Partes expellar in illas* etc. Sive mortuus ejiciar instar naufragi in istas oras, ubi tu es. Cf. Ep. V. vs. 87. Metam. L. XV. vs. 511. Oud.

198. *Teneant portus — tuos. Tenere* verbum est solenne de illis, qui eo perveniunt, quo iter destinarunt. Virg. Aen. L. III. vs. 192. et L. V. vs. 8. Burm. ad Val. Flacc. L. VII. vs. 129. Neque tantum de itinere maritimo, verum etiam de terrestri adhiberi constat ex not. Heinsii ad Fast. L. II. vs. 313. Drakenb.

Naufraga membra. V. ad vs. proxime praecedentem.

199. *Flebis enim* i. e. certo, sine dubio. V. Turnebus. Op. l. in v. *enim*.

200. *Mortis huic ego caussa fui.* Cf. vs. 144. Ep. X. Quia propter amorem meum ausus

Scilicet interitus offenderis omine nostri:
Literaque invisa est hac mea parte tibi.
Desino: parce queri. sed et ut mare finiat iram,
Accedant, quaeso, fac tua vota meis.
Pace brevi nobis opus est, dum transferor isto:
Cum tua contigero litora, perstet hiems.
Illic est aptum nostrae navale carinae:
Et melius nulla stat mea puppis aqua.
Illic me claudat Boreas, ubi dulce morari:
Tunc piger ad nandum, tunc ego cautus ero.

est tam turbidum mare ingredi. Hubert.

201. *Scilicet interitus offenderis omine nostri.* V. ad vs. 159. Ep. XVII. Studiose, inquit Drakenb., interitus sive mortis mentionem fere evitabant, et rem per circumscriptionem potius exprimebant. V. Ep. XIII. vs. 105. sq.

202. *Invisa.* Quoniam interitum mihi vaticinatur. Anton.

203. *Desino* plura his addere.

Parce queri. Nolis queri. Graeci enim hac significatione verbo φείδεσθαι utuntur. Ovid. Trist. L. I. El. 1. vs. 2. eodem verbo usus est «Solvere quassatae *parcite* membra ratis.» V. Vechn. Hellenol. L. II. c. 2. pag. 258.

204. *Accedant quaeso* etc. i. e. adjungantur: ut tu facias vota, sicut ego. Hubert.

205. *Pace brevi.* Tranquillitate maris per breve tempus. Hubert. *Pax* mari placato tribuitur etiam ab Ovid. in L. II. ex Ponto Ep. 9. vs. 27. Ruhnk.

Isto. Istuc, in istas oras. V. Caes. de Bell. Gall. L. VI. c. 13. extr. Oud.

206. *Perstet.* V. ad vs. 25. Ep. XVI.

207. *Navale* pp. locus, in quem subducuntur naves, ut tutae et siccae stent. In plurali dici solet *navalia.* Solus, quod sciam, in singulari adhibuit Ovid. hic et L. III. Metam. vs. 661. Elegantissime Leander h. vs. se comparat *carinae. Domum* Herus vocat navale, ubi securus post natationis periculum quiescat.

208. *Stat* pp. ita dicitur navis, quae jacet in anchoris, et per eas quasi firma consistit. Ovid. Metam. L. III. vs. 660. Lucan. L. II. vs. 621. Oud.

210. *Tunc.* Cum natabo. Hubert.

Cautus. Quia non discedam a te, ut immittam me periculis. Hubert.

Nec faciam surdis convicia fluctibus ulla:
Triste natatúro nec querar esse fretum.
Me pariter venti teneant, pariterque lacerti:
Per caussas istic impediarque duas.
Cum patietur hiems, remis ego corporis utar.
Lumen in adspectu tu modo semper habe.
Interea pro me pernoctet epistola tecum:
Quam, precor, ut minima prosequar ipse mora.

211. *Surdis — fluctibus.* V. Ep. VIII. vs. 9. Schrader ad Musaeum c. 19. pag. 325.

212. *Triste.* V. supra vs. 143.

213. *Teneant.* Detineant, morentur. V. ad Ep. II. vs. 14. Drakenb.

214. *Per caussas — duas.* Per ventos et lacertos.

215. *Remis ego corporis utar.* Utar brachiis, ut natando trajicere possim. Conparat se ipse navi, qua mare trajiceret. V. supra ad vs. 207. Recte ergo in eadem Metaphora persistit, brachia *remos* vocans. Drakenb.

216. *Lumen — habe.* Facem in turri erectum et adcensum habeas semper, quod videam et sequar. Verum cum Burmanno (quem vid. in Add.) et Oud. puto legendum esse, *in aspectu.* *In adspectu* enim, ut ait Burm. l. l., foret in adspectu *ipsius Heros.* Praepositio enim *in*, inquit Oud., cum quarto casu millies significat causam, et consilium, *cur* et *quo* aliquid fiat. Consentit Ruhnk.

218. *Quam, precor, ut minima prosequar ipse mora*, sive brevissimo tempore sequar. *Prosequi* enim hîc notat *sequi.* V. Drakenb. ad Liv. L. III. c. 58. §. 4. et Ruhnk. ad h. vs. laud. Desiderio suo epistolam clausit Leander, ut quod maxime utrique erat carissimum in animo legentis relinqueretur. Nam, quae in fine sunt, ideo vehementiora esse debent, quoniam veluti proximiora animo semper objiciuntur, ut, adactis concitatus aculeis, ardentius moveatur. Anton.

HERO LEANDRO.

Hanc epistolam Nasonis esse puto ob phrases mere Ovidianas, licet liquido nequeat demonstrari. Oud. Cf. Argum. Ep. XVII.

QUAM mihi misisti verbis, Leandre, salutem,
Ut possim missam rebus habere: veni.
Longa mora est nobis omnis, quae gaudia differt.
Da veniam fassae: non patienter amo.
Urimur igne pari: sed sum tibi viribus impar.
Fortius ingenium suspicor esse viris.
Ut corpus, teneris ita mens infirma puellis.
Deficiam; parvi temporis adde moram.

Vs. 1. *Quam — salutem.* V. ad Ep. IV. vs. 1. Cf. Lotich. L. V. El. 13. init.

Leandre. V. van Lennep. ad h. vs.

2. *Ut possim* etc. Cf. vs. 2. Ep. I.

Rebus. Res hîc eleganter *verbis* opponi adnotat ad h. vs. Drakenb. cit. Terent. in Andr. Act. V. sc. 1. vs. 5. Liv. L. XXXIX. c. 27. Nepos in Phoc. c. 3. §. 3. Cf. Ruhnk. Dictt. ad d. Terent. l.

3. *Longa mora est* etc. V. ad vs. 25. Ep. praeced.

Gaudia. V. ad vs. 43. Ep. praeced.

4. *Da veniam fassae.* V. ad vs. 11. Ep. XVI.

Non patienter amo. Quae absentiam tuam pati nequeo. Oud.

5. *Urimur igne.* V. ad vs. 85. Ep. praeced. et vs. 10. Ep. XVI.

Sed sum tibi viribus impar. V. Argum. Ep. XVIII. et XIX. §. 2. *Viribus* robore animi ad resistendum amori. Hubert.

6. *Fortius ingenium s.*, naturam. *Fortis*, inquit Heins. ad Ovid. A. A. L. I. vs. 281, ab Ovidio, pro eo, *qui moderatur affectibus*, saepe ponitur.

7. *Teneris.* V. ad Ep. XVI. vs. 66. Argum. §. 2.

8. *Deficiam* corpore simul et animo, sive moriar. Oud. V. ad Ep. II. vs. 130.

Parvi temporis adde moram, pro, si addideris moram. V. ad Ep. IV. vs. 137. Drakenb.

Vos, modo venando, modo rus geniale colendo,
Ponitis in varia tempora longa mora.
Aut fora vos retinent, aut unctae dona palaestrae:
Flectitis aut freno colla sequacis equi.
Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo.
Diluitur posito serior hora mero.

9. *Rus geniale*, amoenum, plenum voluptatis. Nam Genius deus est naturae; cui, voluptati operam dantes, indulgere dicuntur. Hubert. V. ad Ovid. Am. L. II. El. 13. vs. 7. Euripidis Medea vs. 246. sq. pag. 17. Edit. Jo. Lenting.

10. *Ponitis* etc. i. e. Praeteritis tempus variis modis. Hubert. Transigitis dies et finitis tempora vestra, disponendo illa per varia exercitia, quae morantur et detinent vos, faciuntque, ne morae singulae vobis sint taediosae. Oud.

11. *Aut fora vos retinent.* E Romanorum consuetudine dictum est, qui causis agendis in foro se exercebant et palaestra ludebant. Martial. L. IV. Epigr. 109. Ciof..

Unctae dona palaestrae. V. ad Ep. XVI. vs. 149. van Lennep in Animadv.

12. *Flectitis* etc. V. ad vs. 46. Ep. IV.

Nunc volucrem etc. *Ducere* hic idem denotare potest, quod *decipere*, quod probant addita *laqueo* et *hamo*. *Verbis ducere* pro *verbis decipere* apud Comicos obvium est. V. Terent. Andr. Act. IV. sc. 1. vs. 20. (ad q. vs. vidd. laud. Ruhnkenii dictata) Burm. ad Ovid. Metam. L. VII. vs. 391. Potest etiam *ducere pisces* exponi *retia* vel *hamo extrahere piscem.* Vidd. V. V. D. D. ad Metam. L. XIII. vs. 922. Prior tamen expositio huic loco magis convenit. Drakenb. Adsentit Oud. qui et Metam. L. VII. vs. 587. laudat et L. VIII. vs. 217.

14. *Diluitur posito* etc. *Hora serior* est *vesper.* Eo sensu passim *vesper serus* vocatur, ut a Val. Flacco L. VII. vs. 1. Ita Varro satyram scripsit, cui titulus est. « Nescio, quid *vesper serus* vehat " memoratam a Gell. N. Att. L. XIII. c. 11. *Serior* itaque ponitur pro *sera*, ut *senior* pro *senex* (v. ad Ep. I. vs. 37.) Drakenb. Hoc carmen, inquit Ciof., eam, quam modo (ad vs. 11.) exposui, opinionem confirmat, cum hoc quoque ex Romanorum more perspicue dicatur, qui *octava noctis hora* (perperam, *nona diei hora*; ex nostra computandi ratione, *hora post meridiem ter-*

His mihi submotae, vel si minus acriter urar,
Quod faciam, superest, praeter amare, nihil.
Quod superest, facio: teque, o mea sola voluptas,
Plus quoque, quam reddi quod mihi possit, amo.
Aut ego cum cara de te nutrice susurro,
Quaeque tuum, miror, caussa moretur iter:

tia) (idque Martialis, quae supra citavi, carmina aperte declarant) coenabant.

Posito mero pro *adposito*. V. ad vs. 31. Ep. I. Laudat Drakenb. et vs. 218. Ep. XVI. Cum hora jam est serior et prope vesperam multis curis et laboribus gravatus est homo, quibus se levat *bibendo vinum*; nisi potius, quia hora non potest *dilui*, aptius legatur *seria cura* ut in A. A. L. I. vs. 238. Oud. Cum autem Gesner. in Thes. L. L. Ovid. ab Oud. laud. verba « Cura — diluitur" explicet, *aufertur*, *abstergitur*, non equidem video, quare eo sensu *hora diluitur* a Poëta dici nequeat.

15. *His mihi submotae*. Equidem cum Loers d. spec. verum censeo, « *his mihi submotis* " Multo enim, inquit, simplicius dicitur. « *Quae quidem animi doloris relaxationes quum a natura denegatae, vel submotae mihi puellae sint; nihil mihi superest* " quam. « *Quibus quidem animi doloris relaxationibus quum a natura submota ego puella sim, nihil mihi superest.* Quodque gravissimum est, ea est lect. omnium Codd., si duos illos (quos sequitur Heins.) excipias et vetustissimarum Editt. Cod. Trev. *submotis*. *His mihi submotae* Ruhnk. explicat « Cum ego, ut mulier, non possim exercere has viris proprias artes." *His* ponitur pro *ab his*. Drakenb. ad Liv. L. II. c. 59. §. 3.

15. *Vel si. Etiamsi*. Ut saepius. Oud. Tursell. Op. I. in v. *vel* pag. m. 1048.

Acriter urar. V. supra vs. 5.

16. *Quod faciam* etc. Nihil, quod faciam, mihi superest praeterquam quod ameam, praeter amorem. De Enallage Infinitivi Vid. Vechn. Op. I. L. I. c. 10.

17. *Quod superest, facio*. Amo, quod solum mihi faciendum restat, ex interpretatione Hubertini.

18. *Plus quoque, quam reddi quod mihi possit, amo*. Non pari urimur igne; etenim te tam vehementer amo, ut pari vehementia me amare nequeas. Tantum amoris, quantum ego tibi quasi *do*, mihi non potes reddere.

19. *Susurro*, non *loquor*;

Aut, mare prospiciens, odioso concita vento
Corripio verbis aequora pene tuis:
Aut, ubi saevitiae paullum gravis unda remisit,
Posse quidem, sed te nolle venire, queror:
Dumque queror, lacrimae per amantia lumina manant,
Pollice quas tremulo conscia siccat anus.
Saepe tui, specto, si sint in litore passus:
Impositas tamquam servet arena notas.
Utque rogem de te, et scribam tibi, si quis Abydo
Venerit, aut, quaero, si quis Abydon eat.
Quid referam, quoties dem vestibus oscula, quas tu
Hellespontiaca ponis iturus aqua?

quia submissa voce de Leandro debebant loqui, ne quis audiret. V. ad vs. 97. Ep. XVIII.

21. *Odioso concita vento.* Unde ventum sibi Hero scribat *odiosum*, facile est ad conjiciendum. Cf. Ep. II. vs. 38.

22. *Corripio verbis — pene tuis.* V. Ep. praeced. vs. 139. sq. *Verbis tuis* h. e. iisdem verbis, quibus tu ea corripuisti. Ruhnk.

23. *Saevitiae — remisit.* V. ad vs. 51. Ep. IV. vs. 73. Ep. VII.

Remisit. Laxavit neque adeo intente saevit. Metaphora desumta ab auriga *frena remittente equis* ut spiritum resumant, ac conquiescant paululum. Oud. *Saevitiae* respicit ad *odioso concita vento* vs. 21. Loers d. spec.

25. *Amantia lumina* pro luminibus s. oculis *amantis* dici, vix est, quod rursus moneam.

26. *Tremulo.* Explicatur seq. vs. *Anus.* Vid. vs. 19. h. Ep.

Conscia. V. ad vs. 97. Ep. XVIII.

27. *Si sint. Si* pro *an* infinitum subjectum, est quemadmodum apud Graecos εἰ, inquit Vechn. Op. l. L. II. c. 3. pag. 268.

28. *Tanquam* pro *tanquam si.* Tursell. in v.

Impositas — notas. Inpressa pedum vestigia.

29, 30. *Utque rogem* etc. Sensus hujus distichi paulo est intricatior; hoc autem modo in ordinem redigi debet. *Quaero si quis Abydo venerit, aut si quis Abydon eat, ut rogem de te et scribam tibi. Si* his hic pro *an.* V. supra ad vs. 27. Drakenb. cf. Ep. I. vs. 59. sq.

31. *Quoties dem vestibus oscula.* Acris amoris signa.

Quas tu etc. V. Ep. praeced.

Incubi lux acta est, et noctis amicior hora
Exhibuit pulso sidera clara die;
Protinus in summa vigilantia lumina turre
Ponimus, adsuetae signa notamque viae;
Tortaque versato ducentes stamina fuso,
Feminea tardas fallimus arte moras.
Quid loquar interea tam longo tempore, quaeris?
Nil, nisi Leandri nomen, in ore meo est.
Jamne putes exisse domo mea gaudia, nutrix?
An vigilant omnes? et timet ille suos?
Jamne suas humeris illum deponere vestes,
Pallade jam pingui tinguere membra putes?

vs. 163. Schrader ad Musaei vs. 266.

33. *Lux acta est.* V. Ep. XVI. vs. 58. Ep. XIII. vs. 43. H. Ep. vs. 56. Drakenb.

Noctis amicior hora. V. ad Ep. XVII. vs. 264. *Hora noctis* est *tempus nocturnum.* V. Ep. XXI. vs. 68. Ep. XVI. vs. 295. Drakenb. Qud. Ep. XIII. vs. 105. sq.

. . . . . , Nox grata puellis,
Quarum supposĭtus colla lacertus habet.

34. *Exhibuit pulso* etc. *Exhibere* pp. est verbum forense. V. Gesn. in Thes. L. L. in v. De significatione inde deducta vid. ad vs. 116. Ep. XVII.

Pulso — die. Nox enim, cui Poëta personam induit, diem, itidem personam, de coelo detrudere, atque in Oceanum dejicere videtur, ubi occidit.

35. *Protinus in summa vigilantia* etc. V. ad vs. 31. Ep. XVIII.

37. *Tortaque — stamina. Torquere stamina* est *nere fila.* Vid. Ep. IX. vs. 79. (ad vs. 80. ejusd. Ep. not.) Drakenb.

Ducentes stamina. V. ad vs. 77. Ep. IX.

38. *Feminea tardas* etc. V. Ep. I. vs. 9. et not. ad h. vs.

40. *In ore meo.* V. ad vs. 34. Ep. XVII.

41. *Jamne putes exisse domo mea gaudia.* Verba Herûs ad nutricem, quibus interrogat, quid de Leandro putet. Hubert.

Mea gaudia. V. ad vs. 43. Ep. XVIII.

42. *An vigilant omnes?* Ejus domestici. Hubert.

Et timet ille suos? Ne videant eum exeuntem domo. Hubert.

43. *Jamne suas* etc. V. prae-

Adnuit illa fere: non nostra quod oscula curet;
Sed movet obrepens somnus anile caput.
Postque morae minimum, jam certe navigat, inquam;
Lentaque dimotis brachia jactat aquis.
Paucaque cum tacta perfeci stamina tela,
An medio possis, quaerimus, esse freto.
Et modo prospicimus: timida modo voce precamur,
Ut tibi det faciles utilis aura vias.

ced. Ep. vs. 103.

44. *Pallade jam pingui* etc. i. e. olea pingui. Posuit autem Ovid. *inventricem* pro invento. Hubert. V. Virg. Georg. L. I. vs. 18. sq. De Palladis cum Neptuno de urbis Athenarum nomine contentione omnia sunt notissima. V. Serv. ad h. l.

45. *Adnuit illa fere. Fere* Hubert. explicat, ut sit temperamentum i. e., ut ait Tursell., (vel, ut sunt, qui putant, Antonius Schorus Brabantinus, cujus opus deperditum invenisset ac suo edidisset nomine Tursellinus) *inminuit non nihil rem.* Oud. interpretatur *plerumque.* Utraque expositio mihi displicet. Malo *ni fallor, ut opinor.* V. idem Tursell. in v. pag. 296.

Non nostra quod oscula curet. Non enim ex cura nostri amoris id concedit, sed somno delinitum caput dum nutat, nullis auditis verbis, annuere *videtur.* Anton.

46. *Sed movet* etc. Ad nutum inpellit *obrepens*, sensim ac latenter anus oculos occupans somnus, ut ait Drakenb. ad h. vs. (clam, sine sensu ac furtim corpus invadens. Oud.) laud. Horat. Art. Poët. vs. 360. et Cic. de Senect. c. 2. Oud. citat. Heins. ad Ovid. Metam. L. VII. vs. 155.

47. *Postque moras minimum.* Quam diligenter, et adcurate naturam imitatus est Poëta! Premendum est *jam.*

Navigat h. e. natat. Cf. vs. 215. Ep. XVIII. Ruhnk.

48. *Lentaque dimotis* etc. V. ad Ep. XVIII. vs. 58, 76.

49. *Paucaque* etc. V. supra vs. 37. sensus est « Cum leviter et negligenter, dum habeo mentem in tui cogitatione occupatam, lanam tangens perfeci pauca quaedam fila" Notandum est, *telam* hîc poni pro *lana ad telam faciendam idonea*; nam non *texebat* sed *nebat* Hero: quamquam et sumi possit pro *instrumento et omni apparatu ad lanificium apto.* V. ad Tibull. L. I. El. 7. vs. 85. Broukh. Oud.

50. *Medio — freto.* Cf. vs. 52. Ep. XVIII.

51. *Prospicimus* e loco su-

Auribus interdum voces captamus, et omnem
Adventus strepitum credimus esse tui.
Sic ubi deceptae pars est mihi maxima noctis
Acta, subit furtim lumina fessa sopor.
Forsitan invitus, mecum tamen, improbe, dormis;
Et quamquam non vis ipse venire, venis.
Nam modo te videor prope me spectare natantem:
Brachia nunc humeris humida ferre meis:
Nunc dare, quae soleo, madidis velamina membris:
Pectora nunc juncto vestra fovere sinu:
Multaque praeterea, linguae reticenda modestae;
Quae fecisse juvat, facta referre pudet.
Me miseram! brevis est haec, et non vera voluptas:
Nam tu cum somno semper abire soles.
Firmius o cupidi tandem coëamus amantes:
Nec careant vera gaudia nostra fide.

periore, quae oculis objecta sunt, cognoscimus. V. Ep. V. vs. 63.

52. *Ut tibi det faciles* etc. Cf. vs. 45. Ep. praeced.

53. *Auribus voces captamus.* V. ad vs. 262. Ep. XVII.

55. *Deceptae.* Cf. vs. 9. Ep. I.

56. *Acta.* V. supra vs. 33.

Subit furtim etc. V. supra ad vs. 46.

57. *Forsitan invitus* etc. In somnio nempe, ut latius explicat in seq. Oud.

59. *Videor* sub imagine somni. Ovid. Ep. XVI. vs. 45. Ruhnk.

60. *Brachia humeris ferre.* Brachiis circumdare colla.

61. *Nunc dare, quae soleo* etc. Vid. vs. 103. Ep. XVIII. *Madidis velamina membris.* V. Schrader. ad Musaeum c. 19. pag. 338. sq.

62. *Fovere sinu.* V. ad vs. 95. Ep. XV.

63. *Multaque praeterea.* Intellige *fiunt*, inquit Oud., ut in simili Sapphûs somnio Ep. XV. vs. 133.

Linguae reticenda modestae etc. V. ad vs. 133. Ep. XV. vs. 105. Ep. praeced.

65. *Non vera*, quia deludit me falsa, imaginaria. V. Burm. ad Ovid. A. A. L. I. vs. 62.

66. *Nam tu cum somno* etc. V. Ep. XV. vs. 126.

67. *Firmius*, quam per somnium. Hubert. Opponitur *ei*, quod vs. praeced. dixerat, *cum somno abire. Firmus* pro

Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?
Cur toties a me, lente natator, abes?
Est mare (confiteor) nondum tractabile nanti:
Nocte sed hesterna lenior aura fuit.
Cur ea praeterita est? cur non ventura timebas?
Tam bona cur periit, nec tibi rapta via est?
Protinus ut similis detur tibi copia cursus;
Hoc melior certe, quo prior, illa fuit.

constanti legitur Ep. XVIII. vs. 185. *Firmius* itaque *coeunt*, qui coëunt eo animo, ut constanter juncti maneant, ac deinceps locum non mutent. Drakenb. *O cupidi. O* est *utinam.* Hubert. De v. *cupidi* vid. ad vs. 90. Ep. XVIII.

68. *Vera — fide.* V. supra ad vs. 65. *Nec careant* in quibusdam, quod amplexus est Heins. Burm. alii: in plurimis Codd. et Edd. est *ne careant.* Verum est, quod ad h. l. Naugerius scribit, utrumque recte dici, saepe eaedem sententiae, quae particula *et* conjungi possunt, etiam ita constitui possunt, ut posterior causam prioris continere videatur; velut, si dicam *« In textu mutando caute agamus, nec nostra pro Ovidianis obtrudamus"* etiam dicere possum *« Caute agamus ne nostra pro Ovid. obtrudamus."* Ex eadem igitur ratione h. l. fere dici potest, *coëamus, nec careant* et *ne careant;* sed si praeter sententiam gratum quoque auribus sonum specto, atque ea res spectari maxime debet, mihi quidem Ovid. scripsisse videtur *ne careant.* Loers d. spec.

69. *Cur ego tot viduas* etc. V. ad Ep. I. vs. 7, 10.

70. *Lente natator.* V. ad vs. 1. Ep. I.

71. *Mare — nondum tractabile*, asperum, procellosum. V. Heyn. ad Virg. Aen. L. IV. vs. 53.

73. *Cur ea praeterita est.* Vid. Argum. Ep. XVIII. praefixi §. 4. Cur omissa; qua re non usus es ea nocte? Hubert.

Cur non ventura timebas? Cur non timebas ventura? scil. tempora. Quia, inquit Hubert., posset dicere, exspectabam etiam meliora tempora; dicit, quod timere debuisset, ne pejora venirent.

74. *Nec tibi rapta via est?* Celerrime et sine ulla mora est capta et inita. V. Lucan. L. IV. vs. 151. Drakenb. ad Sil. Ital. L. IX. vs. 33. Oud. Lucan. L. III. vs. 216.

75. *Copia cursus.* V. ad vs. 6. et 147. Ep. XVIII. *Copia* facultatem designat. Contingat, inquit Hubert., tibi illa commoditas praeterita, quae, ut

At cito mutata est jactati forma profundi.
Tempore, cum properas, saepe minore venis.
Hic, puto, deprensus nil, quod quereris, haberes,
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.
Certe ego tum ventos audirem lenta tonantes,
Et numquam placidas esse precarer aquas.

est vs. sq., eo certe melior fuit, quo prior.

77. *At.* Cum stomacho Leandri verba objectat. Anton. *At* enim objectionem proponit.

Jactati forma profundi. Externa maris commoti ac saevientis facies. Oud.

78. *Tempore — minore venis.* Responsio Herûs ad objectionem. Cum tu vis cito venire, venis breviore tempore, quam fuit illud. Ita quod potuisses venire per id spatium, quo duravit illa tranquillitas. Hubert. V. van Lennep in Animadv. ad vs. 76, ubi vitio typographico 71 legitur pro 78.

79. *Hîc* apud me *deprensus*, abire prohibitus. V. ad vs. 66, Ep. VII. Non in mari, in quo deprehensi (proprie) dicuntur, quos cito invasit tempestas, at per eam hic te opprimentem detentus nulla re laedereris. Oud. V. Virg. Aen. L. V. vs. 52.

81. *Tum.* Cum esses hîc mecum. Hubert.

Lenta. Secura, ac remissa. V. Broukh. ad Tibull. L. I. El. 5. vs. 45. Oud. Broukh. d. l. « Habet enim, inquit, haec vocula *lentus* significationem quamdam *securitatis* cum *contentu* conjunctae " Edit. Basil. an. 1549. exhibet *laeta* quam. lect. equidem cum Loersio d. spec. ad sensum aptissimam judico. « Ego certe *laeta* (h. e. cum voluptate) ventos sonantes audirem, et (quae est quasi Epexegesis verborum *laeta audirem*) nunquam precarer aquas esse placidas."

Tonantes. Tanto strepitu furentes, quasi coelum tonaret. Drakenb. V. van Lennep ad vs. 30. Ep. XV. Loers, auctoritate omnium Codd., excepto Scriveriano (V. Burm. ad h. vs.) mavult legere *sonantes*. *Posse* quidem legi *tonantes* non it inficias, at necessarium esse pernegat. *Sonare* de vehementiore sono dici probat Horat. Epod. Carm. XXIII. vs. 3. et Ruhnk. Dictatis in Terent. Eunuch. Act. III. sc. 5. vs. 42. Cod. Trev. *Sonantes*. Et Edit. Basil. an. 1549. exhibet *laeta sonantes*.

82. *Esse.* V. van Lennep in Animadv.

Quid tamen evenit, cur sis metuentior undae?
Contemtumque prius, nunc vereare, fretum?
Nam memini, cum te saevum veniente minaxque
Non minus, aut multo non minus, aequor erat.
Cum tibi clamabam: Sic tu temerarius esto,
Ne miserae virtus sit tua flenda mihi.
Unde novus timor hic? quoque illa audacia fugit?
Magnus ubi est spretis ille natator aquis?
Sis tamen hoc potius, quam quod prius esse solebas:
Et facias placidum per mare tutus iter.

83. *Quid tamen evenit.* Suspicatur Hero, ne Leander metuerit natare, quia aut minus eam amet, aut alius amori forte indulgeat. Hubert.

Tamen. Interrogando instat. V. Turself. in v. pag. 992.

Cur sis metuentior undae. Observanda est constructio *metuens undae*, quae praesertim Horatio est familiaris. L. III. Od. 9. vs. 16. Od. 24. vs. 22. et L. II. Satyr. 2. vs. 110. (Vechn. Hellenol. L. I. c. 18. pag. 175). Vulgo tamen distinguitur, inter *metuens undam* et *metuens undae*, ut prius simpliciter notet eum, qui *nunc* metuit; posterius eum, cujus tale est ingenium, ut *semper* metuere *soleat*. V. Voss. Art. Gramm. L. VII. c. 9. Id tamen non *semper* locum habere, neque etiam huic loco convenire, ostendit cum emphasi additum vs. seq. *nunc vereare*. Drakenb.

84. *Contemtum.* A te non formidatum. Hubert.

Prius. Ante, cum ad me saepe natasti. Id.

85, 86. *Nam memini* etc. Dicit natasse eum alias ad se, cum mare erat non multo minus turbatum, quam nunc. Ordo est « Nam memini, cum, te *veniente* i. e. natante ad me, aequor erat non minus saevum et minax quam nunc. Hubert.

Aut multo non minus. Correctio est, exornatio rhetorica i. e. si erat minus minax, non erat multo minax. Id.

87. *Cum tibi clamabam.* Objurgans te.

Sic tu temerarius esto. V. ad vs. 189. Ep. XVIII. *Temerarius* valet *audax*.

88. *Virtus.* Audacia, confidentia. Proprie fortitudo. Ep. VIII. vs. 49. Drakenb.

89. *Illa audacia* (*virtus* vs. praec.) *fugit?* tanquam res animata.

90. *Ubi est ille.* Emphatice hic usurpari in aperto est. V. Ep. II. vs. 31. ac not. ad h. vs.

Spretis. V. supra ad vs. 84.

Dum modo sis idem: dum sic, ut scribis, amemur:
Flammaque non fiat frigidus illa cinis.
Non ego tam ventos timeo, mea vota morantes,
Quam, similis vento ne tuus erret amor:
Ne non sim tanti, superentque pericula caussam;
Et videar merces esse labore minor.
Interdum metuo, patria ne laedar, et impar
Ducar Abydeno Thressa puella toro.
Ferre tamen possum patientius omnia, quam si
Otia, nescio qua pellice captus, agas:

91. *Sis tamen hoc potius*, sive timidus. Hubert.

Quam quod prius, audax. Id. *Hoc*, *quod*. V. ad vs. 32. Ep. XI.

94. *Flammaque* etc. Illa ignis tui amoris non fiat frigidus cinis, non extinguatur. Est translatio (poëtis familiaris) ab igni, qui extinctus fit cinis. Hubert.

95. *Mea vota morantes*. Meum desiderium tui adventus tardantes. Hubert.

96. *Similis vento*. V. Ep. XVIII. vs. 130, 185.

Erret. Vagetur et a me ad aliam transeat. Hubert.

97. *Ne non sim tanti*, *ne nunc sim tanti*. Ita legendum cum Hubertino puto i. e. timeo, ne *nunc* me tanti non aestimes, (quanti antea) ut putes per *tanta* pericula ad me veniendum. Hubert.

Superentque pericula caussam. Pluris facias pericula, quam me, quae sum causa periculorum. Hubert.

98. *Et videar* etc. Et ne videar tibi satis digna, quam tanto labore natandi petas. Hubert.

99. *Patria ne laedar*. Ne noceat mihi imparitas patriae. Hubert.

100. *Et impar Ducar Abydeno Thressa puella toro*. Praefero lect. Ed. Basil. *Dicar — Sesta*. Ne ego ex Sesto inaequali matrimonio juncta dicar cum homine *Abydeno*, i. e. tecum, qui es ex Abydo, quae est clarior mea Sesto. Hubert. *Ducar*. Existimer. Cic. de Amic. c. 19. Exemplorum plena omnia. V. Drakenb. ad Liv. L. IX. c. 22. §. 3. Ruhnk. *Thressa*, Threicia dicitur ob despectos Graecis Thraces, ut ajunt Heins. et Burm. ad h. vs. Graja autem urbs Abydos est. V. Pomp. Mela L. I. c. 19. init.

102. *Quam si Otia*, *nescio qua pellice* etc. *Otia agere* est morari, cessare, otiosum desi-

In tua si veniant alieni colla lacerti;
Sitque novus nostri finis amoris amor.
Ah potius peream, quam crimine vulnerer istō:
Fataque sint culpa nostra priora tua!
Nec, quia venturi dederis mihi signa doloris,
Haec loquor; aut fama sollicitata nova:
Omnia sed vereor; (quis enim securus amavit?)
Cogit et absentes plura timere locus.
Felices illas, sua quas praesentia nosse
Crimina vera jubet, falsa timere vetat!
Nos tam vana movet, quam facta injuria fallit:
Incitat et morsus error uterque pares.

dere, ut explicant Hubert. et Drakenb.; Hic laudat Ovid. Fast. L. I. vs. 68. et not. ad Sil. Ital. L. XV. vs. 423.

Nescio qua hic loci Herûs indignationem ostendunt, et in contemtum dicuntur. De hac phrasi egimus loco, *nescio quo* i. e. aliquo l., quem definire nunc quidem non possum.

Pellice captus. V. Argum. §. 4. vs. 75. sq. Ep. I.

103. *In tua si veniant.* Cf. vs. 100. Ep. I. vs. 60. h. Ep.

104. *Sitque novus* etc. i. e. si incipiens aliam amare me omittas.

105. *Vulnerer.* Laedar et accipiam dolorem. Translatio est; nam *vulnus* pro *dolore* dicitur. Hubert. Ah! perire malim, quam hanc ob culpam tuam dolore adfici! Cf. Ep. VI. vs. 82. Moriar, antequam tu culpam committas. Ruhnk.

106. *Fataque sint* etc. Adeoque precor, ut fata nostra (mors mea) *priora sint* s. antecedant crimen istud vs. 101. sq.

107. *Nec quia venturi* etc. Vocula *mihi* non jungenda est cum verbo *dederis* sed cum voce *venturi* i. e. obventuri. Ep. IV. vs. 113. Drakenb.

108. *Sollicitata.* De h. v. alio l. diximus. Vid. Index. *Nova fama.* Novo nuncio, quod ames aliam. Hubert. V. Argum. §. 4.

109. *Omnia sed vereor* etc. Cf. Ep. I. vs. 11, 12.

110. *Locus.* V. ad vs. 140. Ep. XVII.

111. *Felices illas* etc. Cf. vs. 67. sq. Ep. I.

113. *Nos tam vana — fallit.* Dicit Hero, se id timere, quod fortasse non facit. Injuria falsa, non vera, tam movet, tam sollicitat me et turbat, quam *facta*, (ea, quam fecisti) *fal-*

O utinam venias! aut ut ventusve paterve,
Caussaque sit certe femina nulla morae!
Quod si quam sciero: moriar (mihi crede) dolendo.
Jamdudum peccas, si mea fata petis.
Sed neque peccabis, frustraque ego terreor istis:
Quoque minus venias, invida pugnat hiems.
Me miseram? quanto planguntur litora fluctu!
Et latet obscura condita nube dies!

lit, ignoratur a me. Hubert.

114. *Incitat et morsus.* V. not. ad vs. 30. Ep. XIII.

Uterque error. Ignorantia aut verae aut falsae injuriae. Hubert.

115. *Ventusve paterve.* V. ad vs. 126. Ep. XVIII.

116. *Causaque — femina nulla.* V. supra vs. 102. sq. Van Lennep ad h. vs.

117. *Quod si quam*, aliquam, feminam morae causam *sciero*. Drakenb. *Mihi crede.* V. ad Ep. III. vs. 130.

118. *Jam dudum peccas, si* etc. Non dubito, quin cum Heusingero scribendum sit « *Jam dudum pecca* " Aptius, inquit, oratio Herus cohaerebit, si reponas *pecca*. Huic verbo prior litera particulae *si* adhaesit, quod infinitis locis fieri meminimus. Cf. Cioſan. ad Metam. L. XIV. vs. 484. Drakenb. ad Liv. L. XL. c. 7, 8. Quam pulchre adverbio *jamdudum* cum verbo imperativi modi conveniat, cum alii loci optimorum scriptorum testantur non pauci, tum ille Nasonis Ep. XX. vs. 80. V. van Lennep ad h. vs. *Jam dudum* ad praesens tempus et ad praeteritum accommodatur. Tursell. in v. nº. 26. *Jam dudum* est *ex quo desinis ad me natare*. Hubert. Vernacule: zondig van dien tijd aan, dat Gij mij niet bezocht, maar voort, indien enz.

118. *Si mea fata petis.* Si meam mortem appetis, cupis, et optas, si vis mihi mortis esse causa. Ut *petere* millies id dicimur, quod desideramus. Oud. V. supra ad vs. 106. Cf. vs. 200. Ep. praeced.

119. *Sed neque peccabis.* V. Argum. §. 4. Cf. vs. 79. Ep. I.

120. *Pugnat.* V. ad Ep. III. vs. 25.

121. *Quanto planguntur* etc. Feriuntur, quatiuntur, tunduntur, pelluntur. Oud. ad vs. 169. Ep. VII.

122. *Et latet* etc. Virg. « Eripiunt subito nubes coelumque diemque " s. lucem. Hubert. Aen. L. I. vs. 88.

Forsitan ad pontum mater pia venerit Helles,
Mersaque roratis nata fleatur aquis:
An mare, ab inviso privignae nomine dictum,
Vexat in aequoream versa noverca Deam?
Non favet, ut nunc est, teneris locus iste puellis.
Hac Helle periit, hac ego laedor aqua.
At tibi flammarum memori, Neptune, tuarum
Nullus erat ventis impediendus amor:
Si neque Amymone, nec, laudatissima forma,
Criminis est, Tyro, fabula vana tui;
Lucidaque Alcyone, Circeque et Alymone nata,
Et nondum nexis angue Medusa comis;

123. *Forsitan — venerit.* In significatione τοῦ *forsitan* est causa subjunctivi modi.

Ad pontum. V. van Lennep ad h. vs.

Mater pia — Helles. Pietate in filiam mota mater Helles, Nephele. V. ad vs. 137. Ep. praeced.

124. *Roratis.* Passive. V. ad vs. 97. Ep. XV. Humore lacrymarum aspersis, irrigatis. Drakenb. Instar roris guttatim defluentibus ac miscentibus se marino fluctui. Oud. Allusit, inquit Hubert., ad fabulam; quia Nephele dicitur esse mutata in nubem, quae effundit pluvias.

125. *An mare* etc. Aut alia causa, quod Ino conversa in Deam maris, nomine Leucotheën, fortasse turbavit mare; quod odit, quia nominatur a nomine privignae Helles. Hubert.

127. *Ut nunc est.* Ita tumidus, ut nunc est. Hubert. V. van Lennep ad h. vs.

129, 130. *At tibi flammarum memori* etc. Schrader ad Musaei vs. 322. Oppido venuste, inquit, Boreae in se saevienti in memoriam revocat pristinos ignes, quibus tactus in Orithyia, Nympha Attica, arserat quondam, ut adeo, cum, quid esset amor, senserat, amatori faventior esse deberet. Quae dicta variis V. Cl. probat exemplis, et h. Ovid. vs.

131. *Amymone.* V. Hygin. fab. 169. Apollod. Bibl. L. II. c. 1. §. 4. Drakenb.

132. *Tyro.* V. Hygin. fab. 57. Apollod. Op. l. L. I. c. 9. §. 8. sq. Drakenb.

Crimen est concubitus.

133. *Lucida Alcyone.* Una e Pleiadibus, ex Atlante nata. V. Hygin. fab. 157. Apollod.

Flavaque Laodice, coeloque recepta Celaeno,
Et quarum memini nomina lecta mihi.
Has certe pluresque canunt, Neptune, poëtae
Molle latus lateri composuisse tuo.
Cur igitur, toties vires expertus amoris,
Adsuetum nobis turbine claudis iter?

L. III. c. 10. §. 1. Dorn Seiffen in Onom. Poët. in v.

Circe et Alymone nata. Circe quae fuerit, nemo nescit. V. Hygin. fab. 125. Verum nullus, inquit Drakenb., memorat a Neptuno amatam fuisse ejus filiam, quam ex Alymone suscepisset. Quis autem Alymon fuerit, latet. Verisimiliter igitur Heins. legendum conjecit *Calyceque Ecatheone nata*, laudans Hygin. fab. 157. qui *Cygnum* dicit ex Calyce, *Hecatonis*, sive, ut mavult Heins., *Hecataeonis* filia natum. Calycen autem, addit Heins., *Hecataeonis* filiam adpellatam esse, ut distinguatur ab altera Calyce, Endymionis matre, filia Aeoli. V. van Lennep ad h. vs.

134. *Et nondum nexis* etc. Medusa, Gorgonis filia, ob aureos capillos a Neptuno amata et in Minervae templo stuprata, sed per iratam Pallada pro nonnullis crinibus intortos angues circa caput accepisse legitur. V. Ovid. Metam. L. IV. fab. 20. vs. 793. sq. Hygin. fab. 151. Oud. Non enim omnes comae seu totum capillitium factum est anguineum, sed tantum exteriores sive antiae et Capronae (v. Festus in vv.) quae in serpentes mutatae quasi vinxerunt et illigarunt suis spiris ac nodis reliquos capillos. Vox enim *nexus* pp. ad adhibita est de serpentibus. V. Ovid. Metam. L. III. vs. 41. Val. Flacc. L. VII. vs. 535. Oud.

135. *Laodice.* Cum plures ejusdem nominis fuerint virgines, non constat, quamnam earum compresserit Neptunus. Hubert. Drakenb.

Celaeno filia Ergeï secundum Hygin. fab. 157. Vel filia Atlantis et Pleiones soror Alcyones modo memoratae secundum Apollod. L. III. c. 10. §. 1. Quam opinionem hic secutus videtur Ovidius cum *coelo receptam* dicat: Septem enim Pleiones filiae totidem stellis nomina dedisse dicuntur. V. ad Ep. XVIII. vs. 188. Drakenb.

138. *Molle latus* etc. V. ad Ep. II. vs. 58.

140. *Turbine claudis iter. Turbo* pp. ventus est omnia in rotundum volvens. V. Ep. VII. vs. 66. Apud poëtas autem ponitur pro omni vehe-

Parce ferox; latoque mari tua proelia misce.
Seducit terras haec brevis unda duas.
Te decet aut magnas magnum jactare carinas;
Aut etiam totis classibus esse trucem.
Turpe Deo pelagi, juvenem terrere natantem:
Gloriaque est magno quolibet ista minor.
Nobilis ille quidem est, et clarus origine: sed non
A tibi suspecto ducit Ulixe genus.
Da veniam, servaque duos. natat ille: sed isdem
Corpus Leandri, spes mea, pendet aquis.

mentiori vento ac procella. V. Burm. ad h. vs. *Claudere iter* est efficere, ne iter sit pervium, quocunque modo id fiat. Drakenb.

141. *Ferox* dicitur Neptunus a natura, cui praeest.

Tua proelia misce. Ovid. Fast. L. I. El. 2. vs. 27. sq.

142. *Seducit.* Separat, discernit, dimovet. Ovid.

Brevis unda. V. ad vs. 174. Ep. XVIII. Angustum Helles fretum.

143. *Te — magnum.* Quod sis magnus, potens.

Jactare carinas. Cf. Metam. L. XIV. vs. 560. Trist. L. I. El. 2. vs. 15, 39. conll. vs. 19. sq.

144. *Aut etiam totis classibus esse trucem* s. saevum, quo magis etiam, quam carinis singulis jactandis tua magnitudo sive potentia adpareat.

145. *Turpe Deo pelagi, juvenem* etc. Cf. Virg. Aen. L. IV. vs. 93. sq.

146. *Gloriaque est magno quolibet* etc. Gloria ista est minor, quam ut quodlibet *stagnum* eam sibi acquirere velles; multo minus tu, Neptune, qui imperium in universum mare obtines. Drakenb.

147. *Nobilis ille quidem. Ille* est Leander.

148. *A tibi suspecto — Ulixe.* Ulysses enim *suspectus* sive invisus erat Neptuno, quia Cyclopem Polyphemium, filium Neptuni, visu orbavit, ob quam causam Neptunus postea Ulyssem ductibus et tempestatibus jactavit. Hygin. fab. 125. Drakenb. V. Hom. Odyss. L. IX. Vel propterea, inquit Hubert, quod scelere Ulyssis periit Palamedes, nepos Neptuni; aut, ut alii volunt, propter Pergama Neptunia, arte et dolis Ulyssis eversa. V. van Lennep ad h. vs.

149. *Servaque duos.* Leandrum et me. Hubert.

Sternuit et lumen; (posito nam scribimus illo.)
Sternuit; et nobis prospera signa dedit.
Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes;
Crasque erimus plures, inquit, et ipsa bibit.
Effice nos plures evicta per aequora lapsus,
O penitus toto corde recepte mihi.
In tua castra redi, socii desertor Amoris.
Ponuntur medio cur mea membra toro?

150. *Corpus Leandri, spes mea* s. quae est spes mea, unde omnis salutis meae spes pendet; in quo salus mea posita est. V. van Lennep ad h. vs.

Pendet aquis. V. ad vs. 52. Ep. XVIII.

151. *Sternuit et lumen.* Elegans est metaphora desumta ab homine, qui flatum e capitis exortum naribus cum quodam sono et capitis commotione emittit; nam sic saepe lucerna emittit olei vel adipis incensi scintillam cum quodam strepitu; talis autem sternutatio semper habebatur boni ominis. V. ad Prop. El. L. II. El. 2. vs. 24. Oud. van Lennep in Animadv.

153. *Eccè merum nutrix* etc. Vid. J. C. Bulengerus de prodigiis L. IV. c. 12. pag. 473. Thes. Antiq. Rom. Graev. tom. V.

Faustis — ignes sunt bene auspicati, felices, qui felix faustumque dant augurium.

Instillat. Guttatim infundit. V. Cic. de Senect. c. 11.

154. *Crasque erimus plures.* Unde scil. Leandro.

Et ipsa bibit. Hinc patere anum bibendi cupidam fuisse, quales Dipsades illae passim inducuntur, cum Oud. non dixerim. In boni ominis eventum hoc fecisse solummodo mihi videtur anus.

155. *Effice nos plures.* Cf. vs. praec.

Evicta. (Magno labore) tuis lacertis superata. Hubert. *E* praepositio vim, quae simplici inest magna, auget plurimum, victoriamque designat, quae ingenti labore est reportata.

Lapsus. Celeriter progressus. Hubert.

156. *Penitus toto* etc. Intimis medullis a me amata. Cf. A. A. L. II. vs. 407. Metam. L. IX. vs. 279. Qud. Indicat adeo Hero, se non tantum *penitus* i. e. *intimo* corde Leandrum recepisse, sed cor ipsius ita implevisse Juvenem, ut in eo alteri non sit locus. Id enim mihi *toto corde* significare videtur.

157. *In tua castra redi, socii desertor Amoris.* Eleganter duas voces, *castra, desertor*, in militia proprias, transfert ad Amo-

Quod timeas, non est auso Venus ipsa favebit.
Sternet et aequoreas, aequore nata, vias. 160
Ire libet tumidas ipsi mihi saepe per undas:
Sed solet hoc maribus tutius esse fretum.
Nam cur, hoc vectis Phryxo Phryxique sorore,
Sola dedit vastis femina nomen aquis?

rem, sub quo duce et imperatore merebat Leander. Ut de Aenea Ep. VII. vs. 32. Am L. I. El. 9. vs. 1. Oud. V. ad vs. 53. Ep. XV.

158. *Ponuntur medio cur* etc. Exsecrabile erat hoc amantibus: itaque Ovid. ipse L. II. Am. El. 10. cum malum hostibus inprecatur, optat eum dormire in vacuo lecto, et in medio toro membra ponere; ejus versus sunt:

Hostibus eveniat vacuo dormire cubili,
Et medio late ponere membra toro. Ciofan.

159. *Quod timeas, non est auso Venus ipsa favebit.* Non est causa, propter quam timeas; nam fortes adjuvat ipsa Venus., ut canit Tibullus L. I. El. 2. vs. 16.

Sternet. V. ad vs. 49. Ep. VII. *Sternere vias* est propria locutio, pro *superficiem viarum aequalem reddere. Via aequorea* est aequor, per quod laberetur Leander. V. supra vs. 155. Drakenb.

Aequore nata. V. Ep. VII. vs. 60. et Schrader ad Musaei vs. 249. pag. 326. sq.

161. *Ire libet — ipsi mihi*. Vid. vs. 194. et 97. Ep. XVIII.

Per tumidas undas i. e. etiam dum mare ventis surgit. Cf. vs. 193.

162. *Sed solet* etc. Haec rationem in se habent, quare Heroni non lubitum sit; maribus enim tutius erat fretum, cujus quidem rei mox rationem reddit.

163, 164. *Nam cur hoc vectis* etc. Cur enim, cum Phryxus et Helle per hoc mare veherentur, sola Helle cecidit, et Phryxus evasit incolumis? Hubert. (V. ad vs. 117. Ep. XVIII.) qui ad v. *vectis* observat Latinos participium praeteriti imperfecti temporis a passivo non habere, sed uti participio praeteriti perfecti. *Vectis* adeo, *cum veherentur*. Cf. vs. 143. Ep. XVIII.

164. *Sola dedit vastis* etc. Illud *vastis* mihi displicet ob. vs. 142. h. Ep. et vs. 173, 174. Ep. XVIII; quare mihi in mentem venit pro *vastis* legere *castis: castus* enim, ut Gesner. in Thes. in v. *castus* explicat, est, qui *furtis ac rapinis abstinet*

Forsitan ad reditum metuas ne tempora desint,
Aut gemini nequeas ferre laboris onus.
At nos diversi medium coëamus in aequor:
Obviaque in summis oscula demus aquis:
Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes.
Exiguum, sed plus, quam nihil, illud erit.
Vel pudor hic utinam, qui nos clam cogit amare,
Vel timidus famae cedere vellet amor!

quam adjectivi significationem, adlato Varronis l. probat. Nonne itaque *aquae* hic eo sensu *castae* dici potuerunt, quae ante Hellen rapuerant feminam neminem s. nullam; sed ab eo inde tempore *infamis fuit*. V. Ovid. Ep. XVIII. vs. 141.

165. *Forsitan* etc. Objectionem facit pro Leandro. Hubert.

166. *Gemini — laboris onus ferre* pp. dicitur. Ut autem labor *eundi* et *redeundi*, sive *geminus*, adpareret gravissimus, *laboris onus* Ovid. dicere maluit, ut et *labor* et *onus*, quo labor Leandrum veluti premeret, separatim sentirentur, quem loquendi modum a Graecis mutuati sunt Latini. V. Vechn. Op. l. L. II. c. 8.

167. *At nos diversi* (ab utraque parte) *medium* etc. Responsio, inquit Hubert., q. d. « Si hoc times, natemus ambo, et in medio mari conveniamus." Cf. supra vs. 161. h. Ep.

168. *Obviaque — oscula*. Quae sibi invicem quasi obviam eunt. *In summis — aquis*. In summitate aquarum. Hubert.

169. *Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes*. Notandum *quisque* sumi pro *uterque*. V. Lucan. L. I. vs. 127. Praeterea observandum, *iterum redire* hic simpliciter significare *reverti*; non autem *secundo* redire; nam non ante hoc *semel* jam fecerant. Plane igitur abundat *iterum*, uti A. A. L. III. vs. 63. Oud.

Ita i. e. postquam coïerimus et osculati erimus. Hubert.

170. *Plus, quam nihil*. Aliquid. Hubert.

171, 172. *Vel pudor hic utinam* etc. Sensus est: « Utinam vel palam auderem tecum exercere amorem sine ullo pudore, aut desinerem te amare, cedens famae, ejusque malum rumorem metuens. Perinde vero est, utrum *timidus famae*, in genitivo jungantur ac *cedere* sumatur pro *abire*, ut saepissime. (V. Broukh. ad Tibull. L. III. El. 6. vs. 4.) an vero *famae cedere* jungantur sive *illi impar succumbere*, ut pas-

Nunc male res junctae, calor et reverentia, pugnant.
Quid sequar in dubio est. haec decet: ille juvat.
Ut semel intravit Colchos Pagasaeus Iason;
Impositam celeri Phasida puppe tulit.
Ut semel Idaeus Lacedaemona venit adulter;
Cum praeda rediit protinus ille sua.
Tu, quam saepe petis quod amas, tam saepe relinquis:
Et quoties grave fit puppibus ire, natas.
Sic tamen, o juvenis, tumidarum victor aquarum,
Sic facito spernas, ut vereare, fretum.
Arte laboratae vincuntur ab aequore puppes:
Tu tua plus remis brachia posse putes?

sim *tempori*, *invidiae*, *fortunae cedere*. Oud.

173. *Nunc male res junctae*. Res male junctae sunt, quia sunt contrariae. Hubert.

Calor et reverentia. Amor et verecundia. *Pugnant*. Sunt inter se adversae. Hubert.

174. *Quid sequar*. Utrum sequar. Utrum obsequar amori an pudori. *Quis* enim nonnunquam ponitur pro *utro*, *uno e duobus*. V. ad Phaedri L. I. fab. 24. vs. 8. Dukerus, quem ad vs. 169. laudat Oud. in not. ad Flor. L. I. c. 10. §. 7. *Quis*, inquit, de duobus recte dicitur, uti patet ex Phaedro L. III. fab. 13. vs. 14.

Ille calor sive amor *juvat*, delectat. Hubert.

175, 176. *Ut semel intravit* etc. V. ad vs. 345, 346. Ep. XVI. Argum. Ep. XII.

177, 178. *Ut semel Idaeus*. V. Ep. V, ejusque Argum. *Adulter*. V. Ep. I. vs. 5. *seq.*

179. *Quam saepe petis*, studiose sequeris; tibi habere studes. V. ad vs. 13. Ep. VII.

180. *Grave*. Periculosum. Hubert.

182. *Sic facito spernas*. V. not. ad vs. 69. Ep. XIII. Licet conquesta sit, inquit Hubert. ad h. et superiorem vs, quod eam non abducat; hortatur tamen eum, ut ita ingrediatur mare, ut illud *vereatur* sive timeat, i. e. ut caute natet.

183, 184. *Arte laboratae*. Fabricatae, multo labore adhibito. Vid. Schol. D. Ruhnk. in Suet. pag. 331. in v. *Laboratae*. *Vincuntur* sive merguntur, seu evertuntur, inquit Oud., quia minus possunt quam fluctus, sicut tua brachia minus valent quam remi. *Vincere* iteratam ante oculos ponit pugnam fluctuum et navium. V. Lucan. L. III. vs. 564.

Quod cupis, hoc nautae metuunt, Leandre, natare.
Exitus hic fractis puppibus esse solet.
Me miseram! cupio non persuadere, quod hortor:
Sisque, precor, monitis fortior ipse meis.
Dummodo pervenias, excussaque saepe per undas
Injicias humeris brachia lassa meis.
Sed mihi, caeruleas quoties obvertor ad undas,
Nescio quae pavidum frigora pectus habent.
Nec minus hesternae confundor imagine noctis;
Quamvis est sacris illa piata meis.

185. *Quod cupis* etc. Quod tu cupis, id nautae metuunt, nempe *natare*.

186. *Exitus hic* etc. natandi spil. per mare turbatum solet esse, quando necessitas cogit, navibus fractis. Hubert. Horat. de A. P. vs. 20.

„ . . . . . « Quid hoc, si fractis
. *enatat* exspes .
Navibus."

187. *Me miseram!* etc. Ostenditur inconstantia amantis, (de qua in Argum. §. 4. dictum est); jam enim incipit hortari, ut veniat. Hubert.

Cupio non persuadere, quod hortor i. e. cupio, ut verbis meis non credas, aut pareas, quibus te hortor, ne tali mari nates. Hubert.

Quod hortor aeque latine dici atque *ad aliquid*, docuit, hoc etiam loco adducto, summus Gronovius ad Senec. Ep. 121. et Tac. Ann. L. XI. c. 3. et Graev. ad Cic. L. VII. ad Attic. Ep. 14. Burm.

188. *Monitis fortior ipse meis.* Animosior Hubert. Confidentior Drakenb., quam ego, quae te moneam, ne nates. V. Propert. L. I. El. 8. vs. 6. a Drakenb. laud. ad h. vs.

189. *Dummodo* etc. Timentis videtur esse.

Excussa. V. ad vs. 43. Ep. IV.

190. *Injicias humeris* etc. Cf. supra vs. 60, 103. et Ep. XVIII. vs. 83, 87.

191. *Obvertor* s. verto vultum meum ad mare, et illud oculis intueor. V. Metam. L. II. vs. 470. Drakenb. ad Liv. L. VI. c. 24. §. 7. Oud.

192. *Nescio quae.* Adhuc dum mihi ignota, maxima. V. ad vs. 22. Ep. I.

193. *Nec minus — confundor* etc. Dicit, se etiam terreri somnio, quod hesterna nocte somniaverat. Hubert. V. ad vs. 147. Ep. XVII. D. Ruhnkenii Scholia in Suetonii vitas Caesarum edit. a Jacobo Geel pag. 16. in v. *Confusum.*

Namque sub Aurora, jam dormitante lucerna,
(Somnia quo cerni tempore vera solent,)
Stamina de digitis cecidere, sopore remissis:
Collaque pulvino nostra ferenda dedi.
Hic ego ventosas nantem delphina per undas
Cernere non dubia sum mihi visa fide:
Quem, postquam bibulis illisit fluctus arenis,
Unda simul miserum vitaque deseruit.
Quidquid id est, timeo, nec tu mea somnia ride:
Nec nisi tranquillo brachia crede mari.

194. *Quamvis est — piata* i. e. expiata, purgata, averſa, quod pp. *procurare somnia* dicebant; ut est in not. Drakenb. ad Sil. Ital. L. VIII. vs. 20. Observa, inquit Drakenb. ad h. vs., *quamvis* hic construi cum indicativo, ut supra Ep. XVIII. vs. 50.

Sacris — meis. Sacrificio immolato, Deos placandi et precandi causa ut mala imminentia averterent. V. not. laud. ad Sil. Italicum. Drakenb.

195. *Namque sub Aurora.* Paulo ante Auroram.

Jam dormitante. V. not. ad vs. 31. Ep. XVIII.

196. *Somnia quo — vera* etc. Post mediam noctem somnia vera esse dicuntur. Ciofan. qui laudat Horat. L. I. Sat. X. vs. 33. et haec Theocriti verba

α Νυκτὸς ὁ τὲ τριτατου λάχος ἵσταται, ἐγγὺς δ' ἠὼς,
Ἐν τὲ καὶ ἀτρεκεων πτοιμαίνεται ἐθνος ὀνείρων."

Not. ad Sil. Ital. a Drakenb. cit. L. III. vs. 200.

197. *Stamina* etc. V. ad Ep. III. vs. 76.

Digitis — sopore remissis sive relaxatis, unde fila, quae nebam, delapsa sunt furtim. V. Ovid. Metam. L. IV. vs. 229. Oud.

198. *Pulvino — ferenda.* Cervicali sustinenda dedi. Hubert. Capiti pulvinar subjeci.

199. *Delphina.* V. ad Ep. XVIII. vs. 131.

200. *Cernere — visa sum.* Somniavi, me dispicere. V. ad vs. 45. Ep. XVI. Drakenb.

Non dubia — fide. Manifeste. Hubert.

201. *Bibulis.* V. ad vs. 139, 140. Ep. XVII.

Illisit fluctus. Violenter immisit et infixit. Hubert. Impegit, ejecit in vadum, unde se in altum recipere nequivit. V. Phaedr. L. II. fab. 7. vs. 12. Oud.

202. *Deseruit.* V. ad vs. 62. Ep. XIV.

Si tibi non parcis, dilectae parce puellae:
Quae numquam, nisi te sospite, sospes erit.
Spes tamen est fractis vicinae pacis in undis.
Tum placidas tuto pectore finde vias.
Interea, nanti quoniam freta pervia non sunt,
Leniat invisas litera missa moras.

203. *Quidquid id est.* V. ad vs. 71. Ep. VII.

204. *Crede mari* quasi debitori.

207. *Spes — vicinae pacis.* Maris tranquillitatis (mox futurae). V. ad vs. 205. Ep. XVIII. Drakenb.

Fractis — in undis. Cum enim undae tumidae non longo tractu provolvuntur, sed continuo franguntur, nautae aiunt, ventos longius *jam considere*, et brevi quoque tempestatem apud se desituram esse, remittente ventorum vi. Oud.

208. *Tum placidas* etc. *Via placida* est mare tranquillum per quod tuto natare poterat. Vid. vs. 23, 92. h. Ep. (V. ad Sil. Ital. L. I. vs. 11). Recte autem dixit *finde vias*, nam ita quoque navis mare *findere* dicitur. Ep. XVI. vs. 31. Drakenb.

209. *Interea, nanti* etc. V. ad vs. 5, 6. Ep. XVIII.

210. *Invisas — moras.* V. h. Ep. vs. 3, 21.

EPISTOLA XX.

ACONTIUS CYDIPPAE.

ARGUMENTUM

HUJUS ET SEQUENTIS EPISTOLAE

Oudendorpii verbis expressum.

Epistolarum harum, quae sine dubio non sunt Ovidii (quae et Burmanni et Ruhnkenii sententia est. T.) argumentum est hoc.

§. 1. Acontius ex insula Cea (e Cycladibus una) natus, nobilis et dives juvenis, profectus Delon ad celebre Dianae festum, ibi vidit pulcherrimam Cydippen, illuc eadem de causa cum matre advectas, ejusque amore captus Acontius, nec testari audens ignem suum, puellam inprovisam fecit jurare in sui matrimonium.

§. 2. Aureum enim pomum in templo Dianae, cujus statua ibi adstabat, misit ante pedes ipsius, cui pomo inscriptum erat jusjurandum, quo se ipsa Acontio uxorem spondebat. Sublato nempe pomo, (Cydippe) haec legebat verba:

« Juro tibi sanctae per mystica sacra Dianae
Me tibi venturam comitem, nuptamque futuram."

§. 3. Dolo sic superventa puella, sed per patrem alii Juveni jam desponsa, non audebat parentibus rem illam narrare; hinc destinatus erat ejus nuptiis dies, quo adveniente Cydippe in morbum incidit, ob quem differri debuerunt nuptiae, atque Acontius, hoc audito, scripsit quasi hanc epistolam.

§. 4. Cum vero bis terque in morbum recidisset, et rumor percrebuisset, Cydippen per Dianam jurasse, Deamque hinc iratam esse, pater misit Delphos ad oraculum, quod respondit, puellam non sanari posse, nisi fidem servet; quare Cydippe illud post multas ambages ac fictas querelas amatori suo rescripsit, atque ei nupsit.

Hunc amorem singulari carmine descripsit Callimachus, quod Cydippen vocavit. Vid. Ovid. in Remed. vs. 381. et fragmenta

Callimachi. Descripsit quoque Aristaenetus L. I. Ep. 10. Huc pertinet quoque Ovid. L. A. A. L. I. vs. 458. et Antoninus Liberalis Metam. c. 1. Hisce praemissis facilior erit harum epistolarum, quae adhuc admodum corruptae sunt (plurimis in locis foede depravatae sunt, ut ait Heinsius), intellectus. Oud. Ovidio hasce quoque abjudicat P. Burm. Sec. ad Lotich. I. V. El. 13. vs. 17. Arntzen. ad Arator. init. — Sabino illas tribuit Scaliger. V. van Lennep ad hasce Ep. praef.

Pone metum: nihil hic iterum jurabis amanti.
Promissam satis est te semel esse mihi.
Perlege: discedat sic corpore languor ab isto,
Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.
Quid pudor ora subit? nam, sicut in aede Dianae,
Suspicor ingenuas erubuisse genas.

Vs. 1. *Pone metum.* Cf. vs. 68. Ep. XVI. Metum deponere Acontius Cydippen jubet, ne timeat literas perlegere, prioris fraudis memor. V. Argum. §. 2.

Nihil hic iterum. V. d. §. *Nihil.* Omnino non.

3. *Discedat sic.* V. ad Ep. III. vs. 135.

Languor. Morbus. V. Argum. §. 4. *Corpore isto s. tuo.* Hubert.

4. *Qui meus est, ulla parte dolente, dolor.* V. van Lennep V. Cl. ad h. vs. Mihi adridet Bern. Cod. scriptura quam adnotavit Burm. *illa.*

Qui meus est, illa parte dolente, dolor.

Ad verba *illa parte* ex praeced. *meus* adsumendum est *mei*, quae suavis est *syllepsis.* V. Cort. ad Cic. ad Div. L. IV. Ep. 13. nº. 18. Cydippen *partem sui* dixit Acontius, quemadmodum Theseum Ariadne in illo,

Perfide, pars nostri, lectule, major ubi est?

Ep. X. vs. 58. Sensus est. «Qui dolor, cum pars mei doleat, ad me non potest non pertinere.» Nullus, inquit Ruhnk., in vulgata lectione sensus. Legendum ex MSS. *« qui meus est, ulla parte dolente tui.* Hoc sensu: Tantus meus erga te amor est, ut, quoties ulla corporis tui pars dolet, ipse quoque doleam.

5. *Quid pudor ora subit,* Quare (cf. vs. 38. Ep. XVIII.) pudor faciem occupat et erubescis. V. Ovid. Trist. L. IV. El. 3. vs. 50. Oud. Recte autem Ovid.

Conjugium pactamque fidem, non crimina, posco:
Debitus ut conjux, non ut adulter, amo.
Verba licet repetas, quae demtus ab arbore foetus
Pertulit ad castas, me jaciente, manus;
Invenies illic id te spondere, quod opto:
Te potius, virgo, quam meminisse Deam.

dixit *pudor ora subit.* Rubor enim, signum pudoris, praecipue in ore conspicitur. Hinc pudor dicitur *errare in ore roseo* Val. Flacc. L. VI. vs. 674. et *ora decere* Ovid. Am. L. I. El. 8. vs. 35. Drakenb.

Nam, inquit Tursell. in v., saepe transitioni servit sine ulla causae significatione, membrum membro conglutinans. Valet hic idem, quod *autem*.

Sicut in aede Dianae. V. Argum. §. 2.

7. *Conjugium, pactamque fidem.* Cf. vs. 41. Ep. VI.

Non crimina. Stuprum. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. VI. vs. 634.

8. *Debitus.* A fatis tibi destinatus conjux, quem conjugem evitare nequis, quia fatis decretum est, ut te uxorem ducam. V. Val. Flacc. L. V. vs. 21. ibiq. vid. Burm. Drakenb.

Non ut adulter. V. supra ad v. *crimina*.

9. *Verba licet* etc. (Licitum est tibi) *repetas* memoria, referas in memoriam, ut Drakenb, qui laudat vs. 277. Ep. XVI. et Heins. ad Ep. V. vs. 113.

Demtus ab arbore foetus. V. Argum. §. 2.

10. *Me jaciente.* V. Argum. §. d.

11. *Invenies illic* etc. Fieri potest, inquit van Lennep in Animadv. ad vs. 13., ut nonnulla ante hunc versum exciderint. Sed toto emblemate facile carebimus. M. Joh. Chr. Jahn Jahrbücher für Philol. und Paedagog. censet versus, quos citat van Lennep, desiderari non posse, atque ita correctos inseri debere

Invenies illic, id te spondere, quod opto:
Ni tibi cum verbis excidit illa fides.
Id metui, ut Divae diffusa est ira; decebat
Te potius, virgo, quam meminisse Deam.

Nunc quoque idem timeo, etc. Hujus vero sententiae diversitatis mentionem utpote a scopo, quem hisce edendis Ovidii literis ferire conor, alienam fecissem nullam, nisi in Edit. Basil. an. 1549. eosdem versus, typis ita excusos reperissem ut Jahn volebat.

Invenies illic. In pomo. Hubert.

Nunc quoque idem timeo: sed idem tamen acrius illud
Adsumsit vires: auctaque flamma mora est;
Quique fuit numquam parvus, nunc tempore longo,
Et spe, quam dederas tu mihi, crevit amor.
Spem mihi tu dederas: meus hic tibi credidit ardor,
Non potes hoc factum teste negare Dea.
Adfuit, et praesens, ut erant, tua verba notavit:
Et visa est mota dicta probasse coma.

Id te spondere quod opto etc. In vs. seq. Scil. te futuram sponsam meam, quod velim te potius meminisse, quam Deam, Dianam, quae memor illius promissionis, quam non praestas, inmittit tibi morbum.

12. *Te potius* etc. Te potius memorem futuram jurisjurandi, quam ut Diana neglecti jurisjurandi memor sit. Peculiarem autem habet τὸ *meminisse*, cum de Diana dicatur, *ulciscendi* significationem. Vid. Val. Flacc. L. I. vs. 773, ubi vid. Interpret. Contra *oblivisci* est deponere animum ulciscendi. Ruhnk.

15. *Nunc quoque idem timeo.* Nempe, ut ait van Lennep ad h. vs., quod timebam ante spem a te mihi datam, ne tu amori meo non respondeas, ne repulsam a te patiar. Eum, addit V. Cl., loci sensum esse clare ostendunt sequentia.

Sed idem tamen acrius illud. Idem illud, inquit van Lennep, dictum est, ut *hoc Pene* vs. 180. Ep. XVIII. Ejusdem, ac van Lennep, sententiae est Drakenb. ad vs. laud. Sed idem illud, quod timeo, *acrius* sive *vehementius*, vehementiores, majores vires adsumsit, ut plurimum auctum est.

15. *Quique fuit numquam parvus, vel tempore longo.* Haec est lect. Edit. Basil. 1549. secundum quam verba *vel tempore longo* inserviunt explicationi τοῦ *nunquam*: ut sit *nunquam, quam longum etiam illud tempus fuerit.* Aptior tamen, et multo gravior, naturaeque amoris convenientior mihi videtur lectio, quam post Burm. excudi jussit van Lennep; quo enim diuturnior est rei amatae, cujus adquisitio nobis difficilis redditur, amor ac desiderium, eo major evadere amor solet, praesertim si illa, ut h. in l., jurejurando nostram sponsam futuram adfirmaverit, atque adeo aliunde, quam a re amata, impedimenta objici nobis videantur. Vid. vs. 16. Argum. §. 2.

17. *Ardor*, Flamma, vehemens amor.

19. *Ut erant, tua verba.* V.

Deceptam dicas nostra te fraude licebit:
Dum fraudis nostrae caussa feratur amor:
Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi jungerer uni?
Id me, quod quereris, conciliare potest.
Non ego natura, nec sum tam callidus usu:
Sollertem tu me, (crede) puella, facis.
Te mihi compositis (si quid tamen egimus) a me
Adstrinxit verbis ingeniosus Amor.

Argum. §. 2. Cf. vs. 119. Ep. XVI. a Drakenb. laud.

20. *Mota — probasse coma.* Capite moto, in signum consentientis. Hubert. Cf. Ovid. Fast. L. II. vs. 846. Oud. Liv. L. IV. c. 22. Drakenb.

21. *Deceptam dicas* etc. V. Argum. §. 2.

22. *Dum — caussa feratur amor.* Dum modo dicar, tantummodo *propter amorem* te decepisse. Hubert. in not., in qua perperam legitur *accepisse.*

23. *Petiit.* V. ad vs. 179. Ep. XIX. *Quo.* V. ad vs. 37. Ep. XVII. V. van Lennep ad h. vs.

24. *Id me, quod quereris.* Quam rem tu quereris, illa; sive, haec fraus, de qua tu quereris, potest nos conciliare; quia potest intelligi, quod fuit solum ex amore. Hubert. Id *potest conciliare*, inquit Drakenb., est: potest efficere, ut nuptias tecum contrahiam et me maritum adsciscas. Ita Ovid. Am. L. I. El. 13. vs. 42. Val. Flacc. L. III. vs. 496.

25. *Callidus usu.* Eleganter, nam rebus utendo, easque tractando manus callum contrahunt. Experientia probe edoctus. V. Ep. VII. vs. 179.

Sollertem tu me — facis i. e. industrium et ingeniosum. Non experientia adeo, sed propter amorem tuum. Hubert.

26. *Crede.* V. Ep. III. vs. 130. Drakenb.

27. *Te mihi* (a me) *compositis* (*si quid tamen egimus*) *a me.* Languet, si quid quam aliud, inquit Loers. Offendit etiam propter sequentia *Dictatis ab eo.* Repudiato Puteani *a me*, restituamus omnium fere Codd et veterum Edd. lectionem *si quid tamen egimus arte* et planissimam habebimus sententiam. *Arte* est *artificiose* et respicit ad vs. 25. Quamquam in eo Loersio consentiam, ut *arte* legendum putem, parenthesi tamen *si quid tamen egimus* includerem, atque *arte* non sexti casus nomen crederem, sed adverbium, quod vulgo *arcte* scribere solent. *Artius* enim ex ipso Cicerone atque ex Horatio satis notum est.

Si quid tamen egimus. Si

Dictatis ab eo feci sponsalia verbis:
Consultoque fui juris Amore vafer.
Sit fraus huic nomen facto, dicarque dolosus:
(Si tamen est, quod ames velle tenere, dolus.)
En iterum scribo, mittoque rogantia verba.
Altera fraus haec est: quodque queraris, habes.

quaedam hac in re meae partes fuerunt, eae erant, ut verba componerem, quae amor dictabat *ingeniosus*, ab effectu, ut ait Hubert., ita dictus.

29. *Feci sponsalia.* Secundum Jurisconsultos *sponsalia* sunt mentio et repromissio futurarum nuptiarum. Hubert.

In *dictatis ab eo.* Numeros Ovidii non agnoscit van Lennep ad h. vs.; nec magis sermonem in *feci sponsalia.* Totum distichon longe remotum Illi videtur a Nasonis elegantia etc.

Dictatis ab eo — verbis. Ovid. eo respicit, quod apud Romanos omnibus formulis solennibus concipiendis adhibebantur Jurisconsulti, ne uno verbo errantibus infinita litium materies nasceretur. Acontius ad eo dicit, se concipiendis sponsalibus, quibus Cydippes sibi pactus est amorem, vs. 30. Amorem tanquam Jurisconsultum adhibuisse; nam *consulto juris* ponit pro *jurisconsulto*, juris perito, prudenti; ut apud Liv. L. X. c. 22. simpliciter *consultus* pro jurisconsulto. Ovid. A. A. L. I. vs. 83. et Heins. ad h. vs. Drakenb. Eodem modo Loers in d. spec. interpretatus est vs. 30. cum, praeter alia, scribat « mirum quid venustatis atque festivitatis h. vs. habere *Amore jurisconsulto* (*juris* est *rerum Sponsalium*) *vafer fui.* De v. *vafer* delegat lectorem ad Heindorf. ad Horat. Sat. L. I. Sat. 5. vs. 130. Melius est, inquit Ruhnk., vocem *juris* cum *vafer*, quam cum *consulto*, construere. *Vafer juris* est peritus juris. V. Cic. de Nat. Deor. L. I. c. 15. Interpret. ad h. l. Ern. in Cl. Cic. in v. *vafer.*

31. *Sit fraus huic nomen facto.* Fraus sit nomen huic facto i. e. hoc factum nominetur fraus. Hubert.

32. *Si tamen* etc. Quasi correctio, inquit Hubert., q. d. cum potius sit virtus, quam dolus *velle tenere*, *quod ames.*

Si tamen correctioni inservire docet Turnell. in v. *tamen.*

33. *En iterum scribo, mittoque rogantia verba.* Versus hic, inquit van Lennep ad h. vs., haud sententia minus, quam dictione languet.

34. *Altera fraus haec est*

Si noceo quod amo; fateor, sine fine nocebo: 35
Teque petam; caveas tu licet ipsa peti.
Per gladios alii placitas rapuere puellas.
Scripta mihi caute litera crimen erit?
Dì faciant, possim plures imponere nodos,
Ut tua sit nulla libera parte fides! 40

etc. Nec satis intelligo, inquit idem ille. V. Cl., quomodo in h. vs. *fraudem* Acontius vocet, quod Cydippae verba mittat rogantia, aut quomodo fraudis haec confessio cum exordio Epistolae conveniat. Versus autem 35. Ovidio non est indignus.

35. *Si noceo, quod amo* scil. te.

Fateor, sine fine nocebo. Quia numquam desinam te amare. Hubert.

36. *Caveas tu licet ipsa peti.* Van Lennep mavult pro *ipsa* scribere *usque*. Quare hoc malit, vid. in Animadv. ad h. vs., quam finit adfirmando « Sequentia quin Ovidii sint, nullus dubito" Ovidii verba ita interpretatur Ruhnk. « Licet caveas, ne petaris" Cavere cum infinitivo etiam alii construunt. Sallust. in Iug. c. 64. Virg. Ecl. IX. vs 25.

Cavere verbum juridicis proprium, quibus ideo in ore est « Abundans cautela non nocet." Oud. Verborum sensus est « Te mihi uxorem petere studebo, quamvis tu Jurisconsulti instar *usque* i. e. indesinenter tibi tanquam consultori rationem praescribas, qua rem tuam pejorem reddere evites i. e. h. l. qua provideas, ne ego te praeter opinionem in matrimonium petam.

37, 38. *Per gladios* etc. Arguit a majore ad minus. Si enim licet aliis rapere puellas bello et pugnare *armis*, ut eas habeant: dicit sibi non fore crimen, si *scriptis* voluerit puellam habere. Hubert.

Placitas — puellas i. e. quae placuerunt. Hubert.

38. *Scripta — caute litera.* Cf. vs. 23. h. Eh.

Crimen. V. ad Ep. XI. vs. 51.

39. *Di faciant.* V. not. Hubert. ad vs. 66. Ep. II.

Plures imponere nodos, sive potius *tibi ponere nodos*, sive retia, ut vs. 45. h. Ep., et fallacias tendere, quibus te implicarem, tuamque fidem ita adstringerem, ut nequaquam te expedire vel exsolvere possis. Sic passim *ponere casses, retia alicui* dicitur. Aliud vero est *imponere nodos* vs. 135. Ep. IV. Oud. V. not. ad d. vs.

40. *Ut tua sit nulla* etc. Ut

Mille doli restant: clivo sudamus in imo.
Ardor inexpertum nil sinet esse meus.
Sit dubium, possisne capi: captabere certe.
Exitus in Dis est: sed capiere tamen.
Ut partem effugias, non omnia retia falles: 45
Quae tibi, quam credis, plura tetendit Amor.
Si non proficiant artes, veniemus ad arma:
Inque tui cupido rapta ferere sinu.

non possis effugere, quin sis mea. Hubert.

41. *Clivo sudamus in imo.* Proverbialis est locutio *in imo, medio, summo clivo laborare, anhelare, deficere*, de initio, progressu, et fine cujuscunque laboris, desumta a viatore, montem adscendere enitente. V. Ovid. Rem. Aen. vs. 394. Prop. L. I. El. 13. vs. 8. Senec. Ep. 92. pag. 586. A. Edit. Lips. Petron. Satyric. cap. 47. Scheffer et Burm. ad h. l. Oud.

42. *Ardor* etc. faciet me omnia experiri. Hubert. Cf. supra vs. 35. sq.

43. *Captabere certe.* V. ad vs. 262. Ep. XVII.

Capi, captabere, capiere. De Ovidiano idem verbum repetendi more supra dictum est.

44. *Exitus in Dis est*, a Deorum voluntate pendet, ut Graeci ἐν θεῷ εἶναι vel ἐν θεῶν γούνασι κεῖσθαι. Hom. Il. L. XIII. vs. 514. Oud. In Deorum potestate est talem exitum dare, qualem velint. Pindarum ita locutum esse in Olympion. Od. XIII. vs. 147. monuit Heins.

. . . . . ἐν θεῷ γεμὰν
Τέλος.

Drakenb.

45. *Non omnia retia falles.* Vid. vs. 39, 40. h. Ep.

46. *Quam tibi, quam credis, plura, tetendit Amor* i. e. plura retia, quam credis tibi posita esse. V. ad vs. 39. h. Ep. et Ovid. Am. L. I. El. 8. vs. 69. a Drakenb. laud.

47. *Proficiant*, succedant, juvent, prosint.

48. *Inque tui cupido. Tui* recte dici potest, inquit Loers d. spec., ut transferatur cupiditas a *persona* ad *sinum*, quâ translatione nihil apud Poëtas est frequentius, eamque lectionem si majori, quam unius et ejusdem in h. l. corrupti Codicis Puteani auctoritate niteretur, certe praeferrem. Cod. Trev. *meo cupido*. Qui plura his desideret, adeat Heins. ad h. vs.

Cupido. V. ad vs. 90. Ep. XVIII.

Ferere. Auferere. van Lennep ad h. vs.

Non sum, qui soleam Paridis reprehendere factum:
Nec quemquam, qui vir, possit ut esse, fuit. 50
Nos quoque: sed taceo. mors hujus poena rapinae
Ut sit, erit, quam te non habuisse, minor.
Aut esses formosa minus, peterere modeste.
Audaces facie cogimur esse tua.
Tu facis hoc, oculique tui: quibus ignea cedunt 55
Sidera; qui flammae caussa fuere meae.

49. *Non sum.* Non is mihi est animus, non eo sum ingenio. V. Vorst. de Latinitate falso suspecta c. 5. Oud. Dicit Acontius, sibi placere eos, qui ausi sunt rapere eas, quas amaverunt. Hubert.

50. *Qui vir, possit ut esse, fuit.* Qui fortis et audax fuit, ut possit esse vir. Hubert. Ludit Ovid. in duplici vocis *vir* sensu; nam sententia est: qui fortiter, et, ut virum decet, se gessit, ut, possit esse maritus. Oud. V. Ovid. Ep. XIII. vs. 50. Ep. XVII. vs. 165. Ep. VI. vs. 111.

51. *Nos quoque* scil. te rapiemus, per elegantissimam aposiopesin in minis ac querelis familiarem. V. Ep. XII. vs. 207. Ad Sil. Ital. L. IX. vs. 55. Oud. Not. ad Ep. XII. vs. 1. Indicare, inquit Drakenb., voluit Acontius, se Cydippen vi rapturum, si arte in amorem suum pellicere nequeat; id enim indicant sequentia.

Mors hujus poena rapinae ut sit etc. *Ut sit* hic ponitur pro *licet sit*. V. Ep. I. vs. 116. Sensus autem verborum est: Licet mors mihi poena futura sit, quia te rapui; illa tamen poena minus gravis videbitur, quam foret, si te uxorem ducere non possem. Drakenb.

53. *Aut esses* etc. i. e. si esses minus pulchra, modeste te peterem, non autem ita ardenter et audacter. Hubert. V. Burm. ad Phaedr. L. II. fab. 1. vs. 10.

54. *Facie.* V. Ep. XVI. vs. 140. Tanta est tuae pulcritudinis vis atque efficacitas, ut omnia audere cogamur, quibus te uxore potiamur.

55. *Tu facis hoc, oculique tui.* V. Not. ad vs. 31. Ep. XL. Musaeus, Hero et Leander vs. 94. Ὀφθαλμὸς δ' ὁδὸς ἐστὶν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
Κάλλος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.
V. Theocrit. Idyll. I. vs. 76. sq. Schrader ad Musaeum c. 9. pag. 190. ad vs. 64.

Quibus ignea cedunt sidera. Ut inferior superiori de via cedere solet. *Cedunt* adeo est is-

Hoc flavi faciunt crines, et eburnea cervix;
Quaeque, precor, veniant in mea colla manus:
Et decor, et vultus sine rusticitate pudentes;
Et, Thetidi quales vix rear esse, pedes; 60
Cetera si possem laudare, beatior essem:
Nec dubito, totum quin sibi par sit opus.
Hac ego compulsus, non est mirabile, forma
Si pignus volui vocis habere tuae.
Denique, dum captam tu te cogare fateri, 65
Insidiis esto capta puella meis.

feriora sunt. V. Ovid. Metam. L. I. fab. 9. vs. 498. eq.

56. *Flammae.* V. Ep. XVI. vs. 27.

57. *Hoc flavi faciunt crines* etc. V. Schrader ad Musaeum pag. 219. not. ad vs. 11. Ep. XII.

58. *Veniant in mea colla.* Vid. vs. 103. Ep. XIX. *colla* vs. 190.

59. *Sine rusticitate pudentes.* V. ad Ep. I. vs. 77.

60. *Thetidi — pedes.* Quae Thetis ab Homero Il. L. I. vs. 538. ἀργυρόπεζα vocatur. Cum Graecae feminae nudis, praeter soleas, incederent pedibus, aliter fieri non poterat, quin teneri et candidi pedes aestimarentur maxime. Vid. J. H. J. Köppen Erklär. Anmerk. zum Homer. ad d. Hom. vs.

61. *Cetera si possem* etc. i. e. si matrimonio junctus jam tecum essem, multo majore fruerer felicitate, quam hoc tempore.

62. *Nec dubito, totum quin sibi par sit opus* s. tota tui corporis forma sit omnibus membris aeque sibi congruens, concinna ac pulcherrima. Quod Phantasiae ludibrio decepti ea, quae latent, apertis pulcriora nobis fingere solemus, ut apud Ovidium Apollo, Met. L. I. vs. 500. „Si qua latent, meliora putat."

63. *Hac ego compulsus* etc. Cf. supra vs. 54.

64. *Pignus — vocis. Pignus rei* vocatur, quod datum est in fidem et argumentum rei. Ita *pignus amoris* Ep. IV. vs. 100. *Pignus conjugii* Ep. IX. vs. 150. Verum eo sensu hic capi nequit; sed *pignus vocis* ponitur pro *voce*, quae est *pignus*. Drakenb. Graecorum haec est imitatio. V. Vechn. Hellenol. L. II. c. 8.

65. *Denique.* Ut brevis sim, ut paucis dicam. V. ad Ep. I. vs. 21.

65, 66. *Dum captam* etc. Concedit Acontius, ut sibi de-

Invidiam patiar: passo sua praemia dentur.
Cur suus a tanto crimine fructus abest?
Hesionen Telamon, Briseïda cepit Achilles:
Utraque victorem victa secuta suum.
Quamlibet accuses, et sis irata licebit:
Irata liceat dum mihi posse frui.
Idem, qui facimus, factam tenuabimus iram.
Copia placandae sit modo parva tui.

decori vertatur, puellam insidiis suis captam esse, dummodo Cydippe fateatur, se esse illam puellam, quae non modo insidiis tentata, verum etiam capta sit. Mulierem decipere dedecori habitum fuisse patet ex Ep. II. vs. 63 et 74. Drakenb. V. Virg. Aen. L. IV. vs. 382.

67. *Invidiam patiar.* Drakenb. intelligit particulam *si*. Equidem malim verbum *licet* subaudire. Ut sit: Invidiam captae per insidias puellae mihi lubens contrahiam, modo mihi, qui aliorum in me invidiam excitaverim, ea praemia concedantur, quae mihi passo debentur, modo *matrimonium tecum ineam*. In v. *passo* repetendam esse vocem *invidiam* ad h. vs. observat Ruhnk.

68. *Cur suus fructus* etc. Cur fructus, praemia, quae *ex tanto crimine* (V. supra ad vs. 65, 66), ex decepta puella, exsistunt, equidem non fero, percipio?

69. *Hesionen Telamon.* Hanc enim Laomedontis Trojani regis filiam, bello primo Trojano captam, Hercules comiti Telamoni dono dedit, unde Teucer natus est; ut ait Hygin. fab. 89. Apollod. Biblioth. L. II. c. 6. §. 4. Ovid. Metam. L. XI. fab. 6. Oud.

Briseïda — Achilles. V. Argum. Ep. III.

71. *Quamlibet.* Quantum libet. V. ad Phaedri fab. 25. L. I. vs. 6.

72. *Irata liceat dum* etc. Dummodo te ita iratam habere liceat. Hubert. In v. *frui* voluptatis inesse notionem nemo nescit.

73. *Idem, qui facimus.* Idem, qui iram excitamus, *factam* sive excitatam *tenuabimus*, tenuem, parvam reddemus, minuemus. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XIII. vs. 287.

74. *Copia placandae — tui.* Facultas tui (Cydippes) placandae. Sic ait, inquit Oud., non *placandi*, quia *tui* genitivus pronominis *tu* substantive ponitur. Errant V. V. D. D. qui *placandi* substituunt, quod rectum foret, si ad virum esset

Ante tuos flentem liceat consistere vultus;
Et liceat lacrimis addere verba suis:
Utque solent famuli, cum verbera saeva verentur,
Tendere submissas ad tua crura manus.
Ignoras tua jura: voca. cur arguor absens?
Jamdudum dominae more venire jube.
Ipsa meos scindas licet imperiosa capillos,
Oraque sint digitis livida facta tuis;

serme, neque enim antique gerundium (Poëta) junxit cum casu genitivo, ut obvium est in Terentio, V. Periz. ad L. I. c. 2. n°. 27. Minervae Sanctii. Burm. ad h. l. scribit, Periz. ad Sanct. Minerv. L. III. c. 9. n°. 18, docuisse, utrumque *placandi* et *placandae* recte dici posse.

75. *Ante tuos flentem* etc. Observandus, inquit Oud., accusativus cum infinitivo pro dativo. V. Terent. Act. IV. sc. 2. vs. 5.

76. *Et liceat lacrimis addere verba suis.* Lege, inquit Loers d. spec., cum omnibus fere Codd. et vet. Edd. *meis*. Talis est loci constructio «dum mihi liceat irata frui — liceat me (propter quod praecessit *mihi*) flentem ante tuos oculos consistere, et liceat (mihi) lacrimis *meis* addere verba. — *Suis* quidem probari possit, ita ut non, quod Heins. putabat, referatur ad *verba*; sed ad *flentem*, ut *flentem* de tertia persona dictum intelligatur."

77, 78. *Utque solent* etc. Pendent etiam haec ab antecedente *liceat*. Est enim ordo: Et liceat mihi tendere submissas manus ad tua crura, ut famuli solent, cum etc. V. van Lennep ad h. vs.

78. *Ad tua crura.* V. ad Ep. II. vs. 31.

Submissae — manus humiles sunt, sive subplicantes. Parti enim tribuere poëtas, quod toti proprium sit, res est notissima.

79. *Ignoras tua jura: voca.* V. ad vs. 99 et 154. Ep. III.

Cur arguor absens? Damnare enim, parte non citata, injustum est. Hubert.

81. *Ipsa* (tuis ipsa manibus) *meos scindas* etc. i. e. evellas. V. Saxe ad Ep. III. vs. 79. Böttiger in Sabina.

Imperiosa. Adjectivi terminatio in *osus* per se *copiam* notat. Hinc, ut observat Drakenb. ad h. vs., *imperiosi* vocantur, qui potestate in servos abutuntur, iisque crudelius imperant.

82. *Digitis livida facta* per inpressas plagarum notas. In quibusdam MSS. est *aspera*,

Omnia perpetiar: tantum fortasse timebo,
Corpore laedatur ne manus ista meo.
Sed neque compedibus, neo me compesce catenis:
Servabor firmo vinctus amore tui.
Cum bene se, quantumque volet, satiaverit ira:
Ipsa tibi dices: Quam patienter amat!
Ipsa tibi dices, ubi videris omnia ferre;
Tam bene qui servit, serviat iste mihi.
Nunc reus infelix absens agor: et mea, cum sit
Optima, non ullo caussa tuente perit.
Hoc quoque, quod jus est, sit scriptum injuria nostrum:
Quod de me solo nempe queraris, habes.

sectione scil. unguium; quare utrumque bene dicitur.

83, 84. *Tantum fortasse timebo.* Solus fortasse hic in me erit timor, ne manus *ista* (quae me pulsat), tua adeo, laedatur meo corpore, i. e. ne fortasse noceas tibi, et laedas tuas manus me verberando. Hubert. Vide, quam tecte vehementissimum in Cydippen etiam in se saevientem significet amorem Acontius!

86. *Servabor firmo* etc. Non opus est, me vinciri; non enim aufugiam, satis tibi vinctus firmissimo amoris vinculo. Oud.

87. *Cum bene se — satiaverit ira. Bene* i. e. *valde.* V. Tursell. in v. *Se sàtiare* pp. est animantium. Cf. Ovid. Trist. L. III. El. 8. vs. 19 et vs. 67. Ep. XV.

88. *Ipsa tibi dices* i. e. ultro tibi dices, *quam patienter amat*, qui servit, qui praestat servitutem tam patienter, ut ait Hubert. Alio sensu *patienter* usurpavit Ovid. Ep. XIX. vs. 4.

89. *Ubi videris omnia ferre.* Ubi tu videris, me omnia pati.

90. *Tam bene* etc. Iste, qui tam bene servit etc.

91. *Nunc reus — absens agor.* V. ad vs. 79. h. Ep. et ad vs. 120. Ep. XIV.

92. *Non ullo — tuente.* Nullo defendente.

Mea, cum sit optima, causa perit. Condemnor in causa justissima. In judicio superior, inquit Drakenb., contrario sensu dicitur, *vincere causam, tenere causam.* V. Ep. XVI. vs. 76. Ep. XVII. vs. 244.

93. *Hoc quoque, quod jus est.* Oud. ad vs. 351. Ep. XVI. corrigit *quod tu vis.* V. not. ad vs. laud. In vulgari lectione adquiescit Drakenb, qui h. vs. h. modo explicat atque expo-

Non meruit falli mecum quoque Delia. si non
Vis mihi promissum reddere, redde Deae.
Adfuit et vidit, cum tu decepta rubebas:
Et vocem memori condidit aure tuam.
Omina re careant. nihil est violentius illa,
Cum sua, quod nolim, numina laesa videt.
Testis erit Calydonis aper. nam scimus, ut illo
Sit magis in natum saeva reperta parens.

nit « Demus, (*hoc nostrum scriptum*) jusjurandum illud in pomo scriptum, in quo tamen nihil nisi jus est, injuriam esse a nobis profectam. Consentit van Leunep in Animadv. ad h. vs.

94. *Quod de me solo* etc. Ergo de nullo queri potes, quam de me; et nihil meruit Diana, testis invocata, ut eam fallas. Drakenb.

95. *Non meruit* etc. Vidd. proxime antecedentia. *Delia.* V. ad vs. 40. Ep. IV. *Falli* dicuntur Dii, cum jusjurandum eorum numine interposito factum rumpitur. Drakenb.

96. *Redde Deae*, quam testem adduxisti. Hubert.

97. *Adfuit et vidit.* V. Argum. h. Ep. §. 2. *Decepta rubebas*, quod decepta eras.

98. *Et vocem memori condidit aure*, hausit non tantum, verum et alta mente repostam servat vocem tuam, punitura te, nisi praestes datam sibi fidem. Sic saepe dicimur *condere animo*, et *in animum*, quae memoriae imprimimus. Ovid. Vid. vs. 18. h. Ep. *Auris* enim, ut observat Drakenb., dicata erat *memoriae*. V. not. ad vs. 31. Ep. II.

99. *Omina re careant.* Auguria de ejus violentia effectu careant. Ferret Acontius Cydippen, commemorans ei Dianae saevitiam in vindicando se. Hubert. Omnia quippe tentat amans, ut tandem aliquando inveniat, quo Cydippes animus moveatur.

100. *Quod nolim.* Frequens est formula in avertendo omine. V. Passerat. ad Propert. L. I. El. 7. vs. 16. Ovid. *Sua numina.* Divinam suam majestatem.,

101, 102. *Testis* etc. V. Ovid. Metam. L. VIII. fab. 4. Hygin. fab. 174. van Lennep ad h. vs.

102. *Parens.* Althaea, quam pietate inpiam fuisse alio l. canit. Ovid. V. ad vs. 92. Ep. III.

103. *Testis et Actaeon.* V. Ovid. Metam. L. III. fab. 2. Hygin. fab. 181. Apoll. Bibl. L. III. c. 4. §. 4. Dorn Seiffen Op. l. ...*Quondam — creditus illis.* Olim

Testis et Actaeon, quondam fera creditus illis,
Ipse dedit leto cum quibus ante feras:
Quaeque superba parens, saxo per corpus oborto,
Nunc quoque Mygdonia flebilis exstat humo.
Hei mihi, Cydippe! timeo tibi dicere verum,
Ne videar caussa falsa monere mea;
Dicendum tamen est: hoc est, (mihi crede) quod aegra
Ipso nubendi tempore saepe jaces.

cervus habitus ab illis canibus, quibuscum, ut vs. seq. legitur, ipse antea feras interfecerat.

105. *Quaeque superba parens.* Et illa parens, Niobe, quae, ut ait Drakenb., liberorum numero superbiens se praetulit Latonae, Apollinis et Dianae matri.

Saxo per corpus oborto. Toto corpore per partes in saxum dirigente. Ovid Metam. L. VI. fab. 3. vs. 303. seq.

. . . . . Nullos movet aura capillos.
In vultu color est sine sanguine: lumina moestis
Stant immota genis: nihil est in imagine vivi.
Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat, et venae desistunt posse moveri.
Nec flecti cervix, nec brachia reddere gestus,
Nec pes ire potest: intra quoque viscera saxum est.

V. Hygin. fab. 9. Apollod. L. III. c. 5. § 6.

106. *Mygdonia.* Pro Phrygia in genere ponitur; statua enim Niobes olim exstitisse dicitur in monte Sipylo. Drakenb. V. Pausan. in Atticis c. 21. aliique auctores cit. ad Propert. El. L. II. El. 16. vs. 7. Dorn Seiffen in v. *Mygdonia.*

Flebilis pro *flente* et *moesta* poni videtur, inquit Burm. ad Ovid. Am. L. III. El. 6. vs. 68.

108. *Caussa falsa monere mea.* Ut mihi soli, neque etiam tibi prosim, nec verum dem consilium. Oud. Cum in permultis Codd., ut monet Burm. ad h. l., legatur *movere* hoc illi praeferrem; ut sit *falsa movere*, quasi vitam et motum falsis dare, ciere, fingere, quod dicentis animo mihi multo videtur aptius.

109, 110. *Dicendum tamen est; hoc est, (mihi crede)* etc. O Cydippe! Quod tu jaces saepe aegra ipso tempore nubendi, *hoc est*, haec est causa, (mihi crede), Dea ipsa hac ratione tibi consulere conatur. *Consulit ipsa tibi*, ut legitur vs. seq.

110. *Saepe jaces.* V. Ep. XXI. vs. 157. conl. h. Ep. vs. 113.

Consulit ipsa tibi; neu sis perjura laborat;
Et salvam salva te cupit esse fide.
Inde fit, ut, quoties existere perfida tentas,
Peccatum toties corrigat illa tuum.
Parce movere feros animosae Virginis arcus: 115
Mitis adhuc fieri, si patiare, potest.
Parce, precor, teneros corrumpere febribus artus:
Servetur facies ista fruenda mihi.

Jacere. Decumbere, aegrotare, morbo conflictari, cubare. V. Vorst. de Latin. falso suspecta c. 27. pag. m. 227. a Drakenb. laud. Diversa significatione sumitur vs. 3. Ep. I. ad q. vs. vid. not.

111. *Laborat.* Omni opera contendit. Nullum quasi laborem subterfugit, quo caveat, ne sis perjura, ne datam fidem fallas. Quia, inquit Hubert., per istam aegritudinem monet, ut serves promissa.

115. *Et salvam salva* etc. Et te incolumem, integra sive servata fide.

113. *Inde fit, ut, quoties existere* etc. Inde accidit, haec causa est, quare, quoties existere etc.

Existere Drakenb. et Oud. exponunt *esse*, laud. Ovid. L. I. Epist. ex Ponto Ep. VIII. vs. 20. Mihi a Viris Cl. liceat dissentire. *Existere* mihi est *oriri*, atque hinc *fieri*. V. Schell. in Praec. st. h. Lat. Part. I. c. 2. pag. 68. conl. Part I. c 8. pag. 318. et Part. II. c. 1. pag. 561. V. van Lennep ad h. vs.

114. *Peccatum toties corrigat* etc. Quia, quando vis negare, te non promisisse mihi, et vis alii nubere, tunc facit te gravius aegrotare. Hubert.

115. *Parce.* De h. v. alio l. dixi. Vid. Index. *Movere.* V. not. ad vs. 108. *Movere* adeo hic est, facere, ut arcum moveat, tendat, quo te feriat. *Arcus* h. l. *feros* dici ab effectu, nemo non sentit.

Animosae Virginis. Diana (cf. Horat. L. III. Od. 22. vs. 1.) *animosa* dicitur, quae injuriam illatam impatienter ferens, eam gravissime punit. *Violenta* ergo est *atrox*, secundum interpretationem Burm. ad Ovid. Am. L. I. El. 15. vs. 19. Drakenb. V. Ep. IV. vs. 91.

116. *Mitis* τῷ animosae in vs. praec. opponitur. Drakenb.

117. *Precor.* V. ad vs. 79. Ep. XIII.

Corrumpere febribus artus est perdere (sua culpa) omne decus et pulchritudinem eorum, quia febris eos extenuat, omnemque *micam* exedit. Dra-

Serventur vultus ad nostra incendia nati:
Quique subest niveo laetus in ore rubor.
Hostibus e si quis, ne fias nostra, repugnat;
Sic sit, ut, invalida te, solet esse mihi.
Torqueor ex aequo, vel te nubente, vel aegra:
Dicere nec possum, quid minus ipse velim.
Maceror interdum, quod sim tibi caussa dolendi:
Teque mea laedi calliditate puto.

kenb. Ante vocem *micum* intercidisse *salis* crediderim ob Catulli versum, de quo disserentem vid. Quinct. J. O. L. VI. c. 3. pag. m. 531. et not. ad d. Quinct. l. Ceterum ad h. va. vid. van Lennep.

118. *Facies ista.* Pronomen *iandis* habere significationem patet. *Facies*, ut ait Oud., clare hic ponitur pro *tota corporis structura, ejusque forma*; non vero de ore et vultu, quae mox sequuntur. V. Gell. N. Att. L. XIII. c. 29. Terent. Eun. Act. II. sc. 3. va. 5. Ad q. l. vid. Dictata D. Ruhnk. a Schaepeno edita, ubi operarum vitio citatur vs. 21. El. 4. L. IV. Propert. pro vs. 19. *Fruenda servetur.* Ad meam voluptatem conservetur.

119. *Ad nostra incendia nati. Natus ad aliquid vel alicui rei* dicitur, qui ad aliquid a natura factus, vel alicui rei aptus est. V. ad Sil. Ital. L. III. va. 335. Drakenb.

Incendia eadem, quae *flammae, ignes.* V. Ep. XVIII. va. 42. Ep. XVI. va. 27.

120. *Subest niveo — in ore rubor.* Intelligit candorem rubore mixtum, qualem eleganter describit Ep. seq. va. 114. sq. et L. III. Am. El. 3. va. 5. sq. Drakenb.

Laetus. Hilaritatem internam prodens.

121. *Hostibus e.* De Anastrophe praepositionum vid. Voss. Gramm. L. VII. c. 66. Drakenb.

122. *Sic sit* etc. Aegrotet, ita ut ego soleo, quando tu non bene vales. Ut dixerat jam vs. 4. et latius se in seq. explicat. Oud. Ostendit, inquit Hubert., quantum eam amet. Imprecatur enim talem dolorem et angorem animi hostibus suis, qui impediunt, ne nubat ipsi Acontio; qualem dolorem dicit se experiri, ipsa Cydippe aegrotante.

123. *Torqueor ex aequo.* Aequalem animi cruciatum patior. Cf. Ep. XVI. va. 87.

124. *Dicere nec possum* etc. Non satis scio dicere, utrum horum malim, quia neutrum velim. Hubert.

125. *Maceror.* Excrucior ani-

In caput haec nostrum dominae perjuria, quaeso,
Eveniant: poena tuta sit illa mea.
Ne tamen ignorem, quid agas; ad limina crebro
Anxius, huc illuc, dissimulanter eo.
Subsequor ancillam furtim famulumve, requirens
Profuerint somni quid tibi, quidve cibi.
Me miserum! quod non medicorum jussa ministro,
Effingoque manus, insideoque toro.
Et rursus miserum! quod, me procul inde remoto,
Quem minime vellem, forsitan alter adest.

mo. V. van Lennep ad h. vs.

126. *Calliditate.* V. Argum. §. 2.

127. *In caput* etc. V. ad vs. 20. Ep. XII.

Dominae. Quae in meum amantis animum eandem potestatem ac jus habet, ac Domina in servae corpus.

129. *Quid agas.* V. ad vs. 25. Ep. VI.

Ad lumina crebro anxius etc. Dissimulanter et quasi aliud agens; animo anxio, saepe ante domum tuam obambulo, donec aliquis, quem rogem, ex aedilibus procedat, ut veram ita tegam causam, qua ad aedes tuas adducor. V. Ovid. A. A. L. II. vs. 321. Drakenb. et Oud.

131. *Subsequor.* V. Ep. IV. vs. 40. Drakenb.

133. *Me miserum! quod non* etc. Dolet Acontius, quod non sit minister medici ejus, ut possit ad eam ire, et eam tangere, et ejus toro assidere, ut ministri faciunt. Hubert.

Jussa. V. Donat. in Comment. ad Terent. Andr. Act. III. sc. 2. vs. 4. Ruhnk. in Dictt. ad h. vs.

Medicorum jussa ministro. Est, secundum Oud., tibi admoveo et praebeo ipse medicamenta a medicis praescripta.

134. *Effingoque manus.* Demulceo, leviter tergo. Heins. ad h. vs. Foveo ac leviter fricans et tractans demulceo. Oud. *Superposita membra fovere manu* dixit Cydippe Ep. XXI. vs. 190. Drakenb.

Insideoque toro. Non tantum ait, *assideo*, quod frequens est verbum eorum, qui vel medicinae vel solatii causa aegris adsunt, ut Ep. XXI. vs. 191. Seneca Ep. 9: sed etiam in spondam tui lecti me repono, quo tuum corpus foveam, et verbis rebusque te consoler. Oud.

136. *Quem minime vellem* scil. tibi adesse. Rivalem notat, cui parentes Cydippe de-

Ille manus istas effingit, et adsidet aegrae,
Invisus Superis, cum Superisque mihi.
Dumque suo tentat salientem pollice venam;
Candida per caussam brachia saepe senet:
Contrectatque sinus, et forsitan oscula jungit.
Officio merces plenior ista suo est.
Quis tibi permisit nostras praecerpere messes?
Ad sepem alterius quis tibi fecit iter?
Iste sinus meus est: mea turpiter oscula sumis.
A mihi promisso corpore tolle manus.
Improbe, tolle manus. quam tangis, nostra futura est.
Postmodo si facias istud, adulter eris.

ponerant. V. Ep. seq. vs. 189. Drakenb.

Adest. V. ad vs. 134. h. Ep. in v. *insideoque toro.*

137. *Adsidet.* V. ad vs. modo laud.

138. *Invisus Superis* etc. Quod vult a te, quod est contra fidem tuam. Hubert.

139. *Dumque suo* etc. *Venam* dixit, quae arteriam adpellanda erat. V. Gell. N. Att. L. XVIII. c. 10. Drakenb. *Saliens vena* alias *trepida* et *micans* dicitur. Ovid. Metam. L. X. vs. 289. L. VI. vs. 389. Unde sic dicatur, non est, quod addam. *Tentat.* Tangendo explorat. Suet. in Tib. c. 72. Interpr. ad Phaedr. L. III. fab. 10. vs. 36. Ruhnk.

140. *Per caussam.* Sub praetextu arteriae pulsus tentandi. V. Tibull. L. I. El. 7. vs. 26. et Broukh. ad h. vs. Oud. V. Drakenb. ad Liv. L. II. c. 32.

141. *Contrectatque sinus.* Familiaris est locutio in tangendo mulieris artus. V. Ovid. Metam. L. VIII. vs. 607. Just. L. VII. c. 3. Oud. van Lennep ad h. vs.

142. *Officio merces plenior ista* jungendi scil. oscula. *Plenior est officio* i. e. ultra officium suum, quia, cum sit medicus, haec non sunt ejus officii. Hubert. *Major, amplior. Plenior* vocabulum de divitiis proprium. Burm. V. Tibull. L. I. El. 10. vs. 52. Oud.

143. *Nostras praecerpere messes.* A re rustica huc translatam metaphoram sentiunt omnes. V. Ep. XVII. vs. 263.

144. *Ad sepem* etc. In eadem pergit metaphora. V. Ovid. A. A. L. III. vs. 562.

145. *Turpiter.* In tuum dedecus qui, quae mea sunt, tua facias.

147. *Improbe.* V. ad vs. 41.

Elige de vacuis, quam non sibi vindicet alter.
Si nescis, dominum res habet ista suum.
Nec mihi credideris, recitetur formula pacti.
Neu falsam dicas esse, face ipsa legat.
Alterius thalamo, tibi nos, tibi dicimus, exi.
Quid facis hic? exi: non vacat iste torus.
Nam, quod habes et tu humani verba altera pacti,
Non erit idcirco par tua caussa meae.
Haec mihi se pepigit: pater hanc tibi, primus ab illa.
Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est.

Ep. XVIII. Qui pudoris fines migras.

149. *Elige de vacuis* i. e. nulli desponsis, a nullo occupatis. Verbum est ex jure translatum, ubi *res vacua*, dicitur, quae huc usque nullius est, et a nullo domino vindicatur aut possidetur. Drakenb. et Oud.

150. *Si nescis.* V. not. ad vs. 144. Ep. XVI. *Dominum habet suum.* Est sub domino alterius. Est translatio a possessionibus, quae dicuntur esse dominii alicujus. Hubert.

151. *Formula pacti.* Verba formalia, quibus mihi Cydippe promisit. Hubert.

152. *Face.* V. ad vs. 144. Ep. XIII.

153. *Alterius thalamo* i. e. meo.

Tibi nos, tibi. Iratis et indignantibus propria repetitio cum vehementia, quam Grammatici ac Rhetorici epizeucsin vocant. V. ad Sil. Ital. L. II. vs. 26. Ruhnk. in Dictt. ad Terent. Andr. Act. I. sc. 2. vs. 33.

154. *Quid facis hic?* V. ad vs. 31. Ep. II. V. van Lennep ad h. vs.

Non vacat. Occupatus jam a me est, neque adeo *vacuus*. Cf. supra vs. 150.

155. *Humani.* V. Argum. §. 3. Infra vs. 157. Patris Cydippes, sed qui modo est homo, cum Dea pepigerit illam mihi, ut latius in seq. persequitur. Quia tamen etiam interserit alias differentias et elisio vocis *tu* est durissima, putem ego vocem *humani* esse corruptam ac legendum esse *tute manu* s. quod et tu ipse in manu habes tabulas nuptiales alteras. De *tute* pro *tu ipse* V. Broukh. ad Prop. L. III. El. 12. vs. 25. Oud.

Quod habes et tu. i. e. quod adtinet ad id, quod tu quoque. Objectioni respondet Acontius.

156 *Par tua caussa meae.* V. supra vs. 95. sq.

157. *Haec mihi se pepigit.*

Promisit pater hinc: hinc adjuravit amanti.
Ille homines; haec est testificata Deos.
Hic metuit mendax: timet hinc perjura vocari:
Num dubites, hic sit major, an ille metus?
Denique, ut amborum conferre pericula possis,
Respice ad eventus: haec cubat, ille valet.
Nos quoque dissimili certamine mente subimus:
Nec spes par nobis, nec timor aequus adest.

Vid. vs. 11. et 151. h. Ep. et *juravit* vel *valde juravit*. Argum. §. 2. De verbo *pangere* in sponsalibus solenni, inquit Ruhnk., vid. Heins. ad Ovid. Metam. L. VII. vs. 700. et Duker. ad Liv. L. XLIV. c. 30. §. 4, qui ait « scriptores Latini plerumque puellam *viro* pactam, raro *virum* puellam (l. puellae) *pactum* dicunt."

Primus ab illa. V. ad vs. 69. Ep. XVIII.

158. *Sed propior* etc. Hac ratione, quod quisque sibi sit proximus? Hubert.

159. *Promisit — adjuravit.* Haec verba sic sibi invicem opponuntur ab Ovidio, ut Sophocl. in Oed. Col. vs. 677. sq. λόγος *et* ὅρκος. Vid. J. Lenting V. Doct. in Annot. ad Eurip. Med. vs. 737.

Haec Cydippe *adjuravit.* Heinsius, Drakenb. ad h. vs. Graevius in praef. tom. 5. Thes. Antiq. Rom. ab Oudendorpio adsentiente laud. Ruhnk. in Dict. ad Terent. Andr. Act. IV. sc. 2. vs. 11. explicant vel tantis viris dissentire prope vereor, nec tamen omnino mihi videtur praepositio *ad*, nec significare *valde* sed eandem vim habere ac *secundum* in hac phrasi « secundum aliquem judicare." V. Tursell. in v. *secundum* et *ad.* Ut *adjurare amanti* sit *jurato addicere, tradere se amanti.*

160. *Testificata.* Vid. vs. 19. h. Ep.

161. *Mendax — perjura.* V. supra vs. 159.

162. *Num dubites* etc. Qui ita rogat, negationem exspectat.

163. *Denique.* V. ad vs. 69. h. Ep.

164. *Haec* Cydippe *cubat*, decumbit, aegrotat. V. Horat. Sat. L. I sc. 9. vs. 18. Suet. in Nerone c. 34. Drakenb.

165. *Nos quoque* etc. Ego et tu certamus in Cydippe habenda dissimili proposito et intentione. Hubert.

166. *Timor aequus*, aequalis, aeque magnus. Drakenb.

Tu petis ex tuto; gravior mihi morte repulsa est:
Idque ego jam, quod tu forsan amabis, amo.
Si tibi justitiae, si recti cura fuisset;
Cedere debueras ignibus ipse meis.
Nunc quoniam ferus hic pro causa pugnat iniqua;
Ad quid, Cydippe, litera nostra redit?
Hic facit ut jaceas, et sis suspecta Dianae.
Hunc tu, si sapias, limen adire vetes.
Hoc faciente, subis tam saeva pericula vitae.
Atque utinam pro te, qui movet illa, cadat!
Quem si repuleris, nec, quem Dea damnat, amaris;
Et tu continuo, certe ego salvus ero.
Siste metum, virgo, stabili potiere salute.
Fac modo polliciti conscia templa colas.

167. *Tu petis ex tuto.* Quia, si non habueris eam, nihil periculi tibi erit. Hubert. V. ad vs. 158. Ep. XVI.

Gravior mihi etc. Mihi erit gravius, eam non habere, quam si morerer. Hubert.

168. *Quod tu forsan amabis.* Quia is a patre destinatus sponsus filiae politica vel divitiarum causa non amore, nuptias erat contracturus. Oud.

169. *Recti cura.* Honesti ac boni.

170. *Cedere debueras ignibus ipse meis.* Non occupare meos amores, qui fuerunt priores tuis. Hubert. *Ipse* est ultro, non rogatus.

171. *Nunc quoniam ferus hic.* In odium adversarium trahit, cujus facta crudelia recenset. Auton.

172. *Ad quid, Cydippe!* etc. *Litera* est litera illa, qua ea se ipsi pepigerat, et sensus est; « Quo redit illa litera; quid illa, vel ex ea fit? h. e. ubi est illud promissum tuum? V. infra vs. 211 et 212. Loers in d. specim. Cf. van Lennep in Animadv. ad h. vs.

173. *Ut sis suspecta*, invisa. V. ad vs. 148. Ep. XIX.

174. *Si sapias.* V. ad vs. 210. Ep. XII.

175. *Hoc faciente.* Hujus culpa.

176. *Qui movet illa, cadat!* Pereat ipse per morbum, qualem tibi movit per inopportunam tui conjugii petitionem. Oud. V. ad vs. 124. Ep. XIII.

177—180. *Quem si repuleris* etc. Sensus est « Si tu rivalem meum repuleris, ego qui-

Nec bove mactato coelestia numina gaudent:
Sed, quae praestanda est et sine teste, fide.
Ut valeant aliae, ferrum patiuntur et ignes:
Fert aliis tristem succus amarus opem.
Nil opus est istis; tantum perjuria vita:
Teque simul servat, neque, datamque fidem.
Praeteritae veniam dabit ignorantia culpae:
Exciderint animo foedera lecta tuo.

dem, maximo isto metu liberatus, statim jam animum recipiam, statim *salvus ero*: sed *et* tu *continuo* (statim) valetudinem recuperabis. Fac modo, precibus Dianam colas: fac modo fidem ea teste mihi datam serves; nec dubium, quin tibi quoque stabilis hinc obtingat salus. Cf. vs. 109. sqq. et 173. van Lennep ad h. vs.

180. *Fac — colas.* V. ad vs. 69. Ep. XIII.

Conscia. V. ad vs. 105. Ep. XVIII.

181, 182. *Nec bove mactato* etc. Quia posset dicere Cydippe, se facere sacrificia multa; dicit Deos inspicere *fidem* et non *sacrificia*. Ut Esaiae c. 1. « Quid mihi in multitudine victimarum vestrarum? Quia multiplicastis mihi sacrificium de arietibus, et carnibus hircorum: ego enim contemsi sanguinem vitulorum. Hubert.

182. *Et sine teste.* Etiamsi nullus sciret, aliquid esse promissum. Hubert.

183. *Ferrum patiuntur et ignes.* Respicitur ad artis chirurgicae principia, cum unicum vulneribus remedium esset, *urere*, *secare*. Quomodo Padalirius et Machaon, Aesculapii filii, medici Graecorum in obsidione Trojana in pestilentia aut variis morbis adhibiti sunt, sed vulneribus tantum ferro et medicamentis medebantur, teste Celso de Re Med. L. I. praef. Drakenb.

Patiuntur τῷ patiantur praetulit van Lennep ad h. vs. ob sequens *fert*. Codd. et ratio flagitant indicativum, inquit Loers d. spec. *Vere aliae patiuntur ferrum et ignes, ut valeant.*

184. *Tristem succus amarus opem. Amarus* designat, quid vox *tristem* sibi velit, ac medicinam ex amararum herbarum succo mixtam *tristitiae* causam esse docet. *Tristis* adeo idem valet quod *ingratus*. Arguit itaque Acontius, ut Hubert. monet, a majori ad minus.

186. *Teque* etc. Cf. supra vs. 112, 178.

187. *Dabit ignorantia cul-*

Admonita es modo voce mea, modo casibus istis;
Quos, quoties tentas fallere, ferne soles.
His quoque vitatis, in partu nempe regabis;
Ut tibi luciferas adferat illa manus.
Audiet: et, repetens quae sint audita, requiret
Ipsa, tibi de quo conjuge partus eat.

pae. Quia tu nescivisti, te offendisse Deam, et ideo haec tibi accidere. Hubert.

188. *Exciderint* etc. Excusari poteris, quod huc usque peccaveris per ignorantiam, quia jusjurandum, quod mihi et Dianae dederas legendo verba pomo inscripta, tua memoria exciderit, sive quod illud sis oblita; et nunc admonita rursus illius per literas meas, et febri toties repetita, corrige errorem, et te meque ope Dianae et reliquorum Deorum servabis. V. ad vs. 71. Ep. XII. Oud.

189. *Casibus.* V. van Lennep ad h. l. Drakenb. Heinsium et Burmannum sequitur, non item Oudendorpius, qui *casibus* praefert, ac vocem *casus* interpretatur *morbos*, quibus laborabat Cydippe, quoties alteri vellet nubere; nam, inquit, alios dolos sive *casses* Acontius illi non struxerat, quam pomi jurejurando conscripti. Oudendorpio consentit Ruhnk.

191. *His quoque vitatis* etc. Magis etiam terret Cydippen, ut caveat laedere Dianam., quia, etiamsi nunc vitaret casus febris, tamen ejus egeret auxilio in partu, quia invocabatur a parientibus. Hubert. Quibus aderat; quo nomine *Lucina*, *Lucifera*, *Opifera*, vocabatur. V. ad vs. 122. Ep. VI. *Nempe*, nimirum, videlicet, certo. V. Tursell. in v.

192. *Luciferas — manus*, quae foetum in lucem ferunt. Hubert. *Adferat.* V. van Lennep ad h. vs.

193. *Audiet.* Notandum est, Ovidium Dianam hic finxisse audientem preces puellae, a qua adeo fuerat laesa; ad talium enim preces surdi solent esse Dii.

Repetens. In memoriam revocans. V. Ep. XVI. vs. 277. Drakenb.

Requiret ipsa. Non per alium: adeo rem istam curat. *Requiret*, inquit Hubert, i. e. scire volet, ex quo marito peperis; quia, si ex alio paries, quam ex me, dicet te esse perjuram, et ideo non esse juvandam.

194. *Eat.* Proveniat, prodat in lucem.

Promittes votum: scit te promittere falso.
Jurabis: scit te fallere posse Deos.
Non agitur de me: cura majore laboro.
Anxia sunt vitae pectora nostra tuae.
Cur modo te dubiam pavidi flevere parentes,
Ignaros culpae quos facis esse tuae?
Et cur ignorent? matri licet omnia narres.
Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent.
Ordine fac referas, ut sis mihi cognita primum,
Sacra pharetratae dum facit ipsa Deae:

195. *Promittes votum*, quod solvas, salute recuperata. Quia, ut ait Hubert., posset dicere Cydippe, se facturam votum; respondet Acontius, *si promittes*, *scit Diana* etc.; sicut falso per eam jurasti, te futuram uxorem meam.

196. *Jurabis*. Si jurabis. *Scit te — posse*; quia antea eam jam fefellêras.

197. *Non agitur de me*. Mea res non agitur.

198. *Anxia* etc. Pectora mea contrahuntur, premuntur metu, ne moriaris. *Anxia vitae* est propter vitam. V. Vechn. Op. l. L. I. c. 18. pag. 175.

199. *Dubiam*. *Dubius* hic non capi debet *active*, qui dubitat: sed *passive*, de quo dubitatur, de cujus vita dubitatur. V. Ep. XXI. vs. 31. Drakenb.

200. *Ignaros* etc. Qui, tua culpa, causam mali tui ignorant. *Culpa* autem h. vs. est, quod jusjurandum non praestabat. V. supra vs. 181. sq. *Facis* i. e. tu in causa es, quod etc.

201. *Matri* etc. Puellae enim solent audacius matri, quam patri, secreta sua dicere. Hubert.

202. *Nil — ruboris*, pudoris. Pudor enim ruboris causa esse solet. Drakenb.

203. *Fac referas*. V. ad vs. 69. Ep. XIII.

204. *Sacra — dum facit*. Mater scil. V. van Lennep ad h. l. In vs. enim 93. Ep. XXI. ibi laud. haec ad Acontium Cydippe

« Dumque parens aras votivo sanguine tinguit » sqq.

« Unde apparet, inquit Burm., Cydippen, dum mater sacrificat, cum nutrice obambulasse loca sacra, et tunc visam ab Acontio; post modo demum, cum reversa fuisset in aedem Dianae, venisse potuum." Et Oudendorpius *facit* legendum esse censet.

Ut, te conspecta, subito (si forte notasti)
Restiterim fixis in tua membra genis:
Ut, te dum nimium miror, (nota certa furoris)
Deciderint humero pallia lapsa meo:
Postmodo nescio qua venisse volubile malum,
Verba ferens doctis insidiosa notis;

Pharetratae — Deae. V. Ovid. Am. L. I. El. 1. vs. 10. et not. ad vs. 115. h. Ep. Drakenb.

205. *Si forte notasti.* Indicativo mihi quidem usus videtur Acontius, ut significaret, sibi dubium non esse, quin Cydippen ipsum resistentem oculis notasset.

Subito — restiterim. Matri ergo ex Acontii praescripto narrandum erat, non tantum quomodo restitisset, sed et ut *subito* restitisset. Quare ita referendum esset vid. ad vs. 33. Ep. XII.

206. *Fixis — genis. Genae* hic sunt oculi. V. ad Ep. X. vs. 44. Drakenb. *In — membra.* Ovidius amat ablativum, non, ut hic, accusativum. V. Ovid. Metam. L. IV. vs. 141. L. XIII. vs. 456. Oud.

207. *Nimium miror*, sui scil. ipsius oblitus.

Nota certa furoris. Manifestissimum signum vehementis amoris, quando aliquis est ita abstractus aspiciendo amicam, ut non sentiat, vestes cadere ex humeris suis. Hubert. Quod ad v. *furorem* V. ad Ep. XVI. vs. 235.

208. *Deciderint — pallia lapsa. Lapsa* hic abundare censet Drakenb. Me quidem adsentientem non habet Vir Cl. Participium enim, me quidem judice, indicat *lenem* motum, quo in terram feruntur. *Lapsa deciderint* adeo significat *sensim, leniter deciderint.* Cf. Virg. Aen. L. VI. vs. 310. Cic. de Off. L. I. c. 22. A pallio, veste communi, *palliatos* dici Graecos quis ignorat?

209. *Postmodo.* Scil. referas.

Nescio qua templi parte. Haec nempe dicenda praescribuntur Cydippae, ita ut *nescio* ad Cydippen sit referendum, quod non vidisse miror Oudendorpium, cum dicat „Non video, quomodo id hic adhuc fingere possit se nescisse, dum jam vs. 10. fateatur *se* illud fecisse ac dolum *suum* fuisse."

Volubile malum. Eleganter dicitur de malo jacto, et procurrente. Ut *aurum volubile* Ovid. Metam. L. X. vs. 667. Oud.

210. *Verba ferens — insidiosa.* V. Argum. §. 2. vs. 25, 66. sq. h. Ep.

Doctis — notis. Doctus vocatur, qui non tantum literas,

Quod quia sit lectum sancta praesente Diana,
Esse tuam vinctam, numine teste, fidem.
Ne tamen ignoret quae sit sententia scripto:
Lecta tibi quondam nunc quoque verba refer.
Nube, precor, dicet, cui te bona numina jungunt:
Quem fore jurasti, sit gener ille mihi.
Quisquis is est, placeat; quoniam placet ante Dianae,
Talis erit mater, si modo mater erit.
Sic tamen, et quaerat, qui sim quantusque, jubeto:
Inveniet vobis consuluisse Deam.
Insula, Coryciis quondam celeberrima Nymphis,
Cingitur Aegaeo, nomine Cea, mari.

sed et *omnem* aliam artem perite novit. Hic refertur ad fraudes; et *doctae notae* sunt, quae peritissime, callidissime fefellerunt. V. Plaut. in Mil. Glor. Act. III. sc. 2. vs. 93. Drakenb. Cf. vs. 31. sqq.

211. *Quod quia sit lectum* etc. Cf. supra vs. 18. sq. 95. sq. Ovid. Trist. L. III. El. 10. vs. 73. sq.

Poma negat regio, nec haberet Acontius, in quo
Scriberet hic dominae verba legenda suae.

212. *Vinctam.* V. ad vs. 39. h. Ep.

213. *Quae sit sententia scripto.* Quodnam sit scripti argumentum.

214. *Quondam.* V. Argum. §. 2.

216. *Quem fore jurasti.* Vid. vs. 159. h. Ep.

217. *Quisquis is est.* Ita loquitur Ovid. Ep. XIII. vs. 65. Similis autem est locutio, atque illa: *quidquid est.* De qua vid. ad Ep. XVIII. vs. 51. Drakenb.

218. *Mater — mater.* Uti nomina propria, ita hic adpellativum altero loco personam, altero mores, atque animum notat. V. ad vs. 151. Ep. VI.

Talis. Quae ita tibi suadebit. Hubert.

219. *Sic tamen, et quaerat.* Quamvis jubeat, ut mihi nubas, effice tamen, ut inquirat, qui sim. Drakenb. V. not. ad vs. 198. Ep. XVII. *Quantus sim.* Quam nobili familia natus sim, quantisque opibus abundem. Eodem sensu *tantus* occurrit Ep. V. vs. 9. Drakenb.

220. *Inveniet* etc. i. e. inveniet (ac patebit) Deam vobis providisse, et non dedisse tibi maritum indignum. Hubert.

121. *Coryciis.* V. van Lennep ad h. vs. *Corycias nym-*

Illa mihi patria est. nec, si generosa probaris
Nomina, despectis arguor ortus avis.
Sunt et opes nobis; sunt et sine crimine mores:
Amplius utque nihil, me tibi jungit amor.
Adpeteres talem vel non jurata maritum:
Juratae vel non talis habendus erat.
Haec tibi me in somnis jaculatrix scribere Phoebe,
Haec tibi me vigilem scribere jussit Amor.
E quibus alterius mihi jam nocuere sagittae;
Alterius noceant ne tibi tela, cave.

phas generatim dici eas, *quae montes et antra incolunt*, quod dein in Graecia plures montibus et antris frequentes locis *Corycios* adpellatos fuisse P. O. Brondsted in itineris, quod per Graeciam fecit, narratione observat, conjicit Censor in Allgemeine Literatur Zeitung Jan. 1827. nº. 10. pag. 147. quamvis ab initio a certis locis *Coryciae* Nymphae nomen adceperint V. Ovid. Metam. L. I. vs. 320. qui Nympharum ibi meminit Parnassum montem incolentium: *Corycium* enim antrum in eo monte erat. V. Herodot. L. VIII. §. 36. ad q. vid. Wesseling et Larcher.

Celeberrima. Admodum frequentata. Plurimas ibi Nymphas habitasse arguit adjectivum. V. Ovid. Fast. L. VI. vs. 391. Drakenb.

123. *Si generosa probaris nomina.* V. ad vs. 113. Ep. VI. van Lennep ad h. vs.

124. *Nec — despectis arguor* etc. Non probor ortus avis despectis i. e. non sum natus vilibus et contemtis majoribus. Hubert.

225. *Sine crimine mores.* Boni mores.

226. *Amplius utque nihil* etc. Solennis formula est, qua indicat, si nihil aliud esset, quo me jactare ac commendare possem, ut tibi placeam, unum illud sufficere, amorem tibi me jungere, me tibi uxorem dare. V. Burm. ad Ovid. Metam. L. IX. vs. 148. Drakenb. V. supra vs. 28.

227. *Jurata.* V. ad vs. 53. Ep. III.

228. *Vel non talis.* Etiamsi talis non essem, tamen, quia jurasti, *debes* me recipere in matrimonium; sed cum talis sim, etiamsi non jurasses, cuperes me habere. Oud. van Lennep ad h. vs.

229. *Jaculatrix Phoebe.* V. ad vs. 115. h. Ep.

230. *Jussit Amor.* Cf. vs. 10. Ep. IV.

Juncta salus nostra est: miserere meique tuique.
Quid dubitas unam ferre duobus opem?
Quod si contigerit, cum jam data signa sonabunt,
Tinctaque votivo sanguine Delos erit;
Aurea ponetur mali felicis imago;
Caussaque versiculis scripta duobus erit:
Effigie pomi testatur Acontius hujus,
Quae fuerint in eo scripta, fuisse rata.
Longior infirmum ne lasset epistola corpus;
Clausaque consueto sit tibi fine: vale.

231. *Alterius.* Amoris.

232. *Alterius.* Dianae. Vid. vs. 99. sq. h. Ep.

233. *Juncta salus nostra est.* Mea vita conjuncta est cum tua; ita ut, te periclitante, ego etiam sim periclitaturus. Hubert.

234. *Unam ferre duobus opem.* Votis meis de matrimonio tuo annuere; quae una res ambobus nobis opem feret: mihi, quoniam te uxore potiar, tibi, quoniam salutem recuperabis, quam Diana affligit, quoties alteri nubere paras. Vid. vs. 173. h. Ep. Drakenb.

235. *Quod si contigerit*, ut feras opem ambobus, i. e. ut mihi nubas. Hubert.

Data signa, tibiarum nempe nuptialium, et carminum, quibus *Hymen*, *Hymenaee* canent. Oud. Quando celebrabuntur festa Dianae in Delo, et offerentur ei sacrificia votiva. Hubert. V. van Lennep posteriora probantem ad h. vs.

236. *Tinctaque votivo* etc. Sanguine sacrificii, quod promisi Dianae, si voti compos forem. V. Ep. seq. vs. 93. *Deli* autem meminit, quia in hac insula Diana cum fratre Apolline praecipue colebatur; (nati enim ibi ex Latona erant) quodque ibi Acontius Cydippen primum viderat, visamque decèperat. Drakenb.

Tingere est *imbuere*, *maculare*. V. Virg. Georg. L. III. vs. 492. Ecl. I. vs. 8. Drakenb.

237. *Ponetur mali felicis imago.* V. ad vs. 26. Ep. I. vs. 128. Ep. XII. *Mali* sive pomi *felicis*. Ob eventum.

240. *Fuisse rata.* Ratam habuisse fidem. Re vera fuisse praestita. V. ad Ep. XVI. vs. 15.

241. *Corpus* tuum nempe, quod infirmum est prae morbo. Oud.

242. *Clausaque.* Cf. Ep. XIII. vs. 165. Si ita legamus, inquit

Oud., non foret subaudiendum *ne*, ut praecedit, sed *ut*, quod est durius; vel rescribendum foret *sine fine « ne sit clausa sine fine consueto »* sed Barberinus et Lincoln. exhibent *clausula consueto.* Et recte omnino; ut solet vocari illud *vale*; est enim vulgaris epistolae clausula; neque improbat Burm. ad h. vs. Adsentitur Ruhnk.

EPISTOLA XXI.

CYDIPPE ACONTIO.

PERTIMUI, scriptumque tuum sine murmure legi,
Juraret ne quos inscia lingua Deos.
Et, puto, captasses iterum: nisi, ut ipse fateris,
Promissam scires me satis esse semel.
Nec lectura fui: sed, si tibi dura fuissem,
Aucta foret saevae forsitan ira Deae.
Omnia cum faciam, cum dem pia tura Dianae;
Illa tamen justa plus tibi parte favet.

Vs. 1. *Pertimui — juraret.* Cf. initium praec. Ep. De significationis discrimine, quod intercedit inter Praeteritum Perfectum et Inperfectum Vid. W. Bilderdijk Spraakleer pag. 375. conl. pag. 188, 189. et Nieuwe Taal - en Dichtk. Verscheidenheden D. III. pag. 17. De Recens. ook der Recens. D. XXI. n°. 4. pag. 186. sq. et pag. 194.

Scriptum. Litera. V. Ovid. A. A. L. I. vs. 457.

Sine murmure. Tacita, ut ne ullum quidem susurrum inter legendum ederet. Oud. ne, ut in pomo, iterum juraret. Vid. vs. 19. sq. 98. h. Ep.

2. *Juraret Deos.* V. ad vs. 23. Ep. II. vs. 319. Ep. XVI.

Captasses iterum. Me capere tentasses. V. ad vs. 262. Ep. XVII.

Nisi, ut ipse fateris vs. 2. Ep. praec.

5. *Dura.* Difficilis, non exorabilis, flecti nescia, quod ostendissem, si non laetam epistolam tibi remisissem. Oud. *Molles* contra dicuntur, quae pronae sunt in amorem. V. Ep. XVII. vs. 111. Drakenb.

6. *Aucta — ira.* Quae jam adeo in eam exarserat.

Saevae Deae. Cf. vs. 99. sq. Ep. praec.

7. *Omnia cum faciam.* Formularis est locutio ejus, qui *omnem* operam adhibet, bene agendo, et, quidquid sui officii sit, implendo. V. Ovid. Metam. L. IX. vs. 540. Oud.

Pia tura. V. ad vs. 24. Ep. VII.

8. *Justa plus — parte.* Plus justo. Plus quam decet. Amant

Utque cupis credi, memori te vindicat ira.
Talis in Hippolyto vix fuit illa suo.
At melius Virgo favisset virginis annis;
Quos vereor paucos ne velit esse mihi.
Languor enim, caussis non adparentibus, haeret.
Adjuvor et nulla fessa medentis ope.
Quam tibi nunc gracilem vix haec rescribere, quam-
Pallida vix cubito membra levare putas? (que
Huc timor accedit, ne quis, nisi conscia nutrix,
Colloquii nobis sentiat esse vices.

veteres vocem *parte* sive *partibus* sic ponere. Oud. Cf. infra vs. 30.

9. *Utque cupis credi.* Vid. vs. 109. pracc. Ep.

Memori — ira. Memor hic accipitur neutraliter pro *« quae erat adhuc in memoria.»* Vid. Virg. Aen. L. I. vs. 4. et ad h. vs. Serv. Ovid. Metam. L. XII. vs. 583. Drakenb.

Te vindicat. Facit vindictam pro te. Hubert.

10. *Talis in Hippolyto — suo*, sive *in* vel *erga* Hippolytum *suum*, sibi deditum, adeoque adamatum. Eodem sensu pronomen possessivum *tuus* sumitur Ep. I. vs. 1. Ep. IV. vs. 91. *Talis fuit* tantopere favit. Diana, inquit Drakenb., non eo modo se erga Hippolytum, quo erga te, gessit, neque tam acriter injurias illi illatas, quam tuas, ulta est. Secundum quosdam Diana Hippolytum per Aesculapium a morte ad vitam revocavit, ut Virgil. scripsit; licet Horatius aliter dicat. Hubert. V. Argum. Ep. IV.

In Hippolyto. Dicto sensu praepositio *in* et accusativo et ablativo jungitur. V. ad Sall. Catil. c. 52. §. 12. Cort. Drakenb. *Vix* Inminuendi et bene negandi vim habet secundum Tursell. Op. l. in v.

11. *Melius Virgo* etc. Virgo, Diana, favisset mihi virgini, ferme adhuc impuberi. *Virgo pharetrata* vocatur Diana ab Ovid. Am. L. I. El. 1. vs. 10. Drakenb.

13. *Languor — haeret.* Indicat Cydippe, se *pertinaciter* languere, et languorem nullis medicorum artibus depelli posse. *Haerere* dicuntur, quae pertinaciter adsunt, removeri nequeunt. V. Seneca Ep. 79. Drakenb. V. ad vs. 70. Ep. IV et V.

14. *Medentis.* Cf. vs. 147. Ep. V.

16. *Cubito membra levare. Cubito allevare artus* dixit Ovid. Metam. L. VII. vs. 343. Drakenb. Ex signo magnitudinem rei demonstrat. Micyllus.

Ante fores sedet haec: quid agamque rogantibus intus;
Ut possim tuto scribere, Dormit, ait.
Mox ubi, secreti longi caussa optima, somnus
Credibilis tarda desinit esse mora,
Jamque venire videt, quos non admittere durum est:
Exscreat; et ficta dat mihi signa nota.
Sicut eram, properans verba imperfecta relinquo
Et tegitur trepido litera cauta sinu.

17. *Conscia nutrix.* V. ad vs. 97. Ep. XVIII.

18. *Colloqui — vices.* Mutua colloquia, literarum commercium. Laudat ad h. vs. Ruhnk. Virg. Aen. L. VI. vs. 535.

19. *Quid agamque rogantibus intus.* Rogantibus, quid agam *intus*, in cubiculo. *Intus* enim *esse* dicitur, qui *in aedibus* est. Terent. Andr. Act. III. sc. 2. vs. 11. Drakenb. et Oud. qui laudat Caes. B. Civ. L. I. c. 6. extr., et Heins. ad h. l.

21. *Caussa*, praetextus. V. ad vs. 140. Ep. XX.

22. *Somnus Credibilis* etc. Somnus, ob longius, quo dormire dicor, spatium fidem minorem invenit.

23. *Durum est.* Non decet, non convenit. Micyll. Inhumanum, parum amicum est. Ruhnk., qui laud. Plin. L. X. Ep. 107.

24. *Exscreat* etc. Tussim edit, sed fictam ac constitutam inter nos notam, ut me adventus aliquorum, quos admittere debeo, et tamen celare volo, quid agam, admoneat. V. Broukh. ad Tibull. L. I. El. 7. vs. 36. Oud. Cf. not. ad vs. 25. ejusd. El. van Lennep ad h. vs.

25. *Sicut eram, properans*, ut me habebam, ὡς εἶχον Graeci dicunt, inestque huic locutioni celeritatis notio, ut fere idem significet, quod *statim*. Uti in Graecis celeritatis notio crescit, si praecesserit εὐθύς, ut docet Peerlkamp V. Cl. ad Xenoph. Ephes. pag. 15. vs. 5; ita et hic loci rem sese habere puto, addito *properans*. V. van Lennep ad vs. 24.

Verba imperfecta relinquo, scripti, epistolae. Desino scribere, licet literae nondum perfectae, perscriptae sint. Ovid. Trist. L. I. El. 3. vs. 69.
« Nec mora; sermonis verba imperfecta relinquo."

26. *Trepido — sinu.* Qui motu ac pulsu cordis signa timoris dabat. Ut Ovid. Ep. I. vs. 45.
« Usque metu micuere sinus. . . Drakenb. sinu Cydippae trepidae sive timentis, ne literae,

Inde meos digitos iterum repetita fatigat.
Quantus sit nobis, adspicis ipse, labor.
Quo, peream, si dignus eras, ut vera loquamur;
Sed melior justo, quamque mereris, ego.
Ergo te propter toties incerta salutis
Commentis poenas doque dedique tuis?
Haec nobis formae te laudatore superbae
Contingit merces? et placuisse nocet?

quas clam scripserat, detegerentur. Oud.

Litera cauta, cui cavetur; tecta, abscondita. Micyll. passivo sensu itaque hic adjectivum adhibetur, quod activa significatione saepius obcurrit.

27. *Inde* etc. V. supra vs. 25.

28. *Quantus sit.* Habet et vetus lectio *sis*, quo se commendet, ut ait van Lennep ad h. vs. Qua quidem lectione *sis* referendum esset ad Acontium, laboris auctorem.

Adspicis ipse ex tremulis et rudibus literarum ductibus, quales solent facere infirmi morbo et manu trementes. Oud.

29. *Quo* scil. labore. Quam Heinsii haud dubie veram conjecturam pro *qua* in textum se recepisse ait van Lennep ad vs. 28.

Quo, peream, si dignus eras — ego. Postquam hujus loci sensum obscurum pronunciaverat, ita interpretatur Oud. « In qua epistola ut a me tibi vera dicantur, aedepol, indignus es quidem, sed, quia ego mitior et benignior in te sum, quam par est, et quam mereris, tamen omnia tibi aperiam." Ut enim homo *bonus* est facilis, benignus, mitis; sic eodem sensu dicitur comparativus *melior.* V. Horat. L. I. Od. 7. vs. 25.

Peream. V. ad vs. 183. Ep. XVII.

31. *Incerta salutis.* V. ad vs. 199. Ep. XX. Vechn. Op. l. L. I. c. 18. de Adjectivis, Graecorum more, genitivum regentibus.

32. *Commentis* etc. i. e. patior et passa sum multa mala propter commenta tua, dolos ac fraudes. Intelligit, inquit Drakenb., jusjurandum, quod illi pomo inscriptum, Acontius commentus fuerat. V. Argum. h. Ep. §. 2. Eadem voce usus est Terent. in Andr. Act. I. sc. 3. vs. 20. Cic. de Nat. Deor. L. II. c. 2.

33. *Superbae* bono sensu hic accipi debet, pro *egregiae, excellentis.* V. ad Sil. Ital. L. X. vs 573. Drakenb.

34. *Merces.* V. ad vs. 142. Ep. praec.

Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem;
Culpatum nulla corpus egeret ope.
Nunc laudata gemo: nunc me certamine vestro
Proditis: et proprio vulnerer ipsa bono.
Dum neque tu cedis, nec se putat ille secundum;
Tu votis obstas illius, ille tuis.
Ipsa, velut navis, jactor; quam certus in altum
Propellit Boreas, aestus et unda refert.
Cumque dies caris optata parentibus instat,
Immodicus pariter corporis ardor inest.

Et placuisse nocet? Et valet *etiam.* V. ad vs. 52. Ep. II.

36. *Culpatum* a te, neglectum ob deformitatem.

Nulla — egeret ope. V. supra vs. 13. sq.

37. *Nunc laudata gemo.* Participium rationem reddit, quare gemat. Propterea, quod meam formam non culpatis, at laudatis.

Certamine vestro. Tuo et rivalis tui. Infra vs. 53. Oud.

38. *Proditis.* Praeter opinionem perditis. Cf. supra vs. 33. sq. V. ad vs. 40. Ep. I. Scholia D. Ruhnk. in Suet. pag. 243. in v. *Perderentur.*

Proprio — bono a natura mihi concesso. Pulcritudine mea.

Vulnerer. V. ad vs. 105. Ep. XIX.

39. *Cedis* loco primo. Vid. vs. 37.

Secundum adeoque inferiorem. *Secundus* oritur a verbo *sequor*, quod idem arbitror, inquit Perizon. ad Sanctii Minerv. L. III. c. 2. pag. 279, quod *jungor alicui post tergum.*

41. *Jactor* i. e. tempestatibus, quasi in mari, huc illuc feror. V. Ovid. Trist. El. 2. vs. 39. *velut navis*, quando
„ Nescit, cui domino pareat, unda maris."

Certus sive constanti tenore flans. V. ad vs. 417. L. V. Lucani: eique opponuntur aurae *leves sive incertae.* V. Ep. VI. vs. 109. Est autem *aestus et unda* figura ἐν διὰ δυοῖν pro *aestu undae.* Oud.

42. *Propellit Boreas*, porro pellit in medium mare Boreas. Non, ut Micyllus ad h. vs., *Boreas* pro *quovis* vento adcipias, sed pro eo ipso, qui *sicca bacchatur ab Arcto*, ut ait Ovid. Trist. L. I. El. 2. vs. 29.

Refert. Suo inpetu ex alto ad terram refert.

43. *Dies — optata*, nuptialis.

44. *Immodicus — ardor.* Torrida febris. V. infra vs. vs. 169.

Et mihi conjugii tempus crudelis ad ipsum
Persephone nostras pulsat acerba fores.
Jam pudet: et timeo, quamvis mihi conscia non sim,
Offensos videar ne meruisse Deos.
Accidere hoc aliquis casu contendit: et alter
Acceptum Superis hunc negat esse virum.
Neve nihil credas in te quoque dicere famam,
Facta veneficiis pars putat ista tuis.
Caussa latet: mala nostra patent. vos pace, movetis
Aspera submota proelia: plector ego.

45. *Conjugii tempus — ad ipsum.* Inminente et jam oriente conjugii tempore sive die. V. Burm. ad Val. Flacci L. III. vs. 48. Tursell. Op. l. in v. *ad* nº. 3.

46. *Persephone.* Proserpina (Inferorum regina) dicitur pulsare fores fictione poëtica, qua Cydippe indicat, se tempore, quo nuptiae parantur, graviter adeo decumbere, ut sibi moriendum esse crederet. V. Horat. L. I. Od. 4. vs. 13. Drakenb.

Acerba quare Persephone dicatur, jam dubium, credo, nemini.

47. *Jam pudet.* Pudore me adficit. V. Sanct. Minerv. L. III. c. 1. pag. 264. *Quamvis mihi conscia non sim* alicujus nempe mali, quo deos laeserim.

48. *Offensos videar* etc. Verborum constructio haec est: Ne videar meruisse Deos *offensos* sive iratos mihi. Puta *esse.* Non sat commode dictum, inquit Micyllus ad h. vs. Sententia tamen est: Ne videar deos offendisse, aut meruisse, ut essent mihi offensi pro *infensi.* Frustra, inquit Burm. ad Lotichium Eleg. L. V. El. 18. vs. ult., Micyllus *offensos Deos* recte dici negabat pro *infensis.* Loca, quibus suum judicium firmat Burm., vid. d. l. Suam enim quodque crimen a Diis sequi poenam statuebant veteres.

49. *Accidere hoc aliquis.* Aggravat miseriam suam ex consequentibus, iis scil., quae fama feruntur. Micyllus.

50. *Acceptum.* Gratum. V. Ep. XVII. vs. 71. Drakenb.

Hunc — virum, cui parantur nuptiae. Micyll.

51, 52. *Neve nihil credas* etc. Atque, ut *credas*, scias, famam contra te quoque aliquid *dicere*, habere, quod tibi crimini vertat; *pars* nempe etc. sive sunt, qui putent, te veneficiis tuis istam mihi febrim parare.

53. *Caussa latet: mala nos-*

Dicam nunc, solitoque tibi me decipe more:
Quid facies odio, sic ubi amore noces?
Si laedis, quod amas, hostem sapienter amabis.
Me, precor, ut serves, perdere velle velis.
Aut tibi jam nulla est speratae cura puellae,
Quam ferus indigna tabe perire sinis;

tra patent. V. supra vs. 13.

Vos pace — proelia. Vos, pace rupta, asperi ac saevi belli auctores estis. A re militari ductam esse hanc metaphoram in confesso est. V. supra vs. 37, 39. Quae verbi *movere* propria sit significatio vid. ad vs. 3. Ep. VII.

Plector ego. A Dea scil., quae fidem a me exigit, ut tu quidem, Aconti, sentis. Micyll.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Horat. L. I. Ep. 2. vs. 14.

55, *Dicam nunc.* Declamatorio more, quo saepe ita sententia et periodus exordiitur. V. Burm. ad h. l. Oud.: Declamatorium vero illud hic loci mihi, nescio quomodo, displicet. Quid? si legamus: *Dic, age, nunc.* Ironiam quisque sentit. Quo scripto, Lennepii animadv. consulens, idem Viro Cl. placere deprendi, qui *dic age nunc* interpretatur « Responde ad hoc, si potes."

Solito tibi — more. Ita et loquitur Ovid. L. III. Ep. ex Ponto Ep. I. vs. 165. Drakenb.

56, *Quid facies odio* etc. Quo tandem malo me adficies iratus, qui mei amore ardens in tanta me conjicias mala.

57, 58. *Si laedis, quod amas* etc. Cum noceas, quos ames, forsan etiam servabis, quibus velis nocere; quare prudenter facias, si hostes ames, ut eos perdas: contra vero precor, ut me perdere velis; ita enim servabor. Drakenb.

58. *Perdere velle velis.* Si, haec sana sunt, inquit Oud. ad h. vs., quod vehementer dubito, *velle* notabit *conatum, voluntatis effectum.* Precor, ut velis *anniti*, omnibusque viribus contendere in meam perniciem. V. van Lennep ad h. vs.

59. *Speratae.* Quam tibi matrimonio junctum iri sperasti.

60. *Quam ferus* i. e. ob feritatem, tuam animi duritiem, saevitiam.

Indigna tabe i. e. febri, tabis causa. *Indigna.* qua digna non sum, quam non meueram, adeoque *crudeli, foeda tabe.* Drakenb. ad Sil. Ital. L. XIII. vs. 606.

Aut, Dea si frustra pro me tibi saeva rogatur,
Quid mihi te jactas? gratia nulla tua est.
Elige quid fingas, non vis placare Dianam;
Immemor es nostri; non potes; illa tui est.
Vel numquam mallem, vel non mihi tempore in illo
Esset in Aegaeis cognita Delos aquis.
Tunc mea difficili deducta est aequore navis,
Et fuit ad coeptas hora sinistra vias.
Quo pede processi! quo me pede limine movi!
Picta citae tetigi quo pede texta ratis!

61. *Dea — saeva.* V. ad vs. 6. h. Ep.

Tibi — rogatur. Pro, a te. Si frustra invocas et precaris pro me Dianam, saevam mihi Deam. Oud. *Pro me.* V. Burm. ad Phaedr. L. III. fab. 2. vs. 16.

62. *Quid mihi te jactas?* Quare multa mihi gloriose, et cum ostentatione praedicas de favore Dianae erga te. V. ad vs. 175. Ep. XII. Drakenb.

Gratia tua nulla est. Sive auctoritate nihil vales apud Dianam, Potes nihil tua gratia ac favore ab illa impetrare. Saepissime *gratia valere* dicuntur illi, qui grati et accepti sunt potentiori, et hinc multa efficere possunt, tam in amicorum, quam in suum usum. Oud.

63, 64. *Elige quid fingas* etc. Elige, utrum fingere velis. Alterutrum verum est, inquit Drakenb., vel non vis placare Dianam; unde sequitur, te inmemorem esse mei: vel non potes eam placare; et hinc consequens est, Dianam immemorem esse tui.

65. *Vel numquam mallem* etc. Ex hoc loco incipit narrare profectionem et seriem malorum suorum. Orditur autem a voto. Utinam, inquiens, aut numquam, id quod mallem, aut non hoc tempore navigassem Delum; scil. quo tempore eodem venit Acontius. Micyll.

67. *Tunc mea difficili* etc. Tunc difficulter et maximo cum labore, quod pessimum erat omen, mea navis de litore vel navalibus *deducta est*, seu demissa in mare, cum illud vix cedere voluit, et aegre admisit navem aquis (*difficili aequore*) nisi tarde evictis et cedentibus. Ut contra *faciles viae* dicuntur Ep. XIX. vs. 52. Oud. Ep. XVIII. vs. 45. Ep. XVI. vs. 23. ad h. vs. laudat Drakenb.

68. *Hora.* V. ad vs. 33. Ep. XIX. *Sinistra*, inauspicata, mala. Micyllus. V. ad vs. 115. Ep. II.

69. *Quo pede* etc. Quali pe-

Bis tamen adverso redierunt carbasa vento.
Mentior ah demens! ille secundus erat.
Ille secundus erat, qui me referebat euntem;
Quique parum felix impediebat iter.
Atque utinam constans contra mea vela fuisset!
Sed stultum est venti de levitate queri.
Mota loci fama properabam visere Delon:
Et facere ignava puppe videbar iter.
Quam saepe, ut tardis, feci convicia remis;
Questaque sum vento lintea parca dari!

de. Exclamatione autem indicare vult, *sinistro* infelici pede processisse, ac limen transiisse vel a limine iter suum incepisse.

70. *Picta — texta ratis. Textum* pp. quodcunque opus texendo factum. Hinc tabulae, quibus compacta erat navis. Burm. ad Ovid. Trist. L. I. El. 4. vs. 9. *Ratis* autem est lignorum compages; unde factum est, ut, cum *ratis*, qua minus excultae gentes etiam recentioribus temporibus utuntur, meminimus, *navis* cogitatio animum subeat, quae postea, majori arte, constructa est. Ovid. Trist. L. I. El. 4. vs. 9. naves pinu factas vocat *pinea texta*.

Picta. Pictura enim naves illustrare solebant veteres, inquit Burm. ad Val. Flacc. L. I. vs. 129. Vid. Auct. a V. Cl. laud. inter quos et Schefferus de Militia navali L. II. c. 6.

Citae. ὠκεῖς. Constans ac perpetuum fere apud Homerum navis epitheton.

71. *Carbasa* pp. linum tenue, unde vela fiebant. Cf. vs. 171. Ep. VII.

72. *Ille secundus erat*. Quippe qui impediebat, ne ad Delum navigarem. Vid. vs. 65, 74. h. Ep. De voce *secundus* vid. not. ad Ep. II. vs. 96.

75. *Constans*. Certus. V. ad vs. 41. h. Ep.

76. *Sed stultum est* etc. Cujus natura in inconstantia sola constans sit vid. vs. 109. sq. Ep. V.

78. *Ignava puppe*. De homine cum adjectivum adhibetur, indicat negligentem, nullam adhibentem diligentiam, inertem, tardum; hanc significationem in navem transferus, cui non exculta vetustas phantasiae ope humanos adfectus indidit. *Tarda* autem Cydippae navis videbatur ob insulae visendae studium.

79. *Ut tardis — remis*, quasi

Et jam transieram Myconon, jam Tenon, et Andron:
Inque meis oculis candida Delos erat.
Quam procul ut vidi, quid me fugis, insula? dixi,
Laberis in magno numquid, ut ante, mari?
Institeram terrae, cum jam, prope luce peracta,
Demere purpureis Sol juga vellet equis:

tardi essent, quales mihi quidem videbantur.

Feci convicia remis, ut animatis. V. supra ad vs. 78. Cf. vs. 112. Ep. XVIII.

80. *Lintea*. V. ad vs. 125. Ep. II.

Parca. Adjectivum ponitur pro adverbio *parce*. V. Ep. I. vs. 8. *Parce* autem dari dicuntur, quae dantur *non satis magna copia*. V. Heins. ad Am. L. II. El. 15. vs. 27. Drakenb.

81. *Et jam transieram* etc. Praetervecta eram. Ab insula Cea sive Ceo solventi ad Delum, Andros, Tenos et Myconos ad sinistram jacebant. Inverso adeo ordine hic dictae insulae enumerantur.

82. *Inque — oculis — erat*, imago scil. insulae, qua deficiente, videri ac conspici Delos non poterat. Alias dicitur *ante oculos*.

Candida. Nitens et longe conspicua, ut Horat. L. I. Od. 14. vs. 20. *nitentes* dixit *Cycladas* (ob marmoris ibi nascentis nitorem). Alludit vero ad etymon vocis δῆλος *manifesta*. V. ad Lucan. L. I. vs. 214. Oud.

83. *Quid me fugis, insula?* De prosopopoiia satis dictum puto. Cydippae autem insula *fugere* videbatur. Rationem vid. supra in vs. 77, 78.

84. *Laberis* etc. Fluctuasne et inconstans es, neque uno loco persistis? Micyll. Antequam enim Latona ibi peperat Apollinem et Dianam, fingebatur haec insula, Ortygia prius dicta, mobilis esse et in mari huc illuc ferri ac natare. V. Hygin. fab. 53. Callimachus Hymn. in Delum et Virg. Aen. L. III. vs. 76. Oud.

85. *Institeram terrae*. Plusq. perfectum verbi *insistere*. Vid. Servium ad Aen. L. VI. vs. 708. Oud.

86. *Demere purpureis* etc. Est circumscriptio vesperae, ut Fast. L. IV. vs. 688. Communis opinio veterum fuit, solem quadrigis vehi, equos autem mane (ab Horis) currui jungi; vespere autem jugum iis demi. V. Sil. Ital. L. VI. vs. 1. sq. *Purpurei* vocantur propter colorem coeli tempore matutino ac vespertino. Ita *purpureas*

Quos idem solitos postquam revocavit ad ortus,
Comuntur nostrae, matre jubente, comae.
Ipsa dedit gemmas digitis, et crinibus aurum:
Et vestes humeris induit ipsa meis.
Protinus egressae Superis, quibus insula sacra est,
Flava salutatis tura merumque damus.
Dumque parens aras votivo sanguine tinguit,
Festaque fumosis ingerit exta focis:

fores et plena rosarum atria Auroram mane patefacere dicit Ovid. Metam. L. II. vs. 113. Drakenb.

88. *Comuntur — comae.* Cf. Ovid. Am. L. II. El. 8. vs. 2. Sil. Ital. L. VII. vs. 460. Drakenb.

Matre jubente. Ab ancillis comae comuntur, ministerium sordidius, certe minus honestum. van Lennep ad h. vs.

89. *Ipsa dedit* etc. Hoc ministerium, tanquam suae personae conveniens, et maternas manus tantum non exspectans sibi ipsa mulier elegans servavit, ut per se potissimum ornatui filiae summus ille quasi cumulus accederet. Van Lennep ad h. vs.

Gemmas digitis. Annulum gemmis ornatum. Drakenb.

Crinibus aurum. Στλεγγίδα. van Lennep ad h. vs. Cf. Heyn. ad Virg. Aen. L. IV. vs. 137—139.

91, 92. *Superis salutatis.* Peregre advenientes (salutarunt) ac sacrificarunt Diis ac Geniis, quibus ea loca, quo advenerant, consecrata fuere. Oud. Vid. J. Meursii commentarius in Lycophronis Cassandram vs. 1473. qui, quae ad hanc rem pertinent, loca undique eo collegit, in quibus et hic Ovidii vs. *Salutare Deos* est, adorare. Drakenb. Venerari. Ruhnk. in dictat. in Phorm. Act. II. sc. 1. vs. 81.

91. *Quibus insula sacra est.* Latonae, Apollini, et Dianae prae ceteris; alios insuper Deos ibi coli solitos fuisse observat Spanhem. ad Callim. Hymn. in Delum vs. 24. Drakenb.

92. *Tura merumque damus.* V. Peerlkamp ad Xenoph. Ephes. pag. 8. vs. 3. in v. ἐξιστόρησαν.

93. *Votivo sanguine tinguit.* V. ad vs. 236. Ep. XX.

94. *Fumosis — focis.* Cf. vs. 25. sq. Ep. I.

Ingerit pp. qui aliquid invito obtrudit. V. Burm. ad Val. Flacc. L. VII. vs. 651. Quo sensu *ingerere probra*, et *ingerere tela vel saxa* dicitur. Hic et alibi in genere notat *inferre*,

Sedula me nutrix alias quoque ducit in aedes,
Erramusque vago per loca sacra pede.
Et modo porticibus spatior, modo munera regum
Miror: et in cunctis stantia signa locis.
Miror et innumeris structam de cornibus aram,
Et de qua pariens arbore nixa Dea est.

imponere et quidem *magna copia*. Drakenb.

95. *Aedes* pluraliter pro *templis* dixit. Abusive. Micyll.

96. *Erramusque vago* etc. Huc illuc deambulabamus nullo, nisi omnia visendi, certo consilio.

97. *Porticibus spatior*. Ambulo. Per *porticus*, inquit Drakenb., intelliguntur aedificia, multis columnarum ordinibus distincta, templis jungi solita, in quibus homines ambularent. Romanorum porticus intelligit Ovidius, inquit Ciofanus ad h. vs. Multa ejusmodi reperies apud scriptores, quae, dum de externis nationibus loquantur, a Romanorum moribus et aedificiis sumta sunt. Sic quoque apud Virg. Aen. L. II. est hujusmodi porticus mentio, ubi ille Priamum a Pyrrho interfectum finxit.

Munera regum. Donaria, quae Deis ibi oblata erant a regibus. Micyll.

98. *Stantia signa*. Statuas et effigies Deorum. Id.

99. *Innumeris structam* etc. Indicat aram Apollinis Delii (Dianae, inquit Hubert. ad init. h. Ep. quam totam interpretari, nescio qua de causa, supersedit) quae ex cornibus dextris animalium (vel cervorum tantummodo, qui sunt in tutela Dianae. Hubert.) uno die immolatorum constructa neque glutine ullo, neque aliis vinculis confecta inter septem miracula mundi habebatur. V. Plutarch. de solertia animalium (edit. Ffrancof. anni 1620, qua ego utor, Part. II. pag. 983. lit. D.) Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Apoll. vs. 60. Drakenb.

100. *De qua* etc. Quae sit arbor, inquit Hubert., ipse Ovid. aperte declarat Metam. L. VI. his versibus.

« Illic incumbens cum Palladis arbore palmae,
Edidit invita geminos Latona noverca."

Arborem igitur palmae et olivae significat, cui incumbens Latona Dianam et Apollinem peperit. V. van Lennep ad h. vs.

De qua — arbore, cui arbori inhaerens: *de* pro *ex* adcepto. V. Tursell. in v. *de*.

Et quae praeterea (neque enim meminive, libetve,
Quidquid ibi vidi, dicere) Delos habet.
Forsitan haec spectans a te spectabar, Aconti:
Visaque simplicitas est mea posse capi.
In templum redeo, gradibus sublime, Dianae.
Tutior hoc ecquis debuit esse locus?
Mittitur ante pedes malum, cum carmine tali.
Hei mihi! juravi nunc quoque pene tibi.
Sustulit hoc nutrix, miirataque, Perlege, dixit.
Insidias legi, magne poëta, tuas.
Nomine conjugii dicto, confusa pudore
Sensi me totis erubuisse genis:
Luminaque in gremio, veluti defixa, tenebam,
Lumina propositi facta ministra tui.

101. (*Neque enim meminive libetve.* Non enim is nunc erat Cydippae animus, ut. etc.

104. *Simplicitas.* V. ad vs. 63. Ep. II. vs. 285. Ep. XVI. *Capi.* Falli, decipi. Ovid. Ep II. vs. 63.

« Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria. simplicitas digna favore fuit."

105. *Templum — gradibus sublime.* Ita enim antiqui templa exstruebant, ut ad ea gradibus adscenderent. V. Ovid. Metam. L. I. vs. 375. De templo autem Dianae in insula Delo v. Spanhem. ad Callimachi Hymn. in Delum vs. 24. Drakenb.

106. *Tutior — loeus* ab insidiis tuis. Sacer quippe.

107. *Mittitur.* V. Argum. §. 2. *Cum carmine tali.* Quod, Graecum sine dubio, tacet, ne iterum juret recitando, ut subdit Cydippe. Oud. Verba ab Acontio pomo inscripta metrica fuisse videntur, quia infra, vs. 110. Acontius *magnum poëtam* vocat. Vox vero *carmen* non praecise id indicat. Drakenb. V. ad vs. 194. Ep. VII.

109. *Sustulit hoc nutrix.* V. ad vs. 97. Ep. XVIII. van Lennep ad h. vs.

110. *Magne poëta.* V. supra ad vs. 107.

111. *Confusa pudore.* V. ad vs. 147. Ep. XVII. et vs. 120. Ep. XX. van Lennep ad h. vs.

112. *Sensi.* Propria significatione.

Totis — genis. Confusa enim erat pudore. Rubor adeo genas *omnino* infecerat.

113. *Veluti defixa.* Stupens,

Improbe, quid gaudes? aut quae tibi gloria parta est? 115
Quidve vir elusa virgine laudis habes?
Non ego constiteram sumta peltata securi;
Qualis in Iliaco Penthesilea solo.
Nullus Amazonio caelatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte praeda relata tibi est. 120

attonita. Burm. ad h. l. et ad Val. Flacc. L. IV. vs. 226. Ruhnk. Clavo quasi ei loco, ubi erant, inpacta, ut moveri inde nequirent. Cf. vs. 35. Ep. XI.

114. *Lumina* etc. Quia, nisi aspexisset pomum, non legisset; et per consequens, non jurasset, id quod Acontius volebat. Micyll. V. ad vs. 24. Ep. XVIII. Notandum, inquit Ruhnk. ad h. vs., v. *ministra* contra veterum consuetudinem adjective dici.

115. *Improbe quid gaudes?* etc. V. ad vs. 104. h. Ep.

116. *Elusa virgine.* « Eludere, ut ait Donatus in Comment. ad Terent. Eunuch. Act. I. sc. 1. vs. 10, proprie est ictum vitare, quod fit arte et dolo; unde et pro *decipere* (ac *frustrari*) usurpatur. Locutio tracta est a gladiatoribus, quique arma tractant." Quando scilicet mutuos ictus corporis deflectione evitant. V. Burm. ad Phaedri fab. 12. vs. 9. L. I. van Lennep ad h. vs.

Quid — laudis habes? i. e. nihil laudis aut certe non magnam laudem inde habes. Drakenb.

117. *Non ego constiteram.* Parata scil. ad pugnam. De statu enim sese ad pugnam parantis verbum *consistere* usurpari docet Burm. ad Val. Flacc. L. VIII. vs. 133. a Drakenb. laud.

Sumta peltata securi. Hoc et seq. disticho indicat, se non esse ex numero illarum virginum, quas vincere *viris* laudi erat. Per *peltatam sumta securi* indicat Amazonem. Earum enim arma erant 1°. pelta sive clypeus referens formam Lunae, corniculata. V. ad Sil. Ital. L. II. vs. 80. 2°. Securis sive pp. bipennis. V. ad Sil. Ital. L. XVI. vs. 264. Drakenb. Amazona armatam imagine expressam vid. ad Sil. Ital. L. II. vs. 77. Edit. Drakenborchii.

118. *Penthesilea* fuit regina Amazonum, quae Trojanis adversus Graecos opem ferens cum universo exercitu periit. V. Quinctus Calaber in Supplem. Homeri παραλειπόμενων Ὁμήρου L. I. vs. 18. et 592. Dictys Cretensis de bello Trojano c. 2, 3. Just. L. II. c. 4. §. 31. sq. Drakenb.

119. *Amazonio caelatus balteus auro* per Enallagen ita dictum pro *Amazonius balteus.* In-

Verba, quid exsultas, tua si mihi verba dederunt,
Sumque parum prudens capta puella dolis?
Cydippen pomum, pomum Schoeneïda cepit.
Tu nunc Hippomenes, scilicet, alter eris.
At fuerat melius, (si te puer iste tenebat,
Quem tu, nescio quas, dicis habere faces)
More bonis solito spem non corrumpere fraude.
Exoranda tibi, non capienda fui.
Cur, me cum peteres, ea non profitenda putabas,
Propter quae nobis ipse petendus eras?

ter labores (quos duodecim numero ab Eurystheo illi impositos recenset Hyginus fab. 30.) etiam hic fuit, ut balteum Amazonis Hippolytae ad se ferret. Qua re ex illato Amazonibus bello, iis acie profligatis, victam Hippolyten cum balteo cepit. Micyll. Laudat Drakenb. etiam Apollod. Bibl. L. II. c. 5. §. 9. atque addit, Justinum L. II. c. 4. §. 18. sq. rem paulo aliter narrare.

120. *Sicut ab Hippolyte* etc. Herculi s. ab Hercule. Apoll. Rhod. Argon. L. II. vs. 780. *Referre spolia ex* et *ab aliquo* Latini dicunt; hinc forma passiva, *relata* non indicat, Hippolyten esse, quae retulit, sed alium, qui *ex* vel *de* Hippolyte tulerit. Drakenb.

121. *Exsultas.* Nimium quantum gaudes, pp. prae maximo gaudio semel ac saepius exsilis.

Verba — verba dederunt. Adsentior Oudendorpio hanc ineptam ac captatam antiphrasin esse dicenti. Quid sit *verba dare*, in promptu est.

122. *Sumque parum prudens* etc. V. ad vs. 104. h. Ep.

123, 124. *Pomum Schoeneïda* etc. V. ad vs. 263. Ep. XVI.

125. *At fuerat melius.* Contra, magis te decuerat, non fraude me petere, sed precibus et more solito ambire.

Puer iste, Cupido, *tenebat* captum in sua potestate. Oud.

126. *Quem tu, nescio quas*, etc. Quem (virgo) fingit se adhuc non novisse, ac nondum amore esse tactam. Oud. V. praec. Ep. vs. 231. sq. Ad vs. 124. Ep. VII.

127. *Spem — corrumpere fraude.* Fraudibus efficere, ne me, uxorem, amplius sperare posses. *Corrumpere spem* est spem *perdere.* Drakenb. sed, mea quidem sententia, quam ad Ep. XX. vs. 117. verbis uncinulis inclusis *sua culpa* significavi, culpae notio verbo inhaeret.

128. *Capienda.* V. supra vs. 104.

Cogere cur potius, quam persuadere, volebas,
Si poteram audita conditione capi?
Quid tibi nunc prodest jurandi formula juris,
Linguaque praesentem testificata Deam?
Quae jurat, mens est: nil conjuravimus illa; 155
Illa fidem dictis addere sola potest.
Consilium prudensque animi sententia jurat,
Et nisi judicii vincula nulla valent.

130. *Propter quae* etc. Ut sunt, genus, divitiae, parentes, cetera, quae proci praetendere et allegare solent. Micyll.

131. *Cogere.* V. Cic. de Amicitia c. 8. §. 26. Ep. XVII. vs. 185.

132. *Audita conditione.* Conjunctione vel pactione nuptiarum et sponsalorum. V. ad Suet. Caes. c. 27. Hinc pro ipsis nuptiis saepe vox *conditio* usurpatur. V. Nepos in Cim. c. 4. et not. ad h. v. Brissonium de verb. signif. in v. *conditio* laudat Drakenb.

Capi. Bono sensu adcipias, *adlici.* Si ad auditum tui nominis, matrimonium, ad quod me invitabas, ita placere posset, ut eo quasi capta tenerer, nec redimi vellem.

133. *Jurandi formula juris.* Quod vulgo dicitur *jurisjurandi.* Consultorum verbis utitur, inquit Micyll., pro « quid tibi prodest juramentum, quod, verbis pomi lectis, tibi feci?

134. *Linguaque* etc. V. ad vs. 160. Ep. XX.

135. *Quae jurat, mens est.* Cui reservationi mentali si locus detur, jusjurandum nihil esset nisi lusus, ut in not. ad Artemidorum in het Romeinsche rijk D. I. pag. 186. rectissime observat, qui hoc C. Kuffneri opus e Germano in Belgicum sermonem vertit, notisque ornavit Steenbergen van Goor; hunc, inter alios, Ovidii l. cit. V. van Lennep ad h. vs. Respicit, inquit Ruhnk., Poëta ad notissimum Euripidis vs. 612. in Hippolyto quem ita vertit Cic. de Off. L. II. c. 29. « Juravit lingua, mentem injuratam gero." Vid. Cl. Valckenaer ad l. c.

Nil conjuravimus illa. Conjurare plerumque malo sensu sumitur, pro *jurare in alicujus perniciem.* Sed pp. est verbum *mediae* significationis. Hic autem ponitur vel pro simplici *jurare*, vel pro *simul jurare*; dicit enim linguam tantum jurasse, mentem non juravisse, vel non *simul* cum lingua jurasse. Drakenb. Posteriori meum calculum adjicio.

Si tibi conjugium volui promittere nostrum;
Exige polliciti debita jura tori:
Sed si nil dedimus, praeter sine pectore vocem;
Verba suis frustra viribus orba tenes.
Non ego juravi: legi jurantia verba.
Vir mihi non isto more legendus eras.
Decipe sic alias: succedat epistola pomo.
Si valet hoc; magnas divitis aufer opes.

137. *Prudens animi sententia. Prudens* est sciens, conscia. V. ad vs. 150. Ep. V. Drakenb. *Animus* autem hîc *voluntatem* notat. Id.

138. *Et nisi judicii* etc. h. e. non valet juramentum quod temere et imprudenter profertur, ad quod judicium et voluntas animi non accedit. Micyll. V. ad vs. 39. Ep. XX.

139, 140. *Si tibi conjugium volui* etc. Hoc verbum urgendum est. Indicat enim, ut ait Drakenb., se quidem promisisse matrimonium suum; non tamen animi propositum fuisse ut promitteret, adeoque Acontium exigere non posse, ut praestaret quae, praeter animi sententiam, decepta promiserat.

140. *Exige tori debita jura. Jura tori* notant matrimonium. V. ad Ep. XII. vs. 193. Proprie autem *creditores* dicuntur *exigere debitum*, cum pecuniam expensam a debitoribus repetunt. V. Cic. pro Murena c. 20. Ovidium huc respexisse patet ex addito epitheto *debita*. Drakenb.

141. *Sine pectore vocem.* Sic Virgil. L. X. vs. 640. dixit «Dat sine mente sonum" Verba absque judicio et certa voluntate prolata. Micyll.

142. *Verba suis — viribus orba.* Carentia viribus, et effectu, verba irrita. Micyll.

143. *Juravi: legi.* Verba juxta se invicem posita efficiunt, ut eo magis discrimen sentiamus inter *jurare* et *legere* verba jurantia sive jusjurandum. Ita vs. 33. Ep. XX. dixit Ovid. *rogantia verba* pro *rogatione*, ut ad h. vs. adnotat Drakenb.

144. *Vir — legendus eras* i. e. eligendus. V. Ep. VIII. vs. 52. Drakenb.

145 — 150. *Decipe sic alias* etc. Ab absurdo argumentum. Si sic licet agere, posses eadem cavillatione et divitias et regna tibi stipulari. Denique ipsa Diana major, ac ditior hac ratione fores. Micyll.

Succedat epistola pomo. Post-

Improbe, quid gaudes? aut quae tibi gloria parta est? 115
Quidve vir elusa virgine laudis habes?
Non ego constiteram sumta peltata securi;
Qualis in Iliaco Penthesilea solo.
Nullus Amazonio caelatus balteus auro,
Sicut ab Hippolyte praeda relata tibi est. 120

attonita. Burm. ad h. l. et ad Val. Flacc. L. IV. vs. 226. Ruhnk. Clavo quasi ei loco, ubi erant, inpacta, ut moveri inde nequirent. Cf. vs. 35. Ep. XI.

114. *Lumina* etc. Quia, nisi aspexisset pomum, non legisset; et per consequens, non jurasset, id quod Acontius volebat. Micyll. V. ad vs. 24. Ep. XVIII. Notandum, inquit Ruhnk. ad h. vs., v. *ministra* contra veterum consuetudinem adjective dici.

115. *Improbe quid gaudes?* etc. V. ad vs. 104. h. Ep.

116. *Elusa virgine.* « Eludere, ut ait Donatus in Comment. ad Terent. Eunuch. Act. I. sc. 1. vs. 10, proprie est ictum vitare, quod fit arte et dolo; unde et pro *decipere* (ac *frustrari*) usurpatur. Locutio tracta est a gladiatoribus, quique arma tractant." Quando scilicet mutuos ictus corporis deflectione evitant. V. Burm. ad Phaedri fab. 12. vs. 9. L. I. van Lennep ad h. vs.

Quid — laudis habes? i. e. nihil laudis aut certe non magnam laudem inde habes. Drakenb.

117. *Non ego constiteram.* Parata scil. ad pugnam. De statu enim sese ad pugnam parantis verbum *consistere* usurpari docet Burm. ad Val. Flacc. L. VIII. vs. 133. a Drakenb. laud.

Sumta peltata securi. Hoc et seq. disticho indicat, se non esse ex numero illarum virginum, quas vincere *viris* laudi erat. Per *peltatam sumta securi* indicat Amazonem. Earum enim arma erant 1°. pelta sive clypeus referens formam Lunae, corniculata. V. ad Sil. Ital. L. II. vs. 80. 2°. Securis sive pp. bipennis. V. ad Sil. Ital. L. XVI. vs. 264. Drakenb. Amazona armatam imagine expressam vid. ad Sil. Ital. L. II. vs. 77. Edit. Drakenborchii.

118. *Penthesilea* fuit regina Amazonum, quae Trojanis adversus Graecos opem ferens cum universo exercitu periit. V. Quinctus Calaber in Supplem. Homeri παραλειπόμενων Ὁμήρου L. I. vs. 18. et 592. Dictys Cretensis de bello Trojano c. 2, 3. Just. L. II. c. 4. §. 31. sq. Drakenb.

119. *Amazonio caelatus balteus auro* per Enallagen ita dictum pro *Amazonius balteus*. In-

Ter mihi jam veniens positas Hymenaeus ad aras
Fugit, et e thalami limine terga dedit.
Vixque manu pigra toties infusa resurgunt
Lumina: vix moto corripit igne faces.
Saepe coronatis stillant unguenta capillis,
Et trahitur multo splendida palla croco.

155. *Socialia sacra.* Sacra, quae socialia foedera antecedunt. Vid. vs. 17. Ep. IV.

156. *Languida — cadunt.* Ob languorem solvuntur. Flaccida fiunt, inquit. Oud.

157. *Ter.* De hoc veteribus sacro atque adamato numero alibi dixi.

Jam veniens. E *thalami*, ut ait vs. seq., *limine terga dedit*, in fugam se quasi conjecit, rediit Hymenaeus, Nuptiarum Deus.

159. *Manu pigra.* Lassa jam et defatigata saepius accendendo. Micyll.

Toties infusa resurgunt. V. J. C. Bulinger de prodigiis L. IV. c. 12. pag. 473. Thes. Antiq. Graevii tom. IV. van Lennep ad h. vs.

160. *Lumina* lampadum seu lychnorum, quibus, quoties accendi debebant, toties infundendum erat oleum. Van Lennep ad h. vs. quem plura ad h. vs. intellectum egregie disserentem consulere ne negligas, Lector!

Infusa van Lennep in extrema animadv. ad h. vs., semel positum, bis intelligi debere monet, ut sit, nisi fallor, « Lampadum lumina, toties ab Hymenaeo infusa (ter), nunc quartum manu solito pigriore infusa vix resurgunt.

Vix moto etc. Hymenaeus corripit faces igne vix moto. *Corripere* est uno impetu rapere, cui consequens erat, ut faces extinguerentur. Quod ad phrasin *ignem movere* vid. ad vs. 120. Ep. II. Mali ominis esse quae hoc et superiore versu memorantur, res ipsa loquitur.

161. *Saepe coronatis stillant* etc. V. ad vs. 153. Ep. XIX. Haec capienda sunt de ipso Hymenaeo, qui coronatus et unctus se parabat, ut nuptiis Cydippes interesset; hunc enim Deum coronatum plerumque induci, praeter alia, locus Ovidii probat Ep. VI. vs. 44. Drakenb.

162. *Trahitur — palla.* Palla erat genus amiculi longioris, non modo ad imos talos demissi, sed longo insuper syrmate *terram verrentis*; unde dicitur *humi jacere.* Ovid. Am. L. III. El. 1. vs. 12. Huc respicit Ovidius dicendo *trahitur.* *Syrma* Graecum est a verbo σύρειν *trahere.* Drakenb. V. Pi-

Cum tetigit limen, lacrimas mortisque timorem
Cernit; et a cultu multa remota suo.
Projicit ipse sua deductas fronte coronas,
Spissaque de nitidis tergit amoma comis.
Et pudet in tristi laetum consurgere turba:
Quique erat in palla, transit in ora rubor.
At mihi (vae miserae!) torrentur febribus artus:
Et gravius justo pallia pondus habent.
Nostraque plorantes video super ora parentes:
Et, face pro thalami, fax mihi mortis adest.

tisci Lexicon Antiq. Rom. in v. *palla* et *syrma*.

Multo splendida croco. Cujus coloris vestimenta in pretio erant, uti patet ex Virg. Aen. L. XI. vs. 175. Val. Flacc. L. VIII. vs. 234. Drakenb.

163. *Cum tetigit limen*. Vix dum in limine pedem posuerat, cum cernit.

164. *A cultu — remota suo*. Aliena ab illis ceremoniis, quibus Hymenaeus coli solebat. Drakenb.

165. *Projicit ipse* etc. V. van Lennep ad h. vs.

Deductas fronte, detractas, ob tristitiam. Vid. vs. 163. h. Ep.

166. *Spissa — amoma* unguenta sunt crassa, non liquida. V. Drakenb. ad Sil. Ital. L. XV. vs. 117. Pinguia. Spanhem. ad Call. Hymn. in Apoll. vs. 33. Ruhnk.

Nitidis comis. Unguentis nitentibus crinibus.

167. *Consurgere*. At non sederat Hymenaeus; legendum itaque *consistere*. Oud. Consentiunt. Burm. et Ruhnk.

168. *Transit in ora rubor*. Color enim croceus rubicundus est. V. Serv. ad Virg. Ecl. IV. vs. 44. Drakenb.

169. *Torrentur* etc. Cf. supra vs. 44.

170. *Et gravius justo* etc. Indicat Cydippe, violentia febris tantopere vires sibi dilapsas esse, ut pondere vestimentorum gravetur, ut vestimenta gravioris ponderis videantur, quam esse debeant, justo itaque gravioris ponderis. Quem admodum *melior justo* vs. 30. h. Ep. Drakenb.

Pallia. Stragulae vestes, quibus in lecto cubans erat tecta. Ovid. Am. I. El. 2. vs. 2. Oud. V. Burm. ad d. El.

171. *Super ora*. Dum se inclinant et procumbunt in decumbentem. Micyll.

172. *Face pro thalami* etc,

Parce laboranti, picta Dea laeta pharetra:
Daque salutiferam jam mihi fratris opem:
Turpe tibi est, illum caussas depellere leti;
Te contra titulum mortis habere meae.
Numquid, in umbroso cum velles fonte lavari,
Imprudens vultus ad tua labra tuli?
Praeteriine tuas de tot coelestibus aras?
Atque tua est nostra spreta parente parens?

Loco facis nuptialis adest sepulchralis. V. ad vs. 120. Ep. II.

173. *Parce laboranti*, puta, febri.

Picta Dea laeta pharetra. Periphrasis Dianae, quae *laeta est*, χαίρει, gaudet pharetra. *Laetam fluviis et nemorum coma* dixit Dianam Horat. Od. L. I. Od. 21. vs. 5. *Pharetratam Deam* appellat Ovid. Ep. XX. vs. 204. *Picta pharetra* in deliciis et quondam fuit. V. Ovid. Metam. L. II. vs. 421. Val. Flacc. L. II. vs. 610, quae loca Drakenborchio debeo. Et nunc apud feras Americae gentes. Vid. J. F. la Fiteau. Zeden der wilden van America B. III. Hoofdd. 7.

174. *Fratris.* Apollinis Medicorum Dei. V. Ep. V. vs. 139, 145. sq. Horat. L. I. Od. 21. vs. 19. sq. *Opem.* V. supra vs. 36.

175. *Illum caussas* etc. Apollinem, fratrem. Vid. Tibull. carm. 4. vs. 1. L. IV. de quo disserentem leg. Heynium Edit. 2. pag. 187.

176. *Titulum mortis.* Gloriam et nomen, quod me necaveris. Oud. V. ad vs. 68. Ep. II. et ad vs. 199. Ep. XV.

177. *Numquid* etc. Arguit ab immerito et exemplo, inquit Micyll., q. d. ego non merui, ut me neci dares, neque enim ego, ut Actaeon, te adspexi, cum velles lavari. V. Ep. XX. vs. 101. et not. ad h. vs.

178. *Labra.* Labrum in balneis vocabatur illud vas, ex quo aqua defluit in eos, qui lavant. Cic. ad fam. L. XIV. Ep. 20. Generatim autem pro quovis vase capaciore ponitur. Virg. Aen. L. VIII. vs. 22. *Labra* vero hic locum denotant, in quo Diana se lavare solebat; ut apud Ovid. Fast. L. IV. vs. 761. ubi vid. Heins. Drakenb.

179. *Praeteriine* etc. An neglexi te aut parentem, Latonam? Ut Oeneus, cum ceteris Diis primitias offerret, imprudens Dianam praeteriit, quare irata Diana aprum immisit ei, qui totum Calydonium agrum vastavit. Micyll. V. Ovid. Metam. L. VIII. fab. 4. Ep. XX.

Nil ego peccavi, nisi quod perjuria legi:
Inque parum fausto carmine docta fui.
Tu quoque pro nobis, si non mentiris amorem,
Tura feras. prosint, quae nocuere, manus.
Cur, quae succenset, quod adhuc tibi pacta puella
Non tua sit, fieri ne tua possit, agit?
Omnia de viva tibi stant speranda. quid aufert
Saeva mihi vitam, spem tibi Diva mei?
Nec tu credideris illum, cui destinor uxor,
Aegra superposita membra fovere manu.
Adsidet ille quidem, quantum permittitur ipsi:
Sed meminit nostrum virginis esse torum.

vs. 101. Invidum enim Deorum genus finxit antiquitas, humana ad Deos transferens.

180. *Atque tua* etc. V. Ep. XX. vs. 105.

181. *Perjuria legi* Scripta Acontii *perjuria* vocat, transferens in rem, quod personae erat. Ipsa enim pejerasse videbatur, cum, quae, lecto pomi epigrammate, promisisset, non servabat. Micyll. V. supra vs. 107. Argum. §. 2.

182. *In — docta fui.* Quia bene potui legere tenuissimas literas et characteras in pomo expressas, quas *doctas notas* vocavit Ovid. Ep. XX. vs. 210. Oud. V. van Lennep ad h. vs. De v. *carmine.* vid. ad vs. 107.

183. *Pro nobis.* In nostram salutem.

Mentiris amorem. Falso, simulate amas. V. ad Sil. Ital. L. II. vs. 637. Drakenb. Cf. vs. 32. Ep. II.

184. *Tura ferus.* Tus Dianae, ut ego salutem recuperem, tibi obferendum est.

185. *Cur, quae succenset* etc. Diana nempe. Vid. vs. 99. sqq. h. Ep.

Tibi pacta puella. V. Ep. VIII. vs. 95. Drakenb. vs. 18, 97, 98. h. Ep. et ad vs. 4. Ep. II.

187. *Quid aufert.* Propter quid, quare.

189. *Illum, cui destinor uxor.* Cf. vs. 136. Ep. XX. V. Argum. §. 3. Oud. ad vs. *destinor* laudat Suet. Caes. c. 27.

190. *Aegra superposita* etc. V. ad vs. 134 Ep. XX.

191. *Adsidet* etc. V. ad vs. 134, 137. Ep. XX.

192. *Sed meminit* etc. h. e. facit ea, quae conveniunt ad torum *virginis.* Micyll.

Jam quoque nescio quid de me sensisse videtur:
Nam lacrimae caussa saepe latente cadunt;
Et minus audacter blanditur, et oscula rara
Accipit, et timido me vocat ore suam.
Nec miror sensisse, notis cum prodar apertis:
In dextrum versor, cum venit ille, latus.
Nec loquor, et tecto simulatur lumine somnus:
Captantem tactus rejicioque manum.
Ingemit, et tacito suspirat pectore: meque
Offensam, quamvis non mereatur, habet.
Hei mihi, quod gaudes, et te juvat ista voluptas!
Hei mihi, quod sensus sum tibi fassa meos!

193. *Neseio quid.* V. ad vs. 26. Ep. XI. *Sensisse*, sensibus percepisse. V. ad vs. 85. Ep. XI.

194. *Lacrimae caussa* etc. Saepe lacrimatur, nobis nescientibus qua de causa. Micyll.

196. *Timido — vocat ore* pro simplici *vocare*. Pleonasmus est *elegans*. V. ad Sil. Ital. L. XVI. vs. 645. Drakenb. Daturne adeo *elegans abundantia*? Talem equidem non adnosco *elegantiam*. Nonne vero alii sunt *vocandi* modi, quam, qui *ore* fit? Crediderim equidem.

Suam. Sibi deamatam ac desponsatam puellam.

197. *Prodar.* V. ad vs. 40. Ep. I.

198. *In dextrum versor — latus.* Quia sic jacebat in lecto, ut aversa in dextrum latus inclinaret. Oud.

Cum venit ille. V. ad vs. 20. Ep. II. Emphasi hîc pronomen caret.

200. *Captantem tactus.* Tangere conantem. Drakenb. Malim « saepius atque iterum studiose capit." Frequentativum enim, meo quidem sensu, amantis aperit studium atque ardorem, quo conatum repetit.

Rejicioque manum. Cum contemtu, atque indignatione; quae notio verbo inest; id quod ex seq. patet; nam vs. seq. legitur *meque offensam habet* putat me sibi esse iratam.

201. *Ingemit.* Praepositionis, quae composito inest, vim atque intensionem ne negligas.

Tacito — pectore i. e. tacitus suspirat. *Pectus* autem addidit Poëta, cum et Graeci et Latini adcurate partem addere amant, quae vel agit vel patitur.

Si mens aequa foret; tu nostra justius ira,
Qui mihi tendebas retia, dignus eras.
Scribis, ut invalidum liceat tibi visere corpus.
Es procul a nobis: et tamen inde noces.
Mirabar, quare tibi nomen Acontius esset:
Quod faciat longe vulnus, acumen habes.

203. *Hei mihi, quod gaudes* etc. Dolore adficitur mollis Cydippes animus, qui sibi Acontium fingit gemitu et suspiriis rivalis gaudentem, atque adeo τῷ *voluptas* pronomen *ista* addidit, ut significaret, quantopere malus ille animi adfectus ipsi displiceret. V. van Lennep ad h. vs.

204. *Hei mihi!* etc. Dolor et pudor, his scriptis, occupat animum Cydippes, quae se nunc demum proditam sentit. V. supra ad vs. 197.

Sensus fassa sim — meos. Aperui sententiam. Proprie *sententia* dicitur, quidquid animo sentimus, concipimus; quo sensu etiam usurpatur vox *sensa*. *Sensus* autem refertur ad *corpus*: postea tamen usu invaluit, ut etiam id, quod *mente* conciperetur, *sensus* appellaretur. V. Quinct. J. O. L. VIII. c. 5. Drakenb. Van Lennep ad vs. 205. Cydippe, inquit, non obscure dixit animi voluntatem, in Acontium propensam, in alterum illum offensam. Cf. vs. 202.

205. *St mens aequa foret.* Si tibi non praeter jus et aequum faveret mea mens. Van Lennep ad h. vs.

206. *Retia.* V. ad Ep. XX. vs. 45.

207. *Scribis* etc. Respondet Acontianis Ep. XX. vs. 75. sq. et 133. sq. van Lennep.

208. *Es procul a nobis; et tamen* etc. Quid fieret ergo, si tam prope adesses? Oud. Proinde satius est, tuum votum non procedere, teque nobis coram non adesse. Micyll.

210. *Quod faciat longe vulnus, acumen habes.* Frigida et insulsa ac puerilis est allusio ad nomen, non imitanda, nisi in rebus ridiculis. Ἀκόντιον enim est jaculum. V. Burm. ad h. l. Oud. Neque aliter sentit Drakenb. Nec probo acumen, nec Ovidio propterea abjudico, inquit van Lennep. V. Cl., delegatque lectorem ad ea, quae principio Ep. XX. dixerat. V. de h. Ovid. l. disserentem C. J. Chr. Reuvens in Collectaneis Literariis c. 6. Sect. 2. pag. 101. sq. Qui talium adlusionum praesertim in « Tragicis Graecis item in aliis utriusque linguae scriptoribus exempla esse dicit infinita (quo-

Certe ego convalui nondum de vulnere tali;
Ut jaculo, scriptis eminus icta tuis.
Quid tamen huc venias? anne ut miserabile corpus
Ingenii videas digna tropaea tui?
Concidimus macie; color est sine sanguine: qualem
In pomo refero mente fuisse tuo.
Candida nec mixto sublucent ora rubore;
Forma novi talis marmoris esse solet.
Argenti color est inter convivia talis,
Quod tactum gelidae frigore pallet aquae.

rum plurima adduxit) harumque auctorem Homerum esse exemplo probat."

211, 212. *Certe ego convalui* etc. Haec ad superiorem lusum pertinent.

213. *Quid tamen huc venias?* q. d. nihil est, cur tantopere desideres me coram invisere. Tu pulcritudinem et formam meam, ut scribis, expetis; ego hîc jaceo, corpus miserabile et morbo deformatum, et quale tu fecisti. Nam hoc quoque illi imputat. Micyll.

214. *Ingenii — digna tropaea tui.* Victoriae signum, quam fraude tua de me reportasti; qua de fraude saepius dictum est. De tropaeis vid. ad vs. 66. Ep. IV. Vid. van Lennep ad vs. 213, 214. *Sane*, quod recte tuitum esse Burmannum praedicat V. Cl., eleganter, auctore Burmanno, inservit *ironiae* vel est *concedentis* et *permittentis*. V. ad Phaedr. L. III. fab. 15. vs. 12.

215. *Concidimus* propria vi.

216. *In pomo — tuo.* Ad adspectum pomi tui. V. ad vs. 14. Ep. I.

Qualem refero — mente, memini fuisse colorem. Repugnat quidem Ep. h. vs. 111. sq. et Aristaeneto (vid. van Lennep ad d. vs.) sed forte alterum stuporis, qui in nonnullis observatur, effectum, pallorem scil. depinxit. Aliter non expedio; pomum enim ipsum fuit πυρρωτον, adspectu rutilum.

217. *Candida* etc. Candorem rubore mixtum describit Ovid., de quo vid. ad Ep. XX. vs. 120. Ceterum ora dicuntur *sublucere rubore* i. e. rubore *perrumper* perlucere per candorem. Praepositio *sub* hîc minuit significationem simplicis. V. Am. L. I. El. 5. vs. 5. Drakenb.

218. *Novi — marmoris*, nuper politi aut secti. Micyll. candidissimi ergo.

219. *Inter convivia.* In con-

Si me nunc videas, visam prius esse negabis;
Arte nec est, dices, ista petenda mea:
Promissique fidem, ne sim tibi juncta, remittes;
Et cupies illud non meminisse Deam.
Forsitan et facies, jurem ut contraria rursus:
Quaeque legam, mittes altera verba mihi.
Sed tamen adspiceres vellem, prout ipse rogabas,
Et discas sponsae languida membra tuae.
Durius et ferro cum sit tibi pectus, Aconti:
Tu veniam nostris vocibus ipse petas.

viviis, dum convivia celebrantur. Drakenb. *Inter*, inquit Ruhnk. in Dictt. ad Terent. Eunuch. Act. IV. sc. 2. vs. 1, saepe denotat temporis durationem, per quam interim aliquid simul fit.

Argenti — quod tactum etc. i. e. color meus similis est colori vasorum argenteorum, postquam in ea frigidam aquam infuderis.

221. *Visam prius esse negabis* i. e. me non agnosces.

222. *Arte — petenda mea* dolo ac fallacia mihi quaerenda. V. supra ad vs. 129.

Ista. Demonstrative. Qualem se ipsa Cydippe describit.

223. *Promissique — fidem remittes.* Condonabis, facies gratiam fidei solvendae. Metaphora desumta a creditore, qui debita remittit debitori. Oud.

224. *Et cupies illud*, quod promisi. V. Ep. XX. vs. 211.

226. *Quaeque legam* etc. Alium iterum dolum finges, quo jurem, me alteri potius quam Acontio nupturam. Drakenb.

227. *Sed tamen adspiceres vellem.* Correctio. Supra enim monuerat, non esse tantam causam, cur se coram videret. Nunc idem revocat, et optat, ut sese videat et morbum suum: fore enim, ut suis ipse precibus, Cydippes nomine, a Dea opem illi poscat. Micyll.

Prout. V. van Lennep ad h. l.

228. *Et discas* pro *noscas* durius dictum pronunciat Oud. Usus tamen eodem verbo dicta significatione Flor. in praef. §. 2. Sil. Ital. L. XII. vs. 562. Drakenb. Eadem notione usurpavit verbum Virgil. Aen. L. VI. vs. 755.

Sponsae — tuae. Mitigatum et in Acontium pronum Cydippes observes animum sese jam Acontii sponsam profitentis.

229. *Cum sit.* Quamvis sit. V. ad Ep. XVII. vs. 11. Oud. *cum* pro *quamvis* durius scriptum pronunciat.

Ne tamen ignores: ope qua revalescere possim,
Quaeritur a Delphis fata canente Deo.
Is quoque, nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat,
Neglectam queritur testis habere fidem.
Hoc Deus, et vates, hoc et mea carmina dicunt.
An desunt voto carmina nulla tuo?

Duriusi—ferro. Quod minus exorari et ad misericordiam permoveri potest quam ferrum. Hinc *ferreus* pro duro Ep. I. vs. 58. Drakenb.

230. *Tu veniam nostris vocibus* etc. Vel veniam *nostris vocibus*, jurijurando, quod a te conscriptum mea voce legi: vel petas *nostris vocibus*, eodem modo, iisdem vocibus, quibus ego peto; sed prius praestat. Drakenb. Malim *vocibus nostris* interpretari *meo nomine*. V. Micyll. supra ad vs. 227.

Ipse. Sponte tua, me etiam non rogante. Cf. Cic. in Catil. Or. II. c. 1. V. Gothofr. Hermanni diss. de pronomine αὐτος. Opusc. tom. I.

Veniam—petas. Non poteris non petere.

231. *Ne tamen ignores.* V. van Lennep ad h. vs.

Revalescere pro *convalescere* non dixerunt aureae aetatis scriptores. Oud. Cf. Bergman ad Vit. Ruhnk. pag 200.

232. *Quaeritur a Delphis* etc. Nexus est, inquit van Lennep ad h. vs. « Quaeritur a Deo, canente fata Delphis, qua ope possim revalescere."

333. *Is quoque* etc. Constructio est « Is quoque testis et arbiter mei jurisjurandi queritur nescio quam (nominatim enim oraculum non solere aliquem designare apparet etiam ex Ep. XIII. vs. 93.) habere neglectam fidem. Burm. ad h. vs. qui V. Cl. ibid. dicit: Crispinum *habere neglectam* recte explicare pro *negligere*. Pace Viri Cl. liceat mihi ab illo dissentire. Plus enim mihi quidem significant. Explico « fidem et *neglexisse* et *adhuc*, ad h. usque tempus, *negligere*." Testem jurisjurandi, inquit van Lennep, Cydippe etiam Apollinem habuerat, cui templum supra memoratum in vs. 106. commune fuisse cum Diana docent collati vs. 91. sq. Itaque Deus ille, de Cydippes salute post ea consultus Delphis jure queritur etc.

Nunc ut vaga fama susurrat. Id Apollinis responsum ad notitiam Cydippes vagus rumor et, auctore dubio, susurri pertulerant. Van Lennep.

Vaga fama. Quae mobilitate viget etc. Virg. Aen. L. IV. vs. 173. sq.

235. *Hoc Deus* etc. Hoc

Unde tibi favor hic? nisi quod nova forte reperta est,
Quae capiat magnos litera lecta Deos.
Teque tenente Deos, numen sequor ipsa Deorum:
Doque libens victas in tua vota manus:
Fassaque sum matri deceptae foedera linguae,
Lumina fixa tenens, plena pudoris, humo.
Cetera cura tua est. plus hoc quoque virgine factum,
Non timuit tecum quod mea charta loqui.

Deus, isque vates, hoc Apollinis carmina, hoc et mea mihi carmina objiciunt; illa scilicet, quibus meam tibi fidem obstrinxi! An igitur nulla plane carmina voto tuo desunt? Van Lennep. *Apollinis carmina* oracula sunt, ligata oratione edi solita ad Alexandri magni usque tempora.

Voto non deesse est respondere voto tuo. Ergo *An desunt voto carmina nulla tuo" est*, an omnia, de quibus modo vidimus, respondent tuo voto, i. e. ea canunt, quae tui voti te compotem faciunt.

237. *Unde tibi favor hic?* Supple, venit. Quae hujus in te favoris causa est?

Nisi quod etc. Nullam invenio causam nisi literam etc. denuo a te conscriptam. Quoniam, inquit Micyll., (Cydippe) videt, Acontii literas esse tanti momenti, ut ab ea, quae ipsa in pomo legerit, ita nunc morbo torqueatur: colligit, etiam ceteras illius literas apud Deos multum valere; eoque nunc dicit « Nisi nova litera aliqua; nisi novum aliquod scriptum, quale illud in pomo scilicet fuit."

238. *Quae capiat* etc. Quae delectet et moveat Deos; perinde ut illud in pomo scriptum movisse Dianam videtur. Micyll.

239. *Teque tenente Deos* etc. Est conclusio epistolae. Quando igitur, inquit, tu Deos ita *tenes*, h. e. propitios habes, et faventes, et quasi in manu tenes: ego quoque *numen* (voluntatem. V. ad Ep. XVI. vs. 128. Drakenb.) *Deorum* tuorum *sequor*.

240. *Do — victas — manus.* V. ad Ep. IV. vs. 13, 14.

In tua vota. V. ad Ep. IV. vs. 16.

241. *Deceptae foedera linguae.* Quomodo a te decepta sim et quid tibi promiserim. Id enim per *foedera* intelligit, nempe *pactiones*. Micyll.

242. *Lumina fixa tenens.* V. ad vs. 113. h. Ep. et vs. 35. Ep. XI. Drakenb.

243. *Cetera cura tua est.* Cetera tibi permitto, tuaeque curae mando; ut videas, quo

Jam satis invalidos calamo lassavimus artus,
Et manus officium longius aegra negat.
Quid, nisi quod cupio me jam conjungere tecum,
Restat, ut adscribat litera nostra? Vale.

pacto tibi has nuptias perficias. Micyll. Parentes exorando matrimonium meum obtineas. Drakenb.

Plus hoc quoque virgine factum. Ultra quam virginem decet. Micyll. quod per literas tecum collocuta sum, ut Cydippe fatetur vs. sq.

244. *Charta loqui.* V. ad vs. 20. Ep. XVIII.

246. *Officium longius — negat.* Officium scribendi, quod aegra sit, ut totum corpus invalidum. Negat ultra scribere, inquit Micyll., propter defatigationem.

247, 248. *Conjungere tecum*, matrimonii foedere ac vinculo. Versuum horum sensus est: Nihil ergo restat, nisi, ut hoc ultimo scribendo adjiciam, quod cupio tecum conjungi. Micyll. Cf. supra vs. 223. Ab hoc v. *conjungere* matrimonium ineundi significatione, derivantur *conjugium*, pro matrimonio, et *conjux* pro uxore vel marito. Drakenb.

248. *Vale.* Vid. Ep. XX. vs. 242.

INDICES.

INDEX LATINITATIS.

A.

A bello tum XVI, 344. a Jove VIII, 48. a somno X, 93. 16. a Veneris facie non est prior XVIII, 69.

A me leg. arte XX, 27.

Ab alto VI, 151. — aure dolor IX, 120. — Hercule sublimia IX, 129. — hoste XI, 44. — illa die V, 33. — illo tempore XII, 5. — ipsa dives IX, 96 — eventu II, 86. — ab hoste cadat IX, 36.

Abductis XVI, 341.

Abest leg. obest IV, 34.

Abi XII, 151. ablit XV, 173. abeunt studia in mores XV, 83. abibit iners XVI, 312.

Abjectus VII, 2.

Abstrahor a patriis pedibus XIV, 83.

Abstulit V, 27. VI, 150. XV, 86.

Abundat amor VI, 76. — equis XVI, 354.

Abydos pro Abydeni XVIII, 12.

Accedet fatis VII, 135.

Accidit XI, 92.

Accipit hospitio XII, 29.

Acer IV, 70.

Acerba VI, 160 — gementem VIII, 107.

Achaïa victrix VIII, 19.

Actor pecoris I, 95.

Actus velocibus aliis XVI, 61. — ventis iniquis VI, 141. acta lacertis XII, 7.

Acuta pinu V, 137. acutis radiis IV, 159.

Ad exemplum V, 107. — partus rudis XI, 48. — Deos ardet taeda XII, 34. — munera surdus VII, 27. — pontum XIX, 123. — rogos portet XV, 116. — tua verba XI, 63.

Adde quod XVII, 199. addimus his lacrymas IV, 175. addita tura focis VII, 94.

Adductos arcus II, 131.

Ademtum virum XIII, 95.

Adesus aquis scopulus X, 26.

Adest XVI, 18. adsit IV, 15.

Adferat manus XX, 192.

Aditum dare XVI, 248.

Adjuravit XX, 159.

Admissi mei VII, 104. XI, 196.

Admissas aquas II, 114. admissos equos I, 36.

Admisit manus ad dona sua V, 146.

Admonitu IX, 135. XIV, 17.

Admotam coelo XI, 17. admotis artibus XI, 43.

Adolere XVI, 333.

Adoro X, 141.
Adplicor VII, 117. — in tetras XVI, 126.
Adposuisse gemmas IX, 60.
Adsiduis solibus usta V, 112.
Adspectu (in) leg. adspectum XVIII, 216.
Adtinet XV, 208.
Adstrictum frigore XV, 112.
Adstringam in sacra jura etc. XVI, 320.
Adsueti vincere III, 34.
Advena XVII, 3.
Adversis aquis XVIII, 36. adversa cuspide IV, 172.
Aduncæ oræ boum XII, 16.
Adurimur IV, 33.
Aede XII, 88. XIV, 24. aedes XXI, 95.
Aedilicium edictum XV, 53.
Aegra membra XI, 38.
Aeoliam lyram XV, 200.
Aestus XVI, 25. XVIII, 187. aestus et unda XXI, 41.
Aeterna nocte premi X, 112. — posteritate XVI, 374.
Aequus timor XX, 166. aequa pensa IX, 78. aequis ignibus XV, 163.
Aequor ab leg. aequora ab VIII, 73. aequora bina IV, 105.
Agere consulem, amicum II, 78. agebas armenta V, 79. acta lacertis XII, 7. agor VI, 141. agitur nox XVIII, 25. non agitur de me XX, 197.
Ait VI, 29.
Alba populus IX, 64. — vela II, 12.
Ales Daulias XV, 154.
Aliquis XII, 80. aliquid agere XV, 207.
Alma II, 41.
Alta mensa XII, 52. — verba IV, 150. — Zacynthos I, 87. — sedet II, 80.
Altaria fumant I, 35.
Altera XVII, 95. — fraus haec est XX, 34.
Alterna carmina XV, 5.
Alternant fidem VI, 38.
Altus ab arce VII, 20. — equis IX, 28.
Amasis et femina II, 65. amatis hospita II, 74.
Amare repugno XVII, 137. amat coli IV, 76.
Amarus succus XX, 184. amarae noctes XII, 169.
Amazonio balteus auro XXI, 119.
Ambage remissa VII, 149.
Ambiguas vias X, 62.
Ambo X, 57.
Amica rogo III, 150.
Amonia spissa XXI, 166.
Amor IV, 30. VII, 17. amore jurisconsulto XX, 30. amores juvenum XVI, 241.
Amplexos IV, 139.
Amplius utque nihil XX, 226.
An conjux prohibet nova? V, 1. an pudet XVI, 283.
Anchora II, 6.
Anhelatos ignes XII, 15.
Anili animo XI, 33.
Animus XXI, 137. — ferebat XIII, 85. animi III, 85. IV, 16. IX, 105. animo juncti leg. animis XVIII, 125. — vidi XVI, 37. animos addis XVIII, 93.
Animosus VIII, 3. — in armis XIII, 91. animosae virginis XX, 115.
Anni apti lusibus XV, 21.
Annua nox XI, 29.
Ante stet II, 68. — diem XV, 62.
Antiqui Nestoris I, 63.
Anxia vitae XX, 198.
Aperta aequora V, 77. aperto jugulo VIII, 53.
Apollinis arcus vitasset VIII, 83.
Apta oscula dare XV, 132. aptior dare XVIII, 23. aptos venatibus V, 17. apte XIII, 121.

Aquatica lotos XV, 159.
Aquis raucis XVIII, 26.
Aquosam matrem III, 53.
Ara I, 110. II, 18.
Arabo rore XV, 76.
Arbiter IX, 45. XVI, 69.
Arbitratus IX, 45.
Arbitrium VIII, 32. IX, 45.
Arcana teruntur IV, 5. — nocte, arcanis fidissimam noctem IX, 40.
Arcus feros XX, 115. arcu missilibus telis eminus ictus XVI, 40.
Ardent sollicitare XVI, 79. arsit IV, 99. XV, 63. XVI, 147.
Ardor XX, 17. — immodicus XXI, 44.
Ardua dextra X, 102. — gargara XVI, 107.
Area lata I, 72.
Arenas (in) venerat XII, 13.
Argos, Argi XIV, 34.
Arma falsa I, 16. — movet V, 98. armis instructa virisque XVI, 329.
Armatas nurus XIV, 24.
Armenti dives IX, 91.
Ars fit etc. IV, 25. arte aliqua XII, 50. — mea XXI, 222. — laboratae XIX, 183. artes patrias I, 112.
Articulos XV, 74.
Arundine IX, 161.
Aspera facta V, 142. — bella VIII, 26.
At I, 38, 44. II, 45, 81, 87. IV, 33. VIII, 15. IX, 9, 27. X, 112. XI, 32. XII, 1. XIX, 77. At leg. ah XVIII, 21.
Atque I, 31.
Atra venenis tela IX, 115. atrum nemus XII, 67.
Attonuere IV, 50.
Attonitus IV, 50. V, 37. XVI, 134.
Attritus limes XVIII, 133.
Auctor VII, 105. X, 8. XI, 8. XV, 3. XVII, 72.
Aucupor IX, 41.
Audaces viros XII, 14.
Audacia XVI, 73. — felix XVIII, 195. — isset per has leges XVI, 267.
Audere I, 41. II, 93. IX, 63. XII, 115.
Audibam XIV, 36. audiet XX, 193. audite ventos vetantes XIII, 131.
Auferri venenis VI, 131. — a vento XV, 108.
Augurium suum XVII, 236.
Auratae ovis VI, 2.
Aure memori condidit XX,
Aureus XII, 152. aureo villo VI, 49. aurea virga XVI, 64. auream puellam XVI, 35.
Auspices VI, 43.
Auspiciis tuis III, 136.
Aut leg. at XVII, 157.
Avarus VII, 153.
Averti IX, 123.
Avibus sinistris II, 115.
Avidas manus I, 92. avido igne IV, 15. avida belli VII, 153. avidum pectus IX, 161.

B.

Barbara praeda I, 26. — venefica VI, 19. — terra XVII, 64. — pellex VI, 81. — turba VIII, 12. Barbaricae manu III, 2. XII, 70.
Barbitos XV, 8.
Beata regna XII, 24. beatior ora XVI, 175.
Bella I, 69.
Bellua strata X, 106.

Bene jacent III, 106. — cautus I, 44. II, 60. — narraris X, 187. — meri XII, 54. — junctus XIII, 117. — multa XV, 67. — sestiaverit XX, 87. — te jactas XVII, 251. — celat XII, 37. — certo V, 107. — erravit XVII, 49.
Bibere ossa lacrimas XV, 62. bibistis aquam XII, 10.
Bibulum litus XVII, 139.
Bimembres II, 71.
Blanda cuta XIII, 136. — fui V, 60.
Bona spes XI, 61. — summa XVI, 307.
Boreas XIII, 15. XXI, 42.
Bovi insanae XVI, 108.
Brachia humeris ferre XIX, 60.
Breve opus XV, 4. brevibus colubris II, 119. brevi impensa VII, 188. brevis aqua XVIII, 174. — unda XIX, 142.

C.

Cadere I, 3. cadit spes XIII, 124. XIV, 12. XVII, 96. XVIII, 2.
Caduca verba XV, 207. caducam spem XVI, 169.
Caecum lumen XVIII, 74. — vulnus IV, 20. caecis lituris XI, 1.
Caede cruenta VI, 162.
Caeduntur pineta XVI, 105.
Caeruleus imber VII, 94. — Nereus IX, 14. caerulea via XVI, 104. caeruleis equis VII, 90.
Calamus XI, 3.
Calathum IX, 73. calathis fusilibus IX, 76. — imposuisse manum IX. 76.
Calco litora II, 121.
Callidus usu XX, 25.
Cana vada II, 16.
Candida XV, 35. — Delos XXI, 82. candidiora somnia XV, 124. candidior nox XVI, 318.
Candor IV, 18, 31.
Canebat V, 113. cecinit II, 118.
Canore lyrae XVI, 180.
Cantata pabula XII, 84.
Capi III, 16, 54. XXI, 104, 138. capit locus VII, 156.
Capistratis tigribus II, 80.
Capita jungere III, 107. capiti dempta mala XII, 20.
Captare VIII, 93. XVII, 262. captantem tacrus XXI, 200. captasses iterum XXI, 2.
Captivo bove, captivus currus — equus, captivum aurum I, 52.
Carbasa XXI, 71.
Carcer, carceres XVIII, 166.
Careat successibus opto II, 85.
Carendus I, 50.
Carinae V, 63.
Carmine II, 146. carmina dicunt XXI, 235. — sociatis XII, 139.
Carminare III, 70.
Carpere iter XVIII, 33. carpsi oscula XI, 117. locus qui carpitur XVI, 56.
Casibus XX, 189.
Castra hospita VI, 52. castris Achivis I, 11.
Caussa invidiosa II, 145. — pudende esse V, 98. — secreti caussa optima XXI, 21. — quem vincit XIII, 75. — perit XX, 92. caussam tenuere XVII, 244.
Cautus (non) XVIII, 190. cautes XVIII, 210. cauta litera XXI, 26.
Caveas peti XX, 36.

Cecropi terra X, 109.
Cedere XIX, 178. quibus cedunt sidera XX, 55. cede bonis IX, 110. — domo XII, 134. cedentes aquas XVIII, 76.
Celeberrima V, 3. — insula XX, 221.
Celebrat XV, 11.
Celer venias V, 57. celerem gradum XIII, 102. celeres Satyri V, 135.
Celsus in arce X, 126.
Censere, consulere V, 95.
Certa rates V, 42.
Certamine vestro XXI, 37.
Certe I, 3.
Certus Boreas XXI, 41. — ire VII, 7. certa mente XVIII, 38. — ossa VI, 90.
Cespitibus XIV, 96.
Cessasse VI, 17.
Cestus II, 116.
Cinerem (in) versa est I, 24.
Cinnama XVI, 333.
Cita aura V, 67. — ratis XXI, 70.
Citius I, 110.
Clamat foedera V, 102.
Clamore frequentes XIV, 29.
Clarus IV, 93. V, 3. clara fama XVII, 17.
Classis I, 5.
Claudere iter XIX, 140. claudetur epistola XIII, 165. clausa domo XIV, 3. clausaque *leg.* clausula XX, 242.
Clivo sudamus in imo XX, 41.
Coeleste sagitta XVI, 277. coelestia corpora XVII, 119.
Cogere XXI, 131. cogit I, 82. cogitur XVI, 212. coacta ora XI, 28.
Cogitare mala VII, 29.
Cognata flumina XIV, 100. cognatae mortis XIV, 81. cognato nomine IV, 138.
Cognita sum tibi VI, 43. — tela III, 108.
Cognovi V, 63. cognovit virum turpiter VI, 133.
Cohibere IX, 59.
Coïere me VII, 123.
Colus III, 76.
Collatis *al.* collatus XVI, 203.
Colligere XI, 88.
Colloqui vices XXI, 18.
Combibere lacrimas XI, 54.
Comitata natis XII, 135. — Cupidine XVI, 113. — per quos III, 29.
Comminuere lacrimis III, 134.
Committere X, 21. XV, 131. commisit in unum XI, 21. commissa dextra dextrae II, 31.
Commoditas XVI, 310.
Complexos elisissent XII, 121.
Componere ossa et cineres XIV, 127.
Compositas aquas XIII, 136.
Concedite VII, 71. XVIII, 72.
Conciderant ferae IV, 94. concidat icta VI, 71. concidunt sidera XVIII, 72.
Conciliare potest XX, 24.
Concitet yires XVI, 340.
Concubuisse cui XVI, 201.
Concurrere XIII, 81.
Condas lumina I, 113. condidit memori aure XX, 98.
Conditione XXI, 130.
Confer opes XII, 204.
Confundere II, 95. confundor XVII, 147. XIX, 193.
Congerere, congesto pondere XVII, 224. congerimus oscula XVIII, 113. XVII, 224.
Conjugii faces XIII, 160.
Conjuravimus nil illa XXI, 135.
Connubia mea XI, 99.
Conscius amor IV, 52. conscia turris XVIII, 105. — templa XX, 180.
Conseruere manus XII, 100. conseruisse latus lateri II, 58.
Consilium XVII, 268.

Consita populus V, 25.
Constitit V, 40. constiteram XXI, 117.
Consors gemellis XIII, 61.
Conspicuum fuit XVI, 130.
Constans ventus XXI, 75. constantia magno VII, 47.
Constare gratis VII, 47.
Consule quid censeat V, 95. consuluisse viro XII, 210.
Consulto juris Amore XX, 30.
Consumserit terras VI, 161.
Consurgere *leg.* consistere XXI, 167. — bellum XVI, 351.
Contrita X, 13.
Contigit XI, 92. contingis amanti, contingit res mihi, homo contungit rei vel homini XVIII, 171.
Contrectat sinus XX, 141.
Convaluit mens XVI, 73.
Convellere XVI, 41. XVII, 111.
Conveniunt tibi V, 77.
Copia XVI, 353. — cursus XIX, 75.
Coquit calor XV, 12.
Cor XVII, 102. corde tepente XI, 26.
Coram III, 79.
Cornea venabula IV, 83.
Cornu aduncо IV, 39. cornua Lunae II, 3. — legit Achelous IX, 139.
Corpora turpia IX, 134. — Graja XII, 30. — tua XII, 47. corpus horret X, 139.
Corripit igne faces XXI, 160.
Corrumpere taurum IV, 165. — spem XXI, 127. — febribus artus XX, 117.
Costis texitur suis XVI, 110.
Crassa fila IX, 77.
Credo XVI, 89. credere me pelago XII, 118. crederet externo viro XVI, 308. crede XX, 26. — mihi XIX, 117. credidimus lacrimis II, 51. credite III, 130. credita non ulli pejus X, 2. credor mihi VIII, 114.
Crepuscula XIV, 21.
Cressia regna XVI, 299.
Crevit flamma XVI, 230. crescentia moenia VII, 11.
Crimen IV, 25. XI, 66. XVI, 294. XIX, 132. XX, 7. — omnsque XI, 64.
Crinibus *al.* cruribus XV, 75. — aurum dedit XXI, 89.
Cubat XX, 164.
Cubito membra levare XXI, 16.
Culpa IV, 151. XX, 200.
Culpatum corpus XXI, 36.
Cultus V, 66. XXI, 164.
Cum sit XVII, 11. XXI, 229.
Cum voce ablit XV, 173.
Cumulasse hospitium lecto II, 57.
Cupere, velle XVI, 93. cuperem adesset XI, 7.
Cupido pectore XVIII, 90. — sinu tui XX, 48. cupidi amantes XIX, 67.
Cur facerem XI, 31.
Cura fidelis I, 104. — mei pia VIII, 15. cura, curatio, curare XII, 172. curae meae VII, 34.
Currere aqua nota XVIII, 6. cucurrit hiems VI, 56. — tremor V, 37.
Cursu (in) V, 121. — loquendi VI, 39. cursum dabit aura XV, 214.
Custos IV, 142. — boum I, 103.

D.

Damno formose XIII, 43.
Dare III, 58. XI, 83. data sim *leg.* sum III, 21. dant, quod querar XIV, 110. dantur in lo-

eos XIV, 25. dabit victas manus IV, 14. dare vela ventis II, 25. III, 58. data signa XX, 235. det arma Iovi XIII, 50.
De te IX, 48. — nil mecum est XV, 108. — qua arbore pariens XXI, 100. — grege captus IV, 22.
Dea III, 147. XIV, 86.
Debere procellis VII, 43. debitus conjux XX, 8. debita tibi VII, 106.
Decere XVI, 178. decente vultu IX, 126. decentior armis sumtis V, 35.
Decepta nox I, 9. — rubebas XX, 97.
Declive antrum VII, 93.
Decolor fama IX, 4.
Decus *al.* genus XVII, 54.
Dedignor precari IV, 149.
Deductas fronte coronas XXI, 160.
Defensa est pruina V, 16.
Deferat in portum XVI, 26.
Deficit litera XII, 114. — deficiam XIX, 8.
Defigere VI, 91. — defixa lumina XXI, 113.
Dejecit pudor ocellos XI, 35.
Delenimentum XVII, 23.
Delenita fuissem XVII, 23.
Demens I, 71.
Demeruisse II, 28.
Demittere jugulo ferrum XIV, 5.
Denique V, 89. XX, 65.
Deprendi VII, 66. deprensus XIX, 79.
Deprecari II, 18. IX, 159.
Depuduit IV, 155.
Deseruit unda vitaque XIX, 202. deseruisse fallentem III, 110. — sustinet V, 32. deserta conjuge V, 75.
Desino XVIII, 203.
Destitit sonus in ore IV, 8.
Despecti Thraces II, 81.
Destituor feris X, 90. destituant toros V, 78. destituisse queror XV, 136.
Destricta leviter sagitta summa XVI, 275.
Detinuere vela vultus XIII, 20.
Detrahit invidiam noxae VII, 106.
Deus jubet ire VII, 139.
Devia avibus II, 118.
Devorer hiatu III, 63.
Devota domus IX, 153. — manus XII, 46. devoto toro VI, 164.
Devenerata Deos focis II, 18.
Dii boni XVIII, 102. Di faciant II, 66. XIII, 96. — melius III, 125. XVII, 30. — Penates VII, 77.
Dicere, dicta XV, 200. dicere in aurem III, 23. dic age VI, 141. dicam nunc *leg.* dic, age, nunc XXI, 55. dicitur interea tibi lex *leg.* dixerat interea tibi Rex XII, 39. dies dixit fatum V, 334.
Dictatis ab eo verbis XX, 29.
Dictos ignes XVI, 123.
Dido acc. VII, 7.
Dies illa V, 33.
Difficilis natura XV, 31. difficili sequore XXI, 67.
Differri potui III, 13.
Diffundimus iram VIII, 61. diffusis comis V, 114.
Digestus in anes totidem IX, 93.
Digitis livida facta XX, 82.
Dignus VI, 146. digna peti XVIII, 102.
Diluitur hora meo XIX, 14.
Dimissae oscula dedisti V, 51.
Dinumerat XIV, 80.
Dira pabula VI, 84.
Diriguere comae V, 120.
Discas languida membra XXI, 228. didici laesa X, 98.
Discedere lecto viduo I, 81. discedat longe XV, 107.
Disjecta Ilios I, 47.
Dispensant fila mortalia XII, 3.
Dissidet ab ingenio VII, 36. —

a verbis XVII, 252.
Distinet freta duo VIII, 69.
Diva parens VII, 107.
Diversi flebant servi XII, 145. diverso in orbe XIII, 151.
Dives egenti dedi II, 109. dives viris XVI, 354. divitiora oppida XVI, 34.
Doctas Athenas II, 83. doctis notis XX, 210. — medicatibus XII, 165.
Dolor ab aure venit IX, 120.
Doma corda dura IV, 156.
Dominum forum III, 100. — habet suum XX, 150. sub domino VIII, 8. dominos deos IV, 12. dominae XIII, 78. XX, 127. dominae *leg.* etiam XVIII, 17.
Domum respiciet XIII, 146. domo clausa XIV, 9.
Donis formaque probata XVI, 87.
Dos loci XV, 146.
Duae *al.* deae XVII, 244.
Dubito hoc XVII, 37.
Dubia pependit aqua XVIII, 52. te dubiam XX, 199. dubias vias X, 128. XVI, 21. XVIII, 154. dubii mero XIV, 29.
Ducere XII, 35. XIX, 13. ducar impar toro XIX, 100. ducitis pisces hamo XIX, 13.
Dulce onus VI, 120. — queri XV, 152. XVIII, 82. — risit XVI, 83.
Dum I, 45. V, 119. VII, 48. XVI, 165. XVII, 13. dum nè III, 81. dummodo XIX, 189.
Dura tibi XXI, 5. duras vias VII, 116. duro vultu XVI, 11. — collo IX, 71. durius ferro pectus XXI, 229. durum est XXI, 23.
Durat *al.* errat VIII, 65. durante Troja I, 49.
Duritiem IV, 85.
Dux Pari XIII, 43. dux ducum VIII, 46. duces XIII, 43. XVI, 95.

E.

Ecce VIII, 82. XIV, 29. XVI, 59.
Ecquid ago precibus XV, 207.
Edidit animam IX, 61.
Effingo manus XX, 134.
Effundere vitam VII, 181. effundit carmina XII, 139.
Egi cænes V, 20.
Ego XIII, 133.
Egrediebar amens XVIII, 56.
Ejectam ratem VII, 172.
Elapsa fratri fretoque VII, 117. — verba XI, 53.
Eleo carcere XVIII, 166.
Elige de vaculs XX, 149.
Elisissent complexos XII, 121.
Eloquar? XVI, 3.
Elusa virgine XXI, 116.
Emeruit virum VI, 138.
En ego VI, 114. XIV, 119.
Enim XVI, 221. XVII, 37. XVIII. 190.
Eo VII, 98. de quo conjuge partus eat XX, 194. ibis regina XVI, 331. i nunc *leg.* i nunc et IV, 127. i nunc IX, 105. — et III, 26. XII, 204. XVII, 57. ire puppes III, 66. in amplexus XVI, 86.
Ereptos Deos VII, 78.
Ergo V, 59. X, 119. XVIII, 183.
Errare IX, 55. XV, 53. erravit bene XVII, 49. erret amor XIX, 96. errabunt scripta lituris XI, 1.

Effrontem XV, 53.
Error XVII, 48.
Erubui XI, 35.
Erudiri in artes I, 112.
Eruta remis aqua V, 54.
Est aliquid III, 131. IV, 29. — mihi tellus IV, 163. est tibi, sitque I, 111. erat I, 168. — ante oculos meos XII, 59. eunt lacrymae II, 52. es *al.* est XIV, 14. erit *al.* erat III, 78. fuit XVII, 192. — Luna X, 17. — mons X, 25.
Et III, 4, 10. IV, 91. V, 134. VI, 24, 70. VII, 17, 121. XI, 62. XVI, 352. XVIII, 47. XXI, 34. et — et XII, 35.
Etiam VII, 55. XII, 91. XIV, 99. XV, 41.
Evanescat in auras I, 79.
Evenire XI, 92.
Eversas aquas VII, 42.
Evicta aequora XIX, 155.
Evoluisse fusos XII, 4.
Ex *al.* de XIV, 86. — caede XIV, 79. — merito V, 7. — merito scire XI, 96. — toto XVI, 158.
Examen, exagium XVII, 177.
Exagitet III, 77.
Excidérunt (an) mecum loca? XII, 71. excidimus tibi II, 105.
Extussere somnum X, 13. — metum XIV, 43. excusso incerto IV, 43. excussa brachia XIX, 189. excutior somno XIII, 111.
Exhibere X, 52. exhibuere se tibi XVII, 116 exhibuit sidera XIX, 34. non exhibitis toris XVII, 194.
Exigere poenas VII, 58. exigit Hebrus aquas II, 114. — oculis exigeretur opus XI, 8. exige debita juratori XXI, 140.
Exiguum XVIII, 171. exiguo sono XIV, 52.
Exire carinas XIII, 125.
Existere XX, 113.
Exitus acta probat II, 85. — in Dis est XX, 44.
Expedíunt XVII, 200.
Expertae aquae VII, 54.
Exprobrare XVII, 208.
Expulerunt somnos dicta XIV, 72.
Exsilui VI, 27.
Exspectem II, 99.
Exstat amor XVI, 4.
Extingui VII, 181.
Exsultas XXI, 121.
Externo amore V, 102.
Extimui XVII, 83.
Extremum noctis iter XVI, 206. extremis ossibus IV, 70.
Exuit pellicis ora bovi XIV, 108.
Exululare XV, 114.

F.

Fac colas XX, 180. — accedant XVIII, 203. — jurent XXI, 147. face referas XIII, 144. face exspectes II, 98. facerent videres X, 133. et faceres XV, 88. cur haec facerem XI, 31. quid facies XVI, 101. faciunt ad scelus VI, 128. non faciunt manus ad tela XIV, 56. remus et aura facient vias XVI, 330. facis esse ignaros XX, 200. facit timere XVII, 174. facit sacra XX, 204. faciunt hoc I, 103. facito dicas XIII, 69. facta litera V, 2. factam iram XX, 73. facti sanguinis XIV, 82. factos ad nova membra pedes XIV, 94. feci vias dubias XVI, 21. faciente hoc XX, 175.
Facies XX, 64, 118. — spes lusibus XV, 21.
Faciles Dei XII, 84. XVI, 280. —

surae XVI, 23. XVIII, 45. — somni XI, 29. — viae XIX, 52. XXI, 67.
Facta boum X, 60.
Falce metit VI, 84.
Fallax XVI, 278, 321.
Fallere credentem II, 63. — jura *leg.* solvere XVI, 284. — noctem I, 9. falli XX, 95. fallunt te XVI, 367. fallenti casta V, 133.
Falsa monere XX, 108. — ora VI, 63. imagine XVII, 45. falsae linguae VII, 67. falsis criminibus VI, 22. — armis I, 17. falso ore II, 33.
Fama crimine vacat IV, 18. famae verba dare XVII, 170.
Fas omne facit IV, 134. — est XIII, 71. XVI, 63.
Fassae IV, 156.
Fastidia subeunt XVI, 97.
Fata petantur XV, 220. — victa I, 28. fatis ordine euntibus I, 101. fato iniquo XIII, 93. — generis IV, 53.
Fatigatas aquas XIII, 98.
Fausti ignes XIX, 153.
Faveo quoque laudibus istis XVII, 127. favet *leg.* facit VI, 100.
Fax XVII, 237. — pectoris XVI, 50. faces animi XIII, 160. face sepulchrali II, 120.
Fecundo vulnere IX, 95.
Felix audacia XVIII, 195. — in numero VI, 121. felicia oscula XVIII, 101.
Femina sum XIV, 55.
Fera bella I, 31. XVI, 339.
Fere XIX, 45.
Ferire VIII, 118.
Ferox lacertus IV, 82. — Neptunus XIX, 141. ferocis equi IV, 79.
Ferre apta IX, 116. fert male XIV, 81. feram oscula III, 128. — ferebat animus XIII, 85. quo fert ira XII, 209. feror nata VI, 114. — illuc XV, 140. — huc VI, 70. ferere in XX, 48.
Ferrea sim XVII, 136. — manus XIII, 64.
Fervet mare XVIII, 26.
Fibrae pecudum IX, 39.
Fide conspicuus V, 139.
Fidelibus lacrimis XIV, 127.
Fiducia coepti XVII, 19. — corporis XVII, 123. quo fiducia desit XVII, 37.
Fieri alicui I, 51.
Figit VI, 91.
Figurae pereundi X, 81.
Finde vias XIX, 208.
Fine modico IV, 76.
Fingere I, 13. VII, 65. X, 63. XIV, 63. fingat sic animos in etc. IV, 16. ficta gratia linguae XII, 12. fingas crimina nova in faciem etc. XII, 177.
Firma tibi XXI, 151. firmius coëamus XIX, 67. — esse XVII, 192. nil minus firmum quam ventus et unda XVIII, 185.
Flammae notae XVI, 3. flammas meas XII, 166.
Flava ora IV, 72. flavi capilli XII, 11.
Flebilis XX, 106. — ultor XIII, 48.
Flecte vultus ad etc. XVIII, 64. virum conjux flexit III, 97. flecte feros animos IV, 165. flecti XVII, 44. flexos pedes in orbe exiguo IV, 80.
Fluentibus lacrimis VI, 63.
Fluminis instar VIII, 62.
Focis thuricremis II, 18.
Foedera linguae deceptae XXI, 241.
Fonte perenne VIII, 64.
Foris geminae XII, 150.
Forma et meritis XV, 188.
Formula pacti XX, 151.
Forsitan I, 77. IV, 93. XV, 5. XIX, 123.

Fortes sorores XIV, 57. fortia facta loquaris XVII, 251. fortiter XI, 97. fortius ingenium XIX, 6.
Fovere pectora sinu juncto XIX, 62. fovet *al.* coquit IV, 15. fovit gremio XVII, 56.
Fragiles *al.* graciles XIV, 39.
Frangi I, 86. IX, 6. XVII, 44. fracta litora VII, 163. fractis in undis XIX, 207. freta frangentia litus VII, 169.
Frater VII, 127. VIII, 1. XIV, 122. fratre marita soror IV, 134.
Fraxina virga XI, 76.
Fraudata conjugio VI, 163.
Fraus XX, 34.
Frequentant XII, 143.
Frequens piceis locus XVI, 54. frequentes clamore XIV, 29.
Freta tristia XVIII, 143. — longe distinet Isthmos VIII, 69. — longa VII, 46.
Frigida I, 7. X, 49. XV, 173. frigidius glacie pectus I, 22.
Frontem vallatus radiis IV, 159.
Frugibus *leg.* frondibus XI, 67.
Frui VI, 96. VIII, 106. XII, 22. XVI, 310. fruenda servetur facies XX, 118.
Fruticosa litora II, 121.
Fugax equus IV, 48. XIX, 12. fugacia vela XIII, 21.
Fugio virum, fugere aliquem et ab aliquo VIII, 110. mecum fugeres XIII, 4. fugiens XIII, 81. non fugis imposuisse IX, 75.
Fugitiva V, 91.
Fulcit sidera Atlas IX, 18.
Fulsit mihi purpura V, 65.
Fulva vellera VI, 14.
Fundatura robora naves XVI, 109.
Fundere VIII, 61.
Funebria munera XI, 19.
Funere VII, 63. funeris auctor VII, 136. funeribus tuis X, 190.
Funerea tuba XII, 140.
Furor XVI, 235. XX, 207.
Furto cognita VI, 43. furtis gaudet Venus XVI, 289.
Furtivum onus XI, 38.
Fusos comminuere IX, 80. — evoluisse XII, 4.

G.

Gargara ardua XVI, 107.
Gaudet concubuisse XVI, 202.
Gaudia III, 112. XVII, 107, 204. XIX, 3, 41. — falsa XIII, 108. gaudia rapturo etc. XVIII, 43.
Gemellis consors Ledaea XIII, 61.
Geminae foris XII, 150. gemini laboris onus XIX, 166. geminorum fratrum XVI, 271.
Gemmas adposuisse toris IX, 60.
Gemui *al.* ingemui XIII, 89.
Genae V, 68. — molles X, 44. genis fixis XX, 206.
Generis XIV, 62.
Generosa nomina VI, 113.
Geniale rus XIX, 9.
Genitor XI, 99.
Genus XVII, 51.
Germanis XIV, 54.
Geryones IX, 92.
Gladios ire per latus X, 88.
Graja juvenca venit V, 118.
Graminibus foecunda V, 153.
Grandius ille sonet XV, 30.
Grata dona I, 27. grata lyram posui XV, 183. gratum est XVI, 13.
Gratare ambobus VI, 119.
Gratia linguae XII, 12. — tua nulla est XXI, 62. — hiemis VII, 41.
Gratulor incolumi VI, 3.

Gravabat membra onus XI, 38.
Gravidae genae XV, 174.
Gravis V, 95. — fortuna XV, 59.
grave iter XVIII, 34. grave fit puppibus ire XIX, 180. graves vinoque somnoque XIX, 33.

H.

Habere aliquem, ventos VI, 6. habes *leg.* habet X, 110. habe lumen in adspectu semper XVIII, 216. habebat *leg.* habebit XII, 65. habendam, tenendam VII, 15. habere neglectum XXI, 234.
Hactenus XV, 156.
Haeret languor XXI, 13. in ossibus haesit amor IV, 70. ille pudore haesit VI, 86. haerebat gremio V, 70.
Hei mihi XVI, 181, 337. hei mihi quid feci? IX, 145.
Heredem agis II, 78.
Hea patior II, 48. heu! ubi pacta fides? VI, 41.
Hic I, 36, 40. VI, 131. XI, 85, 99. XII, 27. hic es XVIII, 171. hic mihi XII, 151. hac ibat I, 33. hae quoque habent artes II, 52. haec meruit pietas praemia XIV, 84. hanc mittit I, 1. has manus X, 145. hoc animae III, 142. hoc duce VII, 141. hoc est XX, 109. hoc faciente XX, 175. hoc tamen ipsum VI, 3.
Hiems VII, 41. XVIII, 184. — septima VII, 88. — amoris V, 34.
Hinc V, 63.
Hippocrenae XV, 27.
Hiscere terra roganda foret VI, 144.
Homo XV, 285. hominem sine pectore XVI, 305.
Hora diluitur mero XIX, 14. — jugalis XVI, 295. — noctis XIX, 38. — serior XIX, 14. — sinistra XXI, 68.
Horret corpus X, 139. horrens squammis XII, 101.
Hortari canes per juga IV, 42.
Hospes, hospita II, 1. VI, 23. hospes an hostis XVII, 10.
Hospita castra VI, 52.
Hospitium XVII, 3.
Hostibus eveniant XVI, 217. — e XX, 121. — in mediis I, 106.
Huc ades XV, 95.
Humani *leg.* te manu XX, 155.
Humet arena lacrimis V, 56.
Humili pede IX, 12.

I.

Jacet Troja I, 3. — laus victa III, 124. — nobilitas sub amore IV, 161. — in viduo credulus toro V, 106. — plaga XII, 28. — Graecia III, 84. — nuptarum crimine XIV, 2. aegra jaces XX, 110. jacebam fronde V, 87. jacebas XIV, 41. jaceat sublimis in ostro XII, 179.
Jactare XII, 175. — carinas XIX, 143. jactat hiems VII, 88. jactas te mihi XXI, 62.
Jactura cognatae mortis XIV, 81.
Jaculatrix Phoebe XX, 229.
Jam II, 88. III, 67. VII, 49, 186. XVI, 330. XVII, 202. jamjam IV, 101. X, 83. jam nunc II, 83. XVII, 147. — dudum

XVI, 13. XIX, 118.
Idem navigium etc. ero XVIII, 148. — illud XX, 19. in idem veniunt XV, 121.
Idoneus auctor VII, 105. idonea materia III, 152.
Igitur XII, 163.
Ignara manu VIII, 112.
Ignavus sedisset VIII, 21. ignava puppe XXI, 78.
Ignes faustos XIX, 153. ignibus aequis XV, 163.
Ille I, 40, 99. II, 20. IV, 128. VIII, 9. XVI, 225, 240. ille — illa II, 148. ille ego XVI, 244. illa *leg.* ista XVI, 233. illa IV, 37. XIV, 95. XVI, 354. — dies V, 33. illud XI, 32.
Illisit fluctus arenis XIX, 201.
Imago VII, 35. imagine patris VIII, 3.
Immanes hydros IX, 85.
Immemor XII, 16.
Immensum profundum V, 61. immensas moras I, 82.
Immodicus corporis ardor XXI, 44.
Immunes caedis manus XIV, 8.
Impensa brevi VII, 188.
Imperat (non) irae XI, 15.
Imperiosa XX, 81.
Impetus mihi est, fuit, ire IV, 38. V, 64.
Implevi ululatibus Iden V, 73. implesti lacrimis verba VI, 58. — hanc causam VIII, 53. — meritis domum IX, 16. implesse aetatis fata diurna VI, 36.
Implicuisse II, 142.
Imploro (non) te contra XII, 195.
Imponere nodos plures XX, 39. imposuisse manum calathis IX, 76. — jugum IX, 6.
Improbus XII, 204. XV, 20. XVIII, 41. XX, 147.
In aeus falcatus II, 131. — artes erudiri I, 112. — aurem dixit III, 23. — cursu V, 121. — dubium futura fuit XVI, 138. — Hyppolyto fuit illa suo XXI, 10. — membra fixis genis XX, 206. — ostro esse XII, 179. — parte tori recepta VI, 20. — necis electum II, 144. — titulos crescite V, 24. — invitos focos dantur XIV, 25. — nomine I, 14. — me IX, 151. — pomo tuo XXI, 216.
Inachi XIV, 105.
Inane corpus XV, 115. — nomen X, 116.
Incalui XI, 25.
Incendia XVI, 121. XX, 119.
Inceptis juvenilibus XVIII, 35.
Incerta fama I, 64. — salutis XXI, 31. incertum vigilans X, 9. incerto ore VIII, 92.
Incestae nuptiae II, 116.
Increpat VIII, 55. increpet licet I, 83. increpuisse lyram III, 118.
Incubui XV, 149. incubuit Borcas XIII, 15.
Inde II, 54. XXI, 154.
Indice flammae XVI, 3.
Indigna fabe XXI, 60. indignae poena venit V, 8. indignos sonos XI, 94.
Indignor XIII, 28. XVI, 371.
Iners XVI, 158. XVIII, 110. — hostis XIII, 44. — abibit XVI, 312. inertis aquae XVIII, 122.
Inertia somni XIV, 75. —
Inexpertam puppim XII, 23.
Infecit sanguis aquas IX, 142.
Inferiae XII, 160.
Infestum ferrum XI, 19. infestis armis V, 91. infesto ab hoste IX, 36.
Infusus collo II, 93. XXI, 160.
Ingemit XXI, 201.
Ingenio detegit vulnera VI, 40.
Ingeniosa ad causas II, 22. —

terra colenti VI, 117.
Ingens regina XVI, 331.
Ingerit exta focis XXI, 94.
Inhaeret oculis VII, 25.
Inhibent vota XVI, 117.
Inhumata ossa X, 129.
Injice manus in jura tua VIII, 16.
Inimici I, 109. IX, 36.
Iniqua messis XII, 47.
Inita est Cerealis Eleusis IV, 67.
Inopem fratrem XV, 63.
Insana aequora VII, 53. — voce XI, 74. insanae bovi XIV, 108. insanis aquis I, 6.
Inscribor VII, 193.
Insideò toro XX, 134.
Insigne XVI, 120.
Insignitus amictu IX, 101.
Insolito vomere XII, 40.
Instant officio nomina VIII, 30. instantes oculos XVII, 78.
Instar XVI, 366.
Instillat merum in ignes XIX, 153.
Institeram terrae XXI, 85.
Inter se strictas manus XII, 100. — convivia XXI, 219.
Internas aras VII, 113.
Interrogationes III, 61.
Intumuisse curis XVI, 134.
Intus XXI, 19.
Inutilis armis I, 105. — lingua IV, 7.
Invenies illic etc. XX, 11.
Invideo Troasin, te XIII, 137.
Invidiam patiar XX, 67.
Invidiosa *leg.* insidiosa XVII, 126. — causa II, 145. — arma VIII, 49.
Invisa puellis I, 3.
Invitis oculis XVIII, 4. in invitos focos dantur XIV, 25. invitas aquas XVIII, 164. invita nunc et amante nocent II, 10.
Invitant omnia culpam XVII, 183.
Iò prohibe V, 118.
Iovis fistula IV, 163. — pellex XIV, 95.
Ipsa *leg.* eaque XX, 36.
Ipse I, 86. V, 145. VI, 152. XII, 197. XIII, 168. XV, 186. XVI, 82. XX, 170. XXI, 230. ipsa bibit XIX, 154. — periculo X, 70.
Ira maris XVIII, 2.
Irascor votis ipsa meis I, 68.
Ire VII, 40. — ungulibus in mea genas XI, 92. iturae in te I, 13. ire in agmina XII, 155. eat triumphus VI, 154. itque reditque XV, 118. isse sub juga boves VI, 10. isset XII, 15. — per has leges XVI, 267.
Irrpit XI, 79.
Iste V, 44. XVII, 226. XVIII, 205.
Isthmon IV, 105. XII, 104.
Iterum redire XIX, 169. — retento X, 11.
Juga longa V, 20. XVI, 108. — summa IV, 42.
Jugalis hora XVI, 295. jugali lecto II, 57.
Jugulo aperto VIII, 53.
Jugulatus erat I, 21.
Jungere oscula II, 94. XVIII, 101. — capita III, 107.
Jurabo quaevis numina XVI, 319. juraret Deos XXI, 2. jurandi formula juris XXI, 133. juravi, legi XXI, 143.
Juratus per III, 53. non jurata XX, 227.
Jus IV, 134. — habet IV, 12. — et arbitrium XII, 73. — plumque VIII, 4. jura lecti IX, 159. — ubi nunc II, 31. — sacra XVI, 320.
Jussus *leg.* jusu XII, 149. jusso loco XVI, 362. jussa medicorum XX, 133.
Justus ades VI, 152. justa officia XI, 115. justa plus parte

XXI, 8. justi senes I, 29. justis lacrimis XI, 115. justo pendere XVI, 44.

Juvenca Graja V, 117, 124. Juvenilibus inceptis XVIII, 35.

L.

Labe vitae IX, 8.
Labo, labor II, 122. X, 65.
Laboratae arte puppes XIX, 183.
Laborat nimium pro rapta XIII, 47. laborat XX, 111.
Labores solis et lunae VI, 85. laboris onus XIX, 166.
Labra XXI, 178.
Lacerae puppes refici II, 45.
Lacertus ferox IV, 82. lacertis dejecta I, 47. — fatigatis XVIII, 83.
Lacrimae sua verba sequuntur XIV, 67. lacrimas bibere ossa XV, 62. lacrimam XIII, 113.
Laedere deos X, 98.
Laesa queror V, 4. — didici X, 98.
Laetus ruber XX, 120. — ab ore tuli oscula XVI, 254.
Lanas mollit III, 70.
Languere X, 93.
Languida facta manus IX, 256. — membra cadunt XXI, 156. — laetitia XIII, 116.
Languor XX, 3. — haeret XXI, 13.
Laniata corpora VI, 189. — classis VII, 175.
Lanuginis primae aetas XV, 85.
Lapis — lapis X, 50.
Lapsa pallia deciderint XX, 208. lapsa fides II, 102. lapsus XIX, 155.
Largis sine fine paratibus XVI, 191.
Lassaret tela manus I, 10.
Lata area I, 72. latus pontus VII, 56. lato auro IX, 197.
Late XVII, 57.
Latere XVI, 367.
Laudata gemo XXI, 37.
Lavabis membra aqua II, 90.
Laxatur humus II, 123.
Leandre XIX, 1.
Lebetes III, 32.
Lecta (non) caussa VIII, 52.
Lecto jugali II, 57.
Legata III, 127.
Legibus quis falli poterat V, 134.
Legisse stulte XVI, 167. leget ipsa XV, 216. vir mihi legendus erat XXI, 144.
Leniter ferendum est V, 7.
Lentus I, 166. VIII, 18. lenta *leg.* laeta XIX, 81. — brachia XVIII, 58. — ira III, 22. — spes II, 9. — ira III, 22. lentissima pectora XV, 169.
Lente XV, 210.
Lesbides — Lesbides XV, 199.
Levet unda sitim IV, 174.
Levis I, 68. — aura V, 53. — gloria XVII, 2. — in ore pulvis est IV, 78.
Leviter dicas III, 80.
Libare, cui mea virginitas libata II, 115.
Libellus XI, 2.
Liber revertendi I, 80.
Liberiore malo perfruor VIII, 106.
Libertas XV, 68.
Libido I, 75.
Librare III, 125.
Lingua inutilis haesit IV, 7.
Linquor II, 130.
Lintea venientia II, 125.
Liquidi parentis ripa XIV, 89.
Litera nostra XVI, 238. XX, 172.

— cauta XXI, 26. — memor V, 26.
Litus emo VII, 118. litora bubus aras V, 110. — Thessaliae VI, 1.
Livida facta ora XX, 82.
Locus XVII, 142. XIX, 110.
Longa freta XIV, 103. — ida XVI, 108.
Longaeva nutrix I, 103.
Longe esse XII, 53.
Lotos aquatica XV, 159.
Luciferas manus XX, 192. luciferos equos XI, 46.
Luctor compescere XVII, 161. — celare XVI, 235. V, 141. luctanti oscula obstulit XVII, 27. luctantia colla IV, 79.

M.

Maceror XX, 185.
Macies XI, 27. —
Mactam I, 43. X, 77.
Maculis distincta nota V, 19.
Madidas comas XLV, 30.
Magis, opis, nost. XVII, 102.
Magna para pariae, fueram III, 46.
Male subit IV, 23. (pec.) se praebebat amandum IV, 95. — conscia culpae, VII, 194. — confisum IX, 99. — prodidit X, 5. quam male persuades XVII, 185. — cogitat VII, 29. — gratus VII, 27. — tacta corpora VIII, 113. — saucia XII, 57.
Maligna forma XVI, 144.
Maligne praebere XVI, 144.
Malum XI, 33.
Manante toro lacrimis X, 55.
Maneo, manebam I, 49. manente fratre XIV, 122.
Mandata dedissem XIII, 7. — mariti XVI, 303. — reverti XIII, 143.
Manus viduas I, 10. — admisit ad dona sua V, 146.
Mare fervet XVIII, 26. — praestat amanti XV, 218.
Maritare, maritus V, 47.
Mariti *leg.* tyranni XVI, 303. — — junus IV, 141. maritis toris — II, 41.
Marte tuo III, 465. — suo VII, 154. marti meo XII, 370.
Mater — mater XX, 218. matrem aquosam III, 53. matres III, 71. XIII, 36.
Materia III, 152. VIII, 51. — idonea ibid. — ma IV, 85.
Matrona V, 85.
Matura nece II, 143.
Maxime rerum IX, 107.
Me miserum XIII, 182. me legeres XV, 41.
Mens VI, 25. mea est V, 148. non mea XI, 20. mea numina III, 105. meam *al.* mea
Lumen caecum XVIII, 74. lumen habe XVIII, 216. lumina juvat IV, 84. — infusa resurgunt XXI, 160. — mota II, 120. — fixus VI, 26. — victa sopore jacent XVI, 110.
Lusa toris XVII, 194. lusae XVII, 45.
Lusimus arte virum XVII, 142.
Lustibus apti anni XV, 21.
Luxuriare, luxuriari, luxuriat humus I, 54. — novis deliciis XVI 192.
Luxuriosa I, 54.
Lyram Thraeiciam III, 118.
Lyricis modis apta XV, 6. norat lyricos modos XV, 26.

XVIII, 176. meos deos II, 126. meo V, 4. te fore meam X, 74. non mea tela XI, 20.
Medeae Medea foram VI, 151.
Medendi V, 147.
Media in urbe II, 67. — sedet aula XI, 63. mediae vallibus Idae XVI, 53. medios *al.* melius VIII, 48.
Medicatus docti XII, 165.
Medicatus somnus XII, 107.
Meditor I, 75.
Melior *leg.* major XVII, 68. melior justo XXI, 29. meliore Parca XI, 165.
Melius VIII, 48.
Memini X, 79. XVI, 247. — potuisse VI, 64. meminisse Deam XX, 12.
Memor X, 79. memori ira XXI, 9. — aure condidit XX, 98.
Memoria X, 79.
Mendax fili II, 11. mendaces somnos XVI, 107.
Mens II, 137. — mea firma XVI, 168. cum mente ora tumescunt VIII, 57. — mente agito XVIII, 54.
Mensura IX, 109.
Mentiris amorem XXI, 183.
Mentita sacra revelat XI, 73.
Merces XXI, 34. — officii XVII, 9.
Meritum II, 62. ex merito scire XI, 96. forma et meritis XV, 188.
Meruere (quid) Penates VII, 77.
Messis in barba est XVII, 263.
Metit falce VI, 84.
Metuere de aliquo XVII, 173. metuenda sorori XIV, 95. metuendior undae XIX, 83.
Micare digitis, micuere sinus I, 45.
Mihi abest IX, 33. — rogatus I, 60.
Milite VI, 54.
Militia VII, 20. militiae facta XIII, 118. —
Mille VII, 123. VIII, 23.
Minantur multa aquae X, 94.
Ministra, ara XVIII, 24.
Ministra lumina XXI, 114.
Ministro jussa medicorum XX, 234.
Mira calliditate virum XVI, 290.
Miror si X, 105. non ego miror opes V, 81. miraris te XIV, 93. — in illo II, 77.
Miscuimus uterque lacrimas suas V, 46.
Miserere priorum IV, 161.
Mittere XVIII, 166. misisset XII, 123. missus equus XVIII, 166. misso quaerere I, 87. mittit XVIII, 190. mittit salutem IV, 1. XVI, 1. mittor IV, 37.
Mite levamen III, 68.
Mitescunt freta et amor VII, 179.
Mitra IX, 63.
Mobile aequor II, 128. mobilibus ventis V, 110. —
Moenia Phoebi I, 67.
Modestius esses XIII, 118.
Modico fine IV, 176. —
Modo II, 102. — formosam XIV, 88. —
Moesto toto VIII, 148.
Moles nativa V, 62.
Molle pectus XVI, 124. XVII, 111. mollibus annis I, 118. mollior unda XVIII, 88. — aura III, 44.
Molliter ossa cubent VII, 162.
Molliat lanas III, 70.
Monere XVI, 17. monere *leg.* movere XX, 108.
Momordit pectora amor XIII, 30.
Morentur vota dii VII, 21.
Moribus credidit XVII, 172.
Mortalia fila XII, 3.
Mortem fratri depulit XIV, 130.

Mota lumina II, 120. — coma XX, 20.
Movere II, 120. XX, 115. — falsa XX, 108. — bella XIII, 64. movet me XII, 126. — axe IV, 160. movebunt me saxa IV, 103. Luna movebat equos XI, 46. nec me movere VII, 85. omina movent IX, 40. movisset vultus tuos X, 134. movit iter XVIII, 10.
Mulcet aequora II, 38. — te VI, 98.
Multo non minus XIX, 86.
Munus VIII, 104. munera tua III, 149.
Murmura mala XVII, 149.
Mutati amoris hiems V, 34.
Mystica sacra Deae II, 42.

N.

Nam VIII, 81. XX, 5.
Nati ad incendia nostra XX, 119.
Nativa moles V, 62.
Natura difficilis XV, 31.
Naufraga puppis II, 16. — membra XVIII, 198.
Navale XVIII, 207.
Navifragum II, 16.
Navigat XIX, 47.
Navita Tiphy VI, 48.
Ne non *leg.* ne nunc XIX, 97. ne tantum III, 77. ne tamen ignores XXI, 231.
Nec XIV, 88. — careant XIX, 68. — deus V, 154. — invideo II, 79. — mira XV, 169. — potui debere XVI, 103. tamen est mirum etc. XVI, 39, 40. nec te *leg.* ne XVI, 83.
Necavit X, 115.
Nectenda lacertis II, 141.
Nefas V, 40. VIII, 118.
Negata vela II, 100.
Neges *al.* negas III, 40. neges III, 112. XII, 202.
Neglectam habere XXI, 234.
Nempe IX, 61, 70. XX, 191.
Nequitia IV, 17. XVIII, 29.
Nescia succumbere XII, 49. — de facie XVI, 140.
Nescio qua XX, 209. XIX, 102. — quem VII, 124. XI, 26. — quomodo III, 78. XVII, 226. nescierim VI, 93. VII, 53.
Neve XVI, 71. XVIII, 67, 70.
Nexus XIX, 134.
Nihil hic iterum XX, 1. nil agunt XII, 168. — de te XV, 103. — nisi X, 18.
Nimiam famem XIV, 96.
Nimium quoque VI, 53. — nimiumque I, 41. — mihi facientia II, 39. — similes XII, 189.
Nisi X, 18. — quod XVIII, 11. — si IV, 111.
Nitor *leg.* mittor IV, 37. nititur VI, 86.
Nocens IV, 28. XII, 106.
Nocte *leg.* sponte XVIII, 76. — silente XVI, 282. noctes amarae XII, 169.
Nocturno dolo I, 42.
Nomen XVIII, 142. — inane X, 116. — feres XVI, 374. nomina bina instant VIII, 30. nomine Aquilonis XVI, 348. — femineo II, 112. (a) nomine nostro primus XVII, 59.
Nominer IX, 27.
Non est quem deceat XIII, 81. — referam IX, 49. — satis id fuerat? V, 69. — sum, qui XX, 49. — tamen V, 83. —

tantum X, 80.
Nostro amore II, 24. nostros flentis ocellos V, 45.
Nota aqua XVIII, 6. non notis VII, 16.
Notare II, 86. IV, 32. IX, 20. XVI, 74, 227. XVII, 76.
Notis sreana IV, 5.
Notis nubiferis III, 58. notos procellosos II, 12.
Nova puppis XII, 13. — vacca XIV, 89. novae deliciae XVI, 192. novi marmoris XXI, 218. novissima vitae VII, 111. novum XII, 13.
Novat membra fessa IV, 90.
Noverca IX, 8.
Nox erat incipiens XVIII, 55. — decepta I, 9. — paratur XVII, 201.
Nubiferis notis III, 87.
Nuda Minerva V, 34. XVII, 116. — nuda recumbis humo XIV, 100. — senecta IX, 154.
Nullus erat X, 11. nulla mora est VII, 103. — parte VII, 110. — vocet XVI, 348. nullum sit in omine pondus VII, 65.
Num XVI, 363. — dubitas XX, 162. — minus etc. XI, 19.
Numen *leg.* lumen XVIII, 86. — habere XV, 158. praesens XXI, 150. numina sua V, 5. XX, 100. numine contactus IV, 50, non sine numinibus Deum XVI, 128.
Numeros Veneri eripuisse suos IV, 88. numeros Danaï militis VIII, 24.
Numquid XVI, 365.
Nunc *leg.* tunc XII, 53. — etiam XVIII, 95.
Nuntius, nuntium, nuntia verba XVI, 10. nuntia ales XVI, 68. — fama IX, 143.
Nupta fratri XI, 61.
Nurus VIII, 12.
Nutrix XI, 52. XVIII, 97.
Nympha I, 27. II, 117. VII, 95.

O.

O! XIX, 67. — mira calliditate virum XVI, 300. — possis IX, 168.
Obeunda *leg.* adeunda XVIII, 8.
Obliqua flumina sistit VI, 87.
Oblitus libellus erit XI, 2.
Oblivisci XX, 12.
Obortis tenebris XIII, 23.
Obrepens somnus XIX, 46.
Obruet unda Deos VII, 78. obrutus aquis I, 6.
Obscoenam puppim V, 119.
Obsequium VI, 18.
Obstupui XVI, 67.
Obumbret facti crimen XVII, 48.
Obvertor ad undas XIX, 191.
Obvia oscula XIX, 168.
Occurrunt animo X, 81. occurrent perjuria VII, 67. XII, 60.
Oculos comprimat I, 102.
Odioso vento XIX, 21.
Offensos deos XXI, 48.
Officiosus XVIII, 60. officiosa in lacrymas X, 114.
Officium VI, 17. officia X, 124.
Olere aliquid aut aliqua re XV, 76. XVI, 333.
Olim VIII, 41.
Omina re careant XX, 99. omine laetatus XVII, 159.
Omnia *leg.* omina XVI, 147. omnia cum faciam XXI, 7.
Onus furtivum XI, 38.
Ope VI, 98.

Operam votis IX, 35.
Operis tuis XVII, 256.
Operoso ex aere III, 31.
Oportet I, 83.
Opposita in humo VI, 26. opposita foces XVII, 8.
Opposuit munima votis V, 5.
Opprobria dicere XVII, 208.
Optavi XVI, 36.
Opus breve XV, 4.
Orba a natis VI, 156.
Ordine (sine) X, 19. — prior VIII, 34.
Ore cluri VII, 101. magis oris inest XVII, 102. ora Pirithoi IV, 110. — coacta XI, 28.
Orestae VIII, 9.
Ornavit se sanie IX, 103.
Ornatrices XIII, 31.
Oscula feram III, 128. — summa XV, 101.
Ostendo mocsta capillos X, 147.
Ostro (in) esse XII, 179.
Otia agere XIX, 102.

P.

Pace brevi XVIII, 205. pacis vicinae spes XIX, 207.
Pacta est anchora II, 4. hoc pacta est XVII, 115. pacta fides VI, 41. — tibi X, 92. — munera XVI, 375. — marito VIII, 95.
Palla trahitur XXI, 162.
Pallade pingui XIX, 44.
Pallia XXI, 170.
Pallida I, 14.
Panda juga VI, 10.
Paranympha II, 117.
Parat ire I, 100. pariis VIII, 23. parante matre VIII, 96.
Parati nimium venti X, 113. parata praeda VIII, 82.
Paratibus largis sine fine XVI, 191.
Parca meliore XI, 105.
Parca lintea dari vento XXI, 80.
Parce negare V, 43. — contemnere XVI, 279. — queri XVIII, 203. — movere XX, 115. — nurui VII, 31. parcatur — parcatur VII, 75.
Parcius vexavit VIII, 13.
Parens XX, 102.
Pars VIII, 101. — militiae VIII, 46.
Partheniis vallibus IX, 49.
Parturit ira minas XII, 208.
Partus XII, 188.
Parum est IX, 47. parum fausti amoris XI, 113. — minoia credar IV, 61.
Parvum nepotem XI, 83.
Paternis foribus XIII, 87.
Patiar invidiam XX, 67. patiuntur ferrum et ignes XX, 183.
Patienter (non) amo XIX, 4. quam patienter amat XX, 88.
Patria Phasidos VI, 108.
Patrias artes I, 112.
Paulo ore XVI, 56.
Peccare in cognatam et in cognata XVI, 295. peccas *leg.* pecca XIX, 118.
Pectore (sine) hominem XVI, 305.
Pejus abest IV, 34. — amat IV, 26.
Pelago suadente VII, 55.
Pellax I, 18.
Pellex Jovis XIV, 95. pellicis VI, 149.
Peltata sumta securi XXI, 117.
Penates III, 67. VII, 77.
Pendenda antra XV, 141.
Pependit aqua XVIII, 52.
Pendula tela I, 10.

Penitus XIX, 156.
Pensa trahemus III, 75.
Pensare pudorem II, 143.
Pepigic XX, 157. — lecto XVI, 35.
Per tempora longa XVI, 91. — caussam XX, 140. — ego ipsa periculs juro X, 73. — facinus X, 6. — avorum nomina XI, 17. — lacrimas specto VI, 71. — quos comitata III, 29. — quae XIII, 59. — torum IX, 12. — tuum nostrumque caput III, 107.
Peracta classe V, 41. — caussa XXI, 152. per lacrimis acta nox XII, 58.
Perdere verba VII, 6. — velle velis XXI, 58.
Perdomuisse XII, 164.
Péream XVII, 183. XXI, 29. perit caussa XX, 92.
Peregit latus ense IV, 119.
Perenne fonte VIII, 64.
Peregrinus XVII, 10. peregrino amore I, 76.
Perfer *leg.* perfice XI, 128.
Perfruor VIII, 106. perfruar XI, 128. perfruitur amplexu XVI, 214.
Perfundere lacrimis XI, 115.
Pergama VII, 143.
Perjuria legi XXI, 181.
Perlegis V, 1. perlege IV, 3.
Permisit sibi amorem VIII, 39.
Persequi XVII, 245. persequitur feras IX, 34.
Persolvenda VI, 74.
Perstet XVI, 25. — hiems XVIII, 206.
Persuadere aliquem XVII, 185.
Pertimui V, 66 pertimuisse pudet XVI, 350.
Pestis IX, 61.
Pete munus IV, 137. si mea fata petis XIX, 118.
Petit altera; et altera habebat XII, 65.
Petulans, petulantia, petulantius XVI, 245.
Pharetra picta XXI, 173.
Pharetratae Deae XX, 204. XXI, 11.
Pia cura VIII, 15. — caussa VIII, 20. piae *al.* piam XIV, 64. pia tura VII, 24. XXI, 7. — sarcina VII, 107. pios sinus XIII, 78.
Plata sacris meis XIX, 194.
Pietas I, 85. XII, 129.
Picta pharetra XXI, 173. — tecta ratis XXI, 70. pictos deos XVI, 112. — toros XII, 30.
Pigendus erit VII, 110.
Pignus amoris IV, 100. — conjugii IX, 150. — vocis XX, 64. pignore tanto IV, 120. pignora VI, 122. pignora non tarda XVIII, 192.
Pinea taeda XII, 94.
Pinguî pallade XIX, 44.
Pinu praecinctus acuta V, 137. — Tritonide VI, 47.
Piratae XV, 65.
Placandae tui copia XX, 74.
Placido sopore XVI, 100.
Placidas puellas XX, 57.
Plectendos praebere capillos XIII, 31.
Plectra III, 113.
Plenior merces est officio XX, 142.
Plias XVIII, 188.
Pluma tectus XVII, 46.
Plurima mecum est IV, 167.
Plures imponere nodos XX, 39.
Plus est noverca VI, 127. — quam nihil XIX, 170.
Poena III, 13. VII, 138. X, 62, 133.
Pollicito pondere VI, 110.
Pomaria carpere IV, 29.
Pondus nullum sit in omine VII, 65. pondera vocis habent III, 4.

Ponent venti VII, 49. ponitis tempora in etc. XIX, 10. ponitur ad deos I, 26. XII, 127. posito mero XIX, 14. positos artus unguet X, 122. positum crimen onusque XI, 64.
Populus alba IX, 64. popule, vive precor V, 97.
Populo IV, 52. populos VI, 35. XI, 12.
Porrigere II, 128. porrectus longe VIII, 69.
Porticibus spatior XXI, 97.
Portus I, 110.
Post illum *leg.* illos II, 73.
Posquam se dolor invenit XV, 113.
Potens ad opem V, 147. macrona potentis V, 85.
Poterit loqui XVII, 209. potui debere XVI, 103.
Praebere maligne, benigne XVI, 144. praebuerim sceleri brachia VII, 126. praebuit rapi V, 132.
Praecinctae lampades XIV, 25. praecincti flore capilli IV, 71.
Praecipiti noto X, 30.
Praeda parata VIII, 82.
Praecipitanda dari XV, 291.
Praedator Jupiter I, 26.
Praefers (quem) XVII, 36.
Praemedicatus XII, 15.
Praepetis Dei VIII, 38.
Praeradiat VI, 116.
Praesens gloria XVI, 271. — numen XXI, 150.
Praesensit animo anili XI, 33.
Praestat *leg.* sternet XV, 213.
Praetenta naribus aera XII, 43.
Praeter XVII, 162. — mea regna VI, 5.
Precantia verba XI, 69.
Précibus puditis I, 85.
Precor XIII, 79.
Preme viros III, 88. premeret portus II, 92. pressa litera X, 140. pressis in retia cervis IV, 41. pressit ora XI, 50. — aquas XV, 168. pressuras manus *leg.* prensuras X, 10.
Pretium stupri V, 143. perfidiae pretio VI, 146. pretium pietatis XIV, 129. — certaminis XVI, 261.
Priamides V, 11.
Primus V, 63. — de mille XVII, 105. prima voluptas XVII, 131. non est prior XVIII, 69. comitum primas XVI, 257. prima ab illa XX, 157. — aqua XVIII, 100. — juga IV, 21. — rapina XV, 88. — vela V, 63. primae lanuginis aetas XV, 85. prior ordine VIII, 34.
Priorum IV, 161.
Pro V, 60. — nobis XVI, 302. XXI, 183. — se VIII, 74.
Proavi IV, 158.
Probitas XVII, 174.
Probris terras impleat XVII, 208.
Probrosae feminae XVII, 208.
Procedit illi mensura rerum tuarum IX, 109.
Procellosos notos II, 12.
Procubuisse XII, 186.
Prodis crimina XI, 49. me proditis XXI, 38. prodita sunt pectora tunica laxa XVI, 247.
Producet virum XIII, 143. quidquid produxi ab illo tempore vitae XII, 6.
Profanas sacra VII, 129.
Proficiant artes XX, 47.
Profudi XI, 81. profusis lacrimis VIII, 61, 62. X, 55.
Profugum pedem referre XV, 186.
Projicere, projectam II, 135. projectae sororis XI, 127.
Promisit — adjuravit XX, 159. promittes votum XX, 195.

Promtior est mora XIII, 122.
Pronuba II, 117. VI, 43.
Pronurus XVII, 206.
Properata oscula XVIII, 113.
Propulsae carinae VI, 67.
Proprio bono XXI, 38.
Prora, ramma V, 65.
Prosciodere XVII, 139.
Prospicimus XIX, 51.
Prosequar XVIII, 216. — umbras XI, 119. prosequor udis oculis XII, 55. — te XVII, 245.
Prosint XV, 137.
Prosocer III, 74.
Protinus I, 116. XVI, 252.
Proveniunt XV, 14.
Prput XXI, 227.
Proxima XVII, 132.
Prudens sententia XXI, 137. — artis V, 150.
Prudentia II, 27. V, 150.
Publica sidera XVIII, 150.
Pudenda caussa V, 98. pudendus amor V, 44. pudendus eras IX, 70.
Pudicis votis IX, 35.
Pudor ultimus I, 96. — ora subit XX, 5.
Puella I, 3, 29, 115. IV, 2. VIII, 8, 20. XIII, 105.
Puer I, 98. IX, 168. XVI, 90.
Pugnant res XIX, 173. pugnas ne reddar III, 25.
Pulcherrima soror XI, 45.
Pulsata regia caeca II, 72.
Pulso die XIX, 34.
Pulvere (in) versare currus IV, 45.
Puppis I, 59. III, 66. X, 62, 133. XII, 13.
Purpura fulsit mihi V, 65.
Purpureus currus IV, 160. purpureis equis XXI, 86. purpureo lecto V, 88.
Puto II, 105.

Q.

Qua II, 52. VIII, 69. IX, 14. qua licet IV, 9. V, 56. VIII, 110.
Quae imago VII, 183. — nequitia XVII, 29. — levet unda sitim IV, 174. — volui dicere XIII, 8. quas non mihi herbas attulit XI, 39.
Quaelibet VI, 140. — herba IV, 97. quamlibet accuses XX, 71. quodlibet VII, 168.
Quaerere crimen XVII, 198. — misso I, 37. quaeris XII, 176. quaeritur a XXI, 232. quaesierunt V, 136.
Quam bene VII, 187. — longe nunc tibi est XII, 53. — male VII, 54. XVII, 185. — multos XVII, 99.
Quamvis III, 8. IV, 174. V, 125. VII, 29. XVIII, 50. XIX, 194.
Quando ego XIII, 115. — erit VII, 19. — non I, 11.
Quantus erat III, 49. — sim XX, 219. — labor XXI, 28. quantum sinis VI, 3. quanta forem VI, 16. — fuere VII, 144.
Quasdam voces XVII, 150.
Quater VII, 101.
Quatit VIII, 118. quatitur XI, 76, 78.
Querela X, 8. — venit a verbis XIII, 110.
Queritur placuisse XI, 43. queruntur aves X, 8.
Quia IX, 27.
Quid I, 91. VI, 151. VII, 53.

K, 111. KV, 120. XXI, 187. — amans esset X, 32. — animi X, 87. — agit VI, 25. — esset consule, V, 95. — dubitas VII, 125. — enim V, 69. XVI, 221. — faceres VIII, 50. — facia V, 115. — ego haec revoco XIII, 135. — refero IX, 148. — meruere Penates VII, 77. — fles III, 24. VIII, 71. — furis XIV, 93. — iste velit XI, 96. — juvat IV, 87. XI, 17. — mihi cum VI, 47. XIV, 65. — nisi II, 27. IX, 19. — numeras XIV, 94. — sequar X, 84. XIX, 42. — quod VIII, 27.
Quidquid est, erit VII, 71. XV, 177.
Quidquamne objectet Orestae VIII, 69.
Quin III, 57. XVI, 104.
Quis XIX, 174. — quem caperent XIII, 10. quid VI, 151.
Quisque XIX, 169.
Quisquis is est XX, 217.
Quo desit XVII, 37. XX, 23.
Quo meruere XIV, 61. — mihi IV, 157. — nobis II, 53. quo orbe I, 58. II, 53. IV, 157. — ruis XIII, 130. XVI, 121.
Quod XI, 24. XVII, 43, 51. — hortor XIX, 187. — jus est XX, 93. — nollim XX, 100. — potui VIII, 5. — tu non esses IX, 106.
Quodcunque est IV, 3.
Quoque IV, 37. V, 141. X, 129. XI, 25.
Quos equidem actutum? XII, 207.
Quotaquaeque pars sui XIII, 60.

R.

Radiabat unda XVIII, 77.
Radiis acutis vallatus IV, 159.
Rapax Scylla XII, 123.
Rapidis ventis *leg.* rabidis XVIII, 87.
Rapta III, 2, 16. — time XIV, 339. — Briseide III, 1. — via est XIX, 74. raptus es hinc praeceps XIII, 9.
Raptim XVIII, 113.
Rapere IV, 65. V, 161. VI, 135. VIII, 12.
Rara facies XVII, 93. rari frutices X, 25.
Rata esse XVI, 15. XX, 240. ratum XVI, 15, 90.
Ratis V, 67. rates vela dare XVI, 120.
Raucis aquis XVIII, 26.
Rebus XIX, 2. XVI, 297.
Recepta epistola XVI, 13. — in parte tori VI, 20.
Recidit XIV, 46.
Recordor X, 79.
Recta surgite V, 24. — recti cura XX, 169.
Recurvare colla luctantia IV, 79.
Reddere dotem XII, 202. redde torum XII, 193.
Rediit animus VI, 31. VIII, 29. redire iterum X, 169.
Redundabat vulnere serpens IX, 95.
Reduci Iovi XIII, 50.
Refecit aqua XIII, 26.
Referre spolia ex — ab aliquo XXI, 120. auxilium refer XII, 194. referat vultus XIII, 151.
Regalia brachia IV, 153.
Regna minora vitiis II, 16. — tenete I, 106.
Regnant I, 89. regnata tellus X, 69.
Relabere in sinus nostros XV, 95.

Relicta quereter I, 8.
Reluctet XIII, 113.
Reluctantem lunam VI, 85.
Remigiumque dedi II, 47.
Remus et aura facient vias XVI, 330. remis corporis usor XVIII, 215. — velisque XIII, 101.
Remisit paullum saevitiae XIX, 23. remissa ambage VII, 149.
Renui VIII, 6.
Reor XVII, 148. XVIII, 132.
Rependo XV, 32.
Repugnó amare XVII, 137.
Repeto XVI, 276. repetas XX, 9. repetens XX, 193.
Reprendo verba elapsa XI, 53.
Reprehendere se XI, 53.
Requirere VI, 31. requiret XX, 193.
Res domusque XVII, 159. — male junctae XIX, 173. res — spes XVIII, 178. rebus XIX, 8.
Resecanda falce I, 53.
Résedit flamma XVII, 190.
Reseranda janua mariti IV, 141.
Respice I, 113. III, 137. IX, 13. respiciens dominam XVIII, 118.
Respondent (non) in carmina vires XV, 197.
Rétenta lingua XI, 80.
Resurgunt lumina infusa XXI, 160.
Retorquet aquas IX, 56.
Revalescere XXI, 231.
Revellit VI, 104.
Revertendi liber I, 80.
Revoco haec XIII, 135.
Rideat XII, 179.
Riget usta solibus adsiduis V, 219. an riget XV, 208. cornua mole rigent II, 132.
Rigida mente III, 96.
Rigor IV, 77.
Ripa VI, 54.
Rite VII, 108.
Robora VII, 88.
Roganda foret hiscere VI, 142. rogantia verba XX, 33. rogitus mihi I, 60.
Rorare, rorari XV, 97. roratis aquis XIX, 184.
Ruboris nil XX, 202.
Rudis ad XI, 48. XVII, 141. rude pecus IV, 23.
Rudimentum V, 97.
Rugoso cortice V, 28.
Ruina mentis XII, 32.
Ruinosas domos I, 56.
Rumpere vincula XVIII, 19. rumpor et invideo XVI, 221. rupique sinus V, 71.
Rus geniale XIX, 9.
Rustica I, 77. XVI, 285. XVII, 19.
Rusticitate (sine) vultus XX, 59.
Ruunt in me I, 88.

S.

Sacer Hebrus II, 114. sacram Iden V, 73. sacra sceptra VII, 152. sacro jure XVI, 320.
Sacra socialia XXI, 155. sacris meis XIX, 194.
Sacrata jura XVI, 320.
Sacratus in aede Sichaeus VII, 99.
Sagitta summa leviter destricta XVI, 275.
Salebrosa saxa IV, 103.
Salientem venam XX, 139.
Salubriorem esse XV, 187.
Salutis caussa X, 143.
Salutatis Superis XXI, 91.
Sanciat leges suas VI, 154.
Sane XXI, 214.
Sanguis abit I, 22. XIV, 37. sanguine tuo alis I, 94.

Sapiant (qui)? XVII, 100.
Sapienter (non) amavi II, 27.
Sapientia II, 27.
Sarcina IV, 24.
Satiaverit se in XX, 87.
Satis signa fatentis erant XI, 36. non satis unus oris II, 44. — id fuerat V, 69.
Saturatas murice vestes XIII, 57.
Saucius ab igne V, 152.
Saxa viva VI, 88. in saxa mea tuli lacrimas V, 74. saxo per corpus oborto XX, 105.
Scabro pendentia topho XV, 139.
Scilicet V, 58. X, 42. XIII, 37. XVII, 5. — est aliquid III, 131. XI, 11.
Scissa capillos VIII, 79.
Sceptro tradita summa VII, 12. sceptra sacra VII, 152.
Scriptum XXI, 1. scripta sepulcra XIV, 128.
Secretis saltibus IV, 169.
Secundet aura aquas XIII, 136.
Secundum se putat XXI, 39. secunda XVII, 132. — aura II, 96. secundis Dis XVI, 375.
Securum Argos XIV, 34. — tempus XVI, 312.
Secutulejae, secuta XVI, 323.
Sed IX, 168. XVII, 95. — quaecumque X, 80.
Sedeo XVII, 16. sedet sarcina animo IV, 24. — media aula XI, 65. sedi frigida X, 49. sedit in ingenio tuo II, 76.
Seducit XIX, 142.
Sedula ferret XVIII, 22.
Semel X, 112.
Semina XII, 17, 45.
Semideae IV, 49.
Semisepulta ossa I, 55.
Senex Nereus III, 74. senior Nestor I, 37.
Sensi XVII, 149. sensisset XII, 17. sentis, sentis XVI, 237. sentitur nobis X, 46.
Sensus ubi fassa sum meos XXI, 204. sensibus vigilant ora meis XV, 139.
Sententia XXI, 204.
Sepulta fama VII, 92. — fraude viri X, 76.
Sequacis *leg.* fugacis IV, 46.
Severus, severa fila XV, 82.
Sequax XVI, 323. XIX, 12. IV, 16.
Sequo II, 96. sequi spem XVII, 140. sequor tibi II, 138. quam sequor XVIII, 66. sequi regna VII, 10.
Serior hora XIX, 14.
Serpens victa XII, 196.
Servo XVIII, 167. XVII, 113. servasse VI, 13. servatus XII, 76. sesti puella XVIII, 2.
Si X, 18. XIII, 65. XVIII, 27. XIX, 27, 29. — forte nostri XX, 205. — modo XVI, 296. — nescis XVI, 244. — non X, 39. — potuit XI, 109. — non est XVI, 11. XVII, 15. — quaeras VII, 83. — quid tamen egimus XX, 27. — sit V, 93. — sinis ipse V, 4. — tamen XX, 32. — valet ille, venit II, 20. — vis XVI, 351. — vivat VI, 37.
Sibilat draco XII, 102.
Sic III, 135. IV, 127, 169. V, 75, 93. VI, 37. VII, 159. XI, 135. XVI, 280.
Siccis genis XI, 10.
Sichaeo violate pudor VII, 97.
Sicut eram properans XXI, 25.
Sidus obesse VIII, 88.
Sigeo a litore XVI, 21.
Signa relinquit IV, 155. — stantia XXI, 98. — reversuri XIII, 99. — fatis meis dedere VII, 96.
Signatum pectore nomen habe XIII, 66.

Silente nocte VI, 96.
Sim ferrea XVII, 136.
Similis tui XVII, 30.
Simplicis puellae XII, 89.
Simplicitas II, 64. XVI, 285, 314.
Simul III, 9.
Simulacra Deorum X, 95. — inania somni IX, 49.
Sin minus VII, 181.
Sine crimine mores XX, 225. — murmure legi XXI, 1. — ordine XVIII, 113. — pectore vocem XXI, 141.
Sinistra hora XXI, 68. sinistris avibus II, 115.
Sinuosa vela VIII, 23.
Sinus I, 45. V, 71. VIII, 63. XV, 95, 122. — regales XIII, 36.
Siste gradum celerem XIII, 102.
sistat opus XVII, 265.
Sit *leg.* sim XVIII, 189. sit *al.* sis XXI, 28. — comes XIV, 54.
Sitis venenorum II, 139.
Sive I, 19.
Socer III, 73. — esse recuset V, 83.
Socialia foedera IV, 17. — carmina XII, 139. — sacra XXI, 155.
Socias in leges eo IV, 62. socio sepulcro XI, 123.
Sola tellure X, 129.
Soles V, 112.
Solidis toris IX, 60.
Solito tibi more XXI, 55.
Sollicitare judicium donis XVI, 80. sollicitata fama nova XIX, 108. solliciti timoris I, 12. XVI, 84. sollicitum mare XVIII, 26.
Sollio sedet alto IX, 153.
Solis utramque domum IX, 16.
Solum I, 48.
Soluta charta XI, 4.
Solvere naves cum foedere VII, 9. — frenum, mores XVI, 284. solvor ab amplexu XIII, 112. solvar a laetitia XIII, 116.
Somni faciles XI, 29. somnos expulerunt XIV, 72.
Somnia vera XIX, 196.
Sortem XVII, 113.
Sparsi sine lege capilli XV, 73.
Sparte I, 65.
Species IX, 31.
Spectabilis VI, 49. XIII, 57.
Specula XVIII, 12.
Speravi melius II, 61.
Spetate sorori XI, 121.
Spes III, 94. — bona XI, 61. — cadit IX, 42. — conjugii XVI, 98. — lenta II, 9. — tua XVII, 74. spem corrumpere fraude XXI, 127.
Spirare V, 29.
Spiritus I, 79. X, 121. XII, 85.
Spissa amoma XXI, 166.
Spoliantur gargara silvis XVI, 107.
Spolium virginitatis V, 140. — pudoris XVII, 114. spolia XI, 113.
Sponsalia feci XX, 29.
Sponsor conjugii XVI, 114.
Spretis aquis XIX, 90.
Spumescant aequora remo II, 88.
Squalore XIII, 41.
Stamina minuent III, 76. — ducentes XIX, 37.
Stantia signa XXI, 98.
Stare I, 3. VII, 69. IX, 136. stat victoria tecum X, 105. — puppis XVIII, 208. stabit ante oculos imago VII, 69. steterunt in te VII, 166.
Statione tuta VII, 89.
Statuere aliquem, statuaris II, 67.
Sternere vias XIX, 159. sternuit et lumen XIX, 151.
Strata digna funere XIV, 31.
Strictas inter se manus conserere XII, 100.
Stringitur mare XI, 75. strictum

. ferrum XI, 3.
Studere XV, 1.
Studium IV, 87. XV, 1. studia habeunt in mores XV, 83. studio cursuque loquendi VI, 39.
Studiosae litera dextrae XV, 1.
Stulte meditor I, 75.
Stupeo visis, aliqua re, aliquid XVI, 251.
Suadere aliquem XVII, 185. suadente pelago VII, 55.
Sub aurora XIX, 195. — milite cadere XIII, 71.
Subit bellum XIII, 51, 123. subeunt multa XVI, 281. — fastidia XVI, 97. subit amores primos IV, 23.
Subitis aquis VII, 94. subitos viros XII, 98.
Sublimis ab Hercule victo IX, 129. sublime gradibus templum XXI, 105.
Sublucere rubore XXI, 217.
Subnuba VI, 153.
Submissae manus XX, 78.
Submotae *leg.* submotis XIX, 15.
Subripienda titulis X, 130.
Subsequor IV, 40. XX, 131.
Substitit lingua XIII, 86. XV, 196.
Subtrahit vires XIV, 132.
Succedat epistola pomo XXI, 145.
Succeduo genu XIII, 24.
Succumbere precibus III, 91. — somno XII, 49. succubuit telis VIII, 38.
Sumere ferrum XVI, 371. sumat te Abydos XVIII, 127.
Summa tradita sceptro VII, 12. — prora V, 65. — criminis XIV, 80. — oscula XV, 101. — sagitta XVI, 275. summis aquis XIX, 168.
Sumtis decentior armis V, 35.
Super stabunt ossa X, 123. super stramen foenoque V, 15.
Superba hac dote V, 92. superbae formae XXI, 33.
Superare VII, 159. X, 147.
Supplex precari IV, 149.
Supponere IX, 18. XI, 40. XII, 126. XVII, 120.
Surdus ad munera VII, 27. surdior freto VIII, 9. surdis fluctibus convicia faciam XVIII, 27.
Surgere flamma XIII, 114.
Suspecto Ulixe XIX, 148. suspecta XX, 173.
Suspensi timoris XVI, 84.
Sustinere III, 142. V, 32, 52. VIII, 56. XVI, 182.
Susurro de te XIX, 19.
Suus eventus XII, 84. sui Pirithoi IV. 110. suis *leg.* meis XX, 76. — verbis XVII, 252. suo Marti XV, 92. suos annos VII, 161. suum Jovem VIII, 78. sua lumina I, 113. — verba lacrimae sequuntur XIV, 67.

T.

Tabe indigna perire XXI, 60.
Tacitus libellus XVII, 143. tacito pectore XXI, 201.
Taeda VII, 35. — pudica VI, 134.
Talenta III, 33.
Talis erit XX, 208. — fuit XXI, 10. tales inter res VI, 118.
Tam gelidus *al.* nam XVIII, 41.
Tamen XI, 1. XIX, 83.
Tandem II, 106.
Tangere castra I, 42. nec me regia tangit V, 81. te nomina tangunt VI, 113. tan-

gi exemplo XVI, 326. tetigit amor pectora XV, 169.
Tanquam XIX, 28.
Tanta (non) *al.* tanti IX, 10. vix tanti fuit I, 4. tantumne X, 89.
Tarda bos XVI, 56. tardos ire dies I, 8.
Tarde credimus II, 9.
Tauri mixta forma viri II, 7.
Tegeret catulos V, 18. tecto ab hoste XI, 44.
Telum II, 50. tela XIX, 49. — paterna XIV, 48.
Tela pendula I, 10.
Temerati lecti foedera V, 101. temeratis sacris XVII, 3.
Temerarius XIX, 87. temeraria VI, 21. XVII, 101.
Temperet ventos Aeolus X, 66.
Tempora pereant XVI, 312. XVII, 175. tempore abest IV, 109.
Tendere I, 35. tendat in ora faces XIV, 10.
Tenebris obortis XIII, 23. — abdere Solis equos VI, 86.
Tener pudor II, 143. — somnus XII, 170.
Tenet ventus vela concava VI, 66. — colla sub pede IX, 12. non tenuere caussam XVII, 244. XX, 92. tenuit cursus tuos II, 14. — coeptas vias VI, 126. hanc legem locus ille tenet XV, 171. teneant membra portus tuos XVIII, 198. — me venti XVIII, 203. teneri vento V, 49. tenuistis me inertem X, 111. tenenda arva dabit VII, 16. — colla dare XVIII, 164. — praeda XVI, 152.
Tenor fati VII, 113. — vitae XVII, 13.
Tentat pollice venam XX, 139. tentabimus aequora VII, 57.
Tenuabimus iram XX, 73.
Tenui aura XI, 75 — sono VII, 102.
Tepefecerat sanguine hastam I, 19.
Tepido noto XI, 76.
Ter IV, 7. XIV, 45.
Teris tempora longa VII, 142.
Testis XVII, 124.
Terrae minantur X, 94.
Texitur costis carina suis XVI, 110.
Texta illita veneno IX, 163. — picta rutis XXI, 70.
Thalamus III, 72. XIV, 31.
Thesea devovi II, 13.
Thracen armiferam II, 84.
Thybridas aquas VII, 145.
Tibi VIII, 8. XVII, 135. — debita conjux VII, 103. — sequendus II, 138.
Tibia effundit carmina XII, 139. tibiae nuptiales ibid.
Tigribus (in) capistratis sedet II, 80.
Timidum jurare coëgi VI, 29. timido ore XXI, 196. timide credentibus VI, 15.
Timor aequus XX, 166.
Tincta votivo sanguine Delos erit XX, 236.
Titulis II, 67, 68, 146. VI, 193, 194. in titulos meos crescite V, 24. titulum mortis habere VII, 76. XXI, 176.
Tollendi caussa IV, 124.
Tonat insana regia voce XI, 74.
Tonantes *al.* sonantes XIX, 81.
Tonantis germana IX, 7.
Tophus XV, 139.
Toris solidis IX, 60. — maritis II, 41. — non exhibitis XVII, 194. toro purpureo V, 88. toros pictos XII, 30. — legitimos V, 78. torum redde XII, 193.
Torpuerat lingua XI, 82.
Torquere stamina XIX, 37. torqueor ex aequo XX, 123. torquentem frenis ora equi IV, 46. torques hastile lacerto IV, 81.

Tortilis anus XVI, 252.
Toties rapta V, 132.
Totus orbis XVI, 373. toto corde XIX, 156.
Tota *leg.* tuta IX, 154.
Tractabile (sondum) mare XIX, 71.
Tradidit artes medicas V, 145.
Trahemus penna III, 75. X, 90. trahitur — palla XXI, 162. trahunt *leg.* vocant VI, 28, 51. trahebant fata XII, 36. traxit in tecta sua VIII, 10.
Trajectam gladio perire II, 140.
Tremor ossa concutit III, 82.
Tremulum jaculum IV, 48. — lumen XVIII, 59.
Trepido sinu XXI, 26.
Tributa petat Venus IV, 54.
Trinacriae aquae XII, 126.
Triplicis vultus *al.* triplices XII, 79.
Tripodas III, 32.
Triste nihil XVIII, 46. tristem opem fert succus XX, 184.
Tristitiä III, 90.
Tritonide pinu VI, 47.
Triumphus (unde) est VII, 154.
Trunca IX, 149.
Troasin invideo XIII, 137.
Tropaea IV, 66. IX, 104.
Tu VII, 131, 154. VIII, 50. — modo VII, 187. et tu *leg.* tuae XX, 155. tui cupido sinu XX, 48.
Tua I, 1. II, 1. V, 157. VII, 168. — munera III, 149. quis verbis adstringam in jura sacra. XVI, 320.
Tuba funerea XII, 140.
Tueri I, 108. VI, 54. XVII, 113.
Tulere vela ratem X, 4. tuli nubere V, 12. — obsequium VI, 18. tulisse arma VI, 34. tulit XVI, 263.
Tunc vero V, 71. XI, 91.
Tunicis VI, 27.
Tumere XI, 15. tumet Ida V, 138. tument bella VII, 121.
Tumidae irae XI, 15.
Tumulus V, 138.
Turba I, 88. V, 136. VIII, 12. XII, 10. XIV, 113.
Turbine VII, 66. XIX, 140.
Turicremis focis II, 18.
Turpis adultera XIII, 133. — amica V, 70.
Turpiter I, 93. XVI, 172. XX, 145.
Tute XX, 155.
Tutela navium II, 126. XVI, 112, 114.
Totus amor meus tibi est V, 89.
Tyranni XIV, 23.
Tyndareos VIII, 31.

U.

Ubi est II, 31. X, 58. — jacent IV, 150.
Udis in herbis VII, 1.
Ulixe I, 1.
Ulla parte *leg.* illa XX, 4.
Ulta se VIII, 120.
Ulterius nil habet ille mei XVII, 28.
Ultimus pudor I, 96. ultima Ponti XVIII, 157. — quid refero XIV, 109. — cornua II, 132. — dona VII, 192.
Ultrices rates V, 90.
Ululavit pronuba in thalamis II, 117. ululasse Nymphas VII, 95.
Unde IX, 54. XII, 84. XV, 4. XVI, 78.
Unguet artus positos X, 122.
Unus XIV, 73. XVII, 100. ab uno adjutus I, 43. unus et alter

XV, 182. una Naias XV, 162. una nemus XV, 160. unam jurabas usque etc. XV, 42.
Uror XV, 9. urimur igne XIX, 5. ure merentem VII, 86.
Usquam Phrygia *leg.* in Phrygia XVI, 141.
Usque I, 35, 83. VI, 108. XIII, 18. XVIII, 118.
Ut I, 116. III, 134. VII, 5. X, 65, 66. XIII, 89, 161. XVIII, 26. XX, 50, 52. utque latet VII, 147. ut vidi ut peril XII, 33. ut vidi ut gemui XIII, 89.
Uterque X, 57. — miscuimus lacrimas suas V, 46. utroque X, 19.
Uti VIII, 106. XVI, 310.

V.

Vacat fama crimine IV, 18. non vacat XX, 154. vacavi XII, 1.
Vacuis (de) elige. XX, 149.
Vada II, 16.
Vafer XX, 30. — non vafri simplicitate viri XVI, 314.
Vaga aqua X, 136. — fama XXI, 233. —
Vagitus XI, 71.
Vale IX, 165. XX, 242.
Validi lacerti IV, 81.
Vallatus radiis frontem IV, 159.
Vana nomina IV, 130.
Variis XV, 37. vario certamine XVI, 359.
Vastis aquis *leg.* castis XIX, 164.
Vates XV, 205.
Vectis hoc XIX, 163.
Vector XVIII, 148.
Vel III, 81. vel potius *leg.* sed potius XVII, 95. — non talis XX, 228. — si XIX, 15.
Vela carent ventis II, 26. — dare XV, 216. XVI, 120. — legere XV, 216. — negata II, 100. sequentia malos XVI, 111.
Velle XXI, 58. velim quaeras IV, 18. vellem detinuisset IV, 68.
Vellera alba VII, 100.
Venabula cornea IV, 83.
Venam salientem XX, 139.
Venerem maritam XVI, 283. Veneris furtum VI, 48. XVII, 141.
Venire V, 8, 57, 117. VI 106. — ad I, 13. venies XIII, 101. venio, venio VII, 103. venit V, 117. VI, 106. venias V, 57. veniant in mea colla XX, 58. veniant *leg.* veniunt IX, 29. venisset leto II, 59. XI, 22. venit a verbis querela XIII, 110. — in arbitrium V, 36. — ad sensus IX, 120. non veniunt in idem XVI, 121.
Ventus vela vocaret XIII, 9. vento a coelo pelagoque favente II, 19. ventis et undis II, 35. ventos audite vetantes XIII, 131. ventos habere VI, 62. ventis *al.* velis XVII, 204.
Ventosa aequora XVII, 5.
Venturi mihi doloris XIX, 107.
Vera vates V, 123. XVI, 278. — fide XVI, 42. non vera voluptas XIX, 65. veras Deas XVIII, 68.
Verax XVI, 278.
Verba damus XVI, 237. XVIII, 98. — perdere VII, 6. — dederunt verba XXI, 121. verbis tuis corripio XIX, 22. — ducere XIX, 12. verba orba viribus XXI, 142.
Verbera dare ponto XVIII, 2.
Vergiliae XVIII, 188.
Veritas V, 11.
Verrit torto pectore humum XII, 102.
Vertere V, 100. — in, ad VIII,

74. vertit in arma ibid. versa est in amplexus V, 100. versus amori XV, 169.
Versat pectora Deus XII, 211. verset navis aquas fatigatas XIII, 98. versate in pulvere cursus IV, 45.
Verus XVI, 278. — amator XVI, 244. verum V, 11.
Vexavit parcius VIII, 13.
Vexilla IV, 155.
Via prona XVIII, 121.
Vibrari XI, 77. vibrata lacerto hasta III, 125.
Victima planget humum XVI, 334.
Victorem pedem referre XVI, 88.
Videor XIX, 59.
Vidi ego III, 47. vidit IX, 57. XVIII, 70. viderit ista Deus XII, 211.
Viduus lectus I, 81. — torus V, 106. viduae manus I, 10. VIII, 86. IX, 35. X, 14.
Vigilant sensibus ora meis XV, 130. vigilantur noctes XII, 196. vigilantia numina XVIII, 31.
Vigor IV, 118. XVI, 51.
Vim attulit XVII, 21.
Vincere, vinci III, 85. — caussam XX, 92. — dignae XVI, 75. vince animos VII, 85. vincuntur ab aequore puppes XIX, 183. victa precor IV, 153. victam XIII, 61. victas manus dare IV, 14.
Vincula prorae solvéret XVIII, 11.
Vindice (sine) non] sum VIII, 7. vindicibus viribus IX, 13.
Violare IV, 9. XV, 79.
Violenta XX, 115. violente III, 61.
Vir V, 98. VI, 133. VIII, 29. XIV, 58. XX, 50.
Vires XIV, 132. XIX, 5. — pellere I, 109.
Virgo adultera VI, 133. virginis aequor XVIII, 117.
Viridi ave XV, 38.
Virtus XVII, 135. XIX, 88. — est XVII, 98.
Viscera I, 90. IV, 126. XI, 90.
Vita gravis VIII, 31.
Vitat carinas terra VII, 147.
Vitiati pondera ventris XI, 37.
Vittis XI, 68.
Viva saxa VI, 88.
Vivax, vivens XIII, 21.
Vive — parde XI, 60.
Vix XI, 80. XXI, 10. — denique XVI, 215.
Vocata serva in dominum torum III, 100. vocaret vela ventus XIII, 9.
Volat illa VI, 66. volant folia V, 110.
Volubile malum XX, 209.
Voluptas XII, 21.
Vota XVI, 280.
Vox III, 106. voce pia XVI, 118. vocibus nostris veniam petas XXI, 230.
Vulgat clamore pudorem XI, 79.
Vulnera XI, 79. vulnera facta VI, 40.
Vulneror XIX, 105. XXI, 38.
Vultu duro perlege XVI, 11.

Z.

Zona II, 116.

INDEX NOMINUM.

INDEX NOMINUM.

A.

Abila Arg. Ep. IX. §. 4.
Abydenus torus XIX, 100.
Abydos Arg. Ep. XVIII. §. 1.
Acastus Arg. Ep. XIII. §. 4.
Achaïa VIII, 13. XVI, 185.
Achelous Arg. Ep. IX. §. 4. et vs. 139.
Achilles Arg. Ep. III.
Achivi I, 21.
Acontius Arg. Ep. XX.
Actaeae rates II, 6. Actaei ignes XVIII, 42.
Actaeon XX, 103.
Actiacum aequor XV, 166.
Admetus V, 151.
Aeacides I, 35. Arg. Ep. III. §. 2. et vs. 87. VIII, 7.
Aeëtes Arg. Ep. VI. §. 6, 7. XVII, 251.
Aegides IV, 59.
Aegisthus Arg. Ep. VIII. §. 3 seq. et vs. 53.
Aegyptus Arg. Ep. XIV. §. 2. et vs. 24.
Aeneas Arg. Ep. VII.
Aeolia lyra XV, 200.
Aeolidos imago XI, 5.
Aeolus Arg. Ep. I. §. 6.
Aesculapius Arg. Ep. IV. §. 9.
Aeson Arg. Ep. VI. §. 4, 8.
Aesonia domus XII, 134.
Aesonides Arg. Ep. VII. §. 4. et vs. 25. XII, 16.
Aethra Arg. Ep. IV. §. 5. XVI, 257. XVII, 150.
Aethra Pittheis X, 131.
Aetna Typhois XV, 11.
Agamemnon Arg. Ep. I. §. 5. Ep. II. §. 1. et Ep. VIII. §. 3.

Agnus IX, 154.
Agrios IX, 153.
Ajax Arg. Ep. III. §. 5.
Alcaeus XV, 29.
Alcinous Arg. Ep. I. §. 8.
Alcides XVI, 263.
Alcimedes Arg. Ep. VI, §. 4. et vs. 105.
Alcyon, Alcyone XVIII, 81. — lucida XIX, 133.
Alecto II, 119.
Alexander Arg. Ep. V. §. 5.
Alymone nata XIX, 133.
Amazones II, 72.
Ambracias XV, 164.
Amyclaeus Castor-Pollux VIII, 71.
Amymone XIX, 131.
Amphitryon IX, 44.
Anactorie XV, 17.
Anchises Arg. Ep. VII. §. 5.
Androgeos Arg. Ep. IV. §. 3, 4. II, 70. X, 99.
Andromache VIII, 13.
Andromeda Cepheia XV, 55. XVIII, 151.
Anna VII, 191.
Antaeus Arg. Ep IX. §. 4.
Antenor V, 95.
Antinous I, 92.
Apollinis arcus VIII, 83.
Archelaus Arg. Ep. V. §. 4.
Arcton XVIII, 149.
Arctophylax XVIII, 188.
Argo Arg. Ep. VI. §. 4.
Argolici duces I, 25. Argolicae manus VIII, 74.
Argolides VI, 81.
Argos XIV, 34.
Ariadne Arg. Ep. IV. §. 3, 4. et Arg. Ep. X.
Ascanius VII, 77.
Astynome Arg. Ep. III. §. 3.
Astydamia IX, 60.
Atalanta IV, 99.
Athenaïtides aequora XVIII, 137.
Athenae doctae II, 83.
Atlas IX, 18. Atlantis nepos XVI, 69.
Atrax, Atracia XVII, 248.
Atreus Pelopeius VIII, 27.
Atrides minor III, 59. V, 101. XVI, 364.
Atropos XII, 5.
Auge IX, 49.
Aulis Arg. Ep. XIII. §. 1. seqq.
Aurora IV, 95. Aurorae conjux XVI, 199.

B.

Baccha X, 48.
Bacchus XV, 24. Bacchi conjux VI, 115.
Belides XIV, 75.
Belus Arg. Ep. VII, §. 1.
Biston, Bistonia II, 90.
Briseis Arg. Ep. III. §. 5.
Busiris IX, 69.

C.

Cacus Arg. Ep. IX. §. 4.
Calchas Arg. Ep. III. §. 3.
Calpe Arg. Ep. IX. §. 4.
Calypso Arg. Ep. I. §. 8.
Canace Arg. Ep. XI.
Cassandra V, 113.
Castor Amyclaeus VIII, 71.
Catreus Arg. Ep. IV. §. 3,
Cea Arg. Ep. XX. §. 1.
Cecropi terra X, 100.
Cecropii portus X, 125.
Celaeno XIX, 135.
Cenaeus Arg. Ep. IX. §. 5.
Centauri II, 71. XVII, 247.
Cephalus IV, 93. XV, 87.
Cerealis Eleusin IV, 67.
Cercola Arg. Ep. XV. §. 5.
Chalciope XVII, 232.
Charaxus XV, 63, 117.
Chlotho XII, 3.
Charybdis XIII, 125.
Chryses, Chryseis Arg. Ep. III. §. 3.
Chrysothemis III, 59.
Cinosura XVIII, 149.
Cinyra creatus IV, 97.
Cippheïa Andromede XV, 35.
Circe Arg. Ep. I. §. 7. XIX, 133.
Cleis Arg. Ep. XV. §. 3.
Clymena XVI, 257.
Clytemnestra Arg. Ep. VIII. §. 3. et vs. 77.
Colchi Arg. Ep. VI. §. 7. XVIII, 157.
Corona XVIII, 151.
Corcyra Arg. Ep. I. §. 8.
Coryciae nymphae XX, 221.
Creon Arg. Ep. IX. §. 4. XII, 25, 54.
Cressa puella Arg. Ep. IV. §. 3.
Cressia regna XVI, 299.
Crete IV, 163.
Creüsa Arg. Ep. VII. §. 5.
Cupido parvus XVI, 115.
Cydippe Arg. Ep. XX.
Cydno XV, 17.
Cynthia XVIII, 74.

D.

Daedalus Arg. Ep. X. §. 5. seqq. XVIII, 49.
Danai I, 3. VIII, 14.
Danaus Arg. Ep. XIV. §. 5. seqq.
Daphne XV, 25.
Dardanus XVII, 59.
Daulis, Daulias ales XV, 154.
Deïanira Arg. Ep. IX. XVI, 266.
Deiphobus XVI, 360.
Deipylus Arg. Ep. VI. §. 6.
Delia IV, 40.
Delos XX, 236. XXI, 82.
Demophoon Arg. Ep. II.
Deucalion Arg. Ep. IV. §. 3. XV, 167.
Dido Arg. Ep. VII. et vs. 7.
Dolon I, 39.
Dorica castra XVI, 370.
Dryades IV, 49.
Dulichium I, 87.

E.

Edonis Arg. Ep. II. §. 1. et vs. 1.
Electra III, 59.
Eleleïdes IV, 47.
Eleus carcer XVIII, 166.
Eleusinia II, 42.
Eleusis Arg. Ep. IV. §. 6. et vs. 67.
Elissa Arg. Ep. VII.
Endymion XV, 89 seq. XVIII, 63.
Ephyre bimaris XII, 27.
Erechtis XVI, 543.
Erichtho XV, 139.
Erichthonius XVII, 59.
Erinnys II, 130. VI, 45.
Erycina XV, 57.
Eumaeus Arg. Ep. I. §. 8.
Eumenides VII, 96.
Eunëus Arg. Ep. VI. §. 6.
Europe Arg. Ep. IV. §. 1.
Euryclea I, 103.
Eurymachus I, 92.
Eurystheus Arg. Ep. IX. §. 2.
Evenus Arg. Ep. IX. §. 4.

F.

Fauni bicornes IV, 49.
Faunus V, 138.

G.

Galli IV, 48.
Geryones IX, 92.
Glaucus XII, 123. XVIII, 160.
Gnosia humus IV, 68.
Gnosis XV, 25.
Gorge IX, 165.
Graecia magna XVI, 340.

H.

Hamadryades IV, 49.
Haemoniae orae VI, 23.
Hebrus II, 15, 114.
Hecuba Arg. Ep. V. §. 2.
Helena Arg. Ep. I. §. 2. Arg. Ep. V. et XVI. VIII, 77.
Helice XVIII, 149.
Helle Arg. Ep. VI. §. 4. XVIII, 137. Helles mater XIX, 123.
Hercules Arg. Ep. IX.
Hermione I, 59. Arg. Ep. VIII. §. 7.
Hero Arg. Ep. XVIII.
Hesione Arg. Ep. I. §. 1.
Hippodamia II, 71. VIII 70. XVI, 207, 264.
Hippolytus Arg. Ep. IV. §. 5.
Hippomenes XVI, 263. XXI, 123.
Hippotades XVIII, 46.
Hyllus IX, 44, 168.
Hymen VI, 44. IX, 134.
Hymenaeus II, 33.
Hymettus IV, 93.
Hypermnestra Arg. Ep. XIV.
Hypsipyle Arg. Ep. IV.

I.

Iärbas Gaetulus VII, 125.
Iäson Arg. Ep. VI. et XII.
Icarius Arg. Ep. I. §. 9. et vs. 81.
Icarus XVIII, 50.
Ida Arg. Ep. V. §. 4. et vs. 73.
Idaeus hospes VIII, 73. Arg. Ep. V. §. 5. XVI, 301.
Idyïa XII, 112.
Ilion VII, 151.

Ilioneus XVI, 360.
Ilus XVII, 59.
Inachiae rates XIII, 134.
Inachides XIV, 25.
Inachus XIV, 25, 89.
Inachi XIV, 105.
Ino Arg. Ep. VI. §. 4.
Iö XIV, 86. — prohibe V, 118.
Iolcos VI, 1.
Iole Arg. Ep. IX. §. 5.
Jovis insula VI, 163.
Iphiclus Arg. Ep. XII. §. 4.
Iphigenia III, 57. Arg. Ep. VIII. §. 6. et Ep. XIII. §. 1. seqq.
Ipsea parens XVII, 232.
Irus I, 95.
Ismarus, Ismarii equi I, 46.
Isthmon IV, 105.
Itone Arg. Ep. IV. §. 2.
Itys Ismarius XV, 154.
Julus Arg. Ep. VII. §. 5.
Juno pronuba II, 41. VI, 43.

L.

Lacaena V, 99.
Lachesis XII, 3.
Laërtes Arg. Ep. I. §. 8. et vs. 98.
Laödamia Arg. Ep. XIII. §. 4. seq. et vs. 70.
Laödice XIX, 135.
Laömedon XVII, 58.
Lapithae II, 71.
Latmus XV, 89.
Latois XXI, 153.
Leander Arg. Ep. XVIII.
Ledaea XIII, 61.
Leda Arg. Ep. V, §. 6. VIII, 78. XVII, 55.
Lernaea venena IX, 115.
Lemniadum facinus VI, 159.
Lesbos, Lesbides III, 56. XV, 200.
Leucate Arg. Ep. XV. §. 4.
Leucippidae XVI, 327.
Lichas Arg. Ep. IX. §. 5.
Lucifer XVIII, 112.
Lucina VI, 122. XI, 55.
Lydus Lamus IX, 54.
Lynceus Arg. Ep. XIV.
Lyrnessus Arg. Ep. III. §. 2.

M.

Macareus Arg. Ep. XI.
Macaria III, 35.
Maeander, Maeandros VII, 2. IX, 55.

Maenades IV, 47.
Maenalia Atalanta IV, 99.
Magnetis Argo XII, 9.
Maja XVI, 62.
Mars III, 88.
Maxitani, Maxyes VII, 120.
Medea Arg. Ep. VI et XII.
Medon I, 91. et Arg. Ep. V. §. 8.
Medusa XIX, 154.
Melanthius I, 95.
Meleager IX, 151.
Menelaus Arg. Ep. I. §. 1.
Menoetiades I, 16. III, 25.
Methymniades XV, 15.
Minoïa virgo XVII, 193.
Minoïs Arg. Ep. X. XVI, 547.
Minos Arg. Ep. X. §. 1. seq. et vs. 69.
Minotaurus II, 70. Arg. Ep. X. §. 5.
Minyae VI, 47. XII, 65.
Moly herba Arg. Ep. I. §. 7.
Mopsopia urbs VIII, 72.
Mnestheus Arg. Ep. II. §. 3. et Ep. VIII. §. 5.
Mygdonia humus XX, 106.
Mygdonium marmor XV, 142.
Myrtoae aquae XVI, 208.

N.

Naïas una XV, 162. Naïades IV, 49.
Napaïae IV, 49.
Naxus II, 71.
Neleïa arva I, 63.
Neoptolemus VIII, 82.
Nephele Arg. Ep. VI. §. 4.
Neptunia Pergama I, 67. III, 151. Neptunius heros IV, 109. XVII, 21.
Nereïdes V, 57.
Nereus IX, 14.
Nessus Arg. Ep. IX. §. 4. et vs. 141.
Nestor I, 37, 63.
Niobe XX, 105.
Nisiades XV, 54.
Nilus XIV, 107.
Nymphae VII, 95.

O.

Oebali nympha XVI, 126.
Oechalia Arg. Ep. IX. §. 5. et vs. 130.
Oeneus IX, 154.
Oenides III, 92. IV, 99.
Oenone Arg. Ep. V.

Oeta Arg. Ep. IX. §. 6.
Ogygius Deus X, 48.
Olenium pecus XVIII, 188.
Omphale IX, 53, 65.
Orestes Arg. Ep. VIII. et vs. 9, 115.
Ormeni nympha IX, 50.

P.

Pagasaeus Iäson XVI, 345.
Palaemon XVIII, 159.
Pan IV, 49. Panes IV, 171.
Paris Arg. Ep. I. §. 1. et Ep. V. et XVI.
Parrhasis ursa XVIII, 152.
Partheniae valles IX, 49.
Pasiphae Arg. Ep. IV. §. 3. Ep. X. §. 1. et IV, 54.
Patroclus Arg. Ep. III. §. 4.
Pegasides XV, 27.
Pegasis Oenone Arg. Ep. V. §. 8. et vs. 3.
Pelasgi IX, 3. — juvenes XII, 29.
Pelasgia III, 55.
Pelasgiades IX, 3.
Peleus Arg. Ep. I. §. 3.
Pelias Arg. Ep. VI. §. 4, 5. — hasta III, 126.
Pelides Arg. Ep. III. §. 2. VIII, 83.
Pelopeïus Atreus VIII, 27.
Pelops VIII, 47. — Tantalides XVII, 54.
Penates III, 67. VII, 77.
Penelope Arg. Ep. I. §. 9 seq. et vs. 84.
Penelopaëa fides Arg. Ep. I. §. 9.
Penthesilea XXI, 118.
Pergama I, 51. VII, 145.
Persephone XXI, 46.
Perseus XVIII, 153.
Phaedra Arg. Ep. IV. §. 3, 6 seqq.
Phaon Arg. Ep. XV.
Phasiaca aqua XII, 10.
Phasias VI, 103.
Phemius Arg. Ep. I. §. 8.
Pheraeae vaccae V, 151.
Phereclus, Phereclea puppis XVI, 22.
Philoctetes Arg. Ep. IX. §. 6.
Philomela XV, 153.
Phoebe VIII, 77.
Phoebus adspicit XVI, 165. Phoebi moenia I, 67.
Phoenix Arg. Ep. III. §. 5.
Phrygia fraude VII, 68.
Phrygiae gentis XVII, 57.
Phrygio sanguine I, 54.

Phryxea ovis VI, 101.
Phryxus Arg. Ep. VI. §. 4. XVIII, 143. XIX, 163.
Phthias VII, 165.
Phthii remi III, 65.
Phylaceïdes XIII, 35.
Phyllis Arg. Ep. II.
Pirithous II, 72. IV, 110.
Pisander I, 91.
Pittheïa regna IV, 107.
Pittheis Aethra X, 131.
Pittheus Arg. Ep. IV. §. 5.
Pleïones nepos XVI, 62.
Plias XVI, 173. XVIII, 188.
Pollux Amyclaeus VIII, 71. XVI, 527.
Polybus I, 91.
Polydamas V, 94.
Polyphemus Arg. Ep. I. §. 6. XIX, 148.
Ponti ultima XVIII, 157.
Priamus XVII, 59.
Priamides V, 11.
Procne XV, 153.
Procrustes II, 69.
Protesilaus Arg. Ep. XIII. §. 4 seqq.
Pygmalion Arg. Ep. VII. et vs. 127.
Pylades Arg. Ep. VIII. §. 3 seqq.
Pylus I, 37, 60.
Pyrrha Arg. Ep. IV. §. 3. XV, 167.
Pyrrhiades XV, 15.
Pyrrhus Arg. Ep. VIII, §. 7. — Achillides VIII, 5.

R.

Rhesus I, 59.
Rhodope XV, 63.
Rhodope glacialis II, 115.
Rhodopeïa Phyllis II, 1.

S.

Samos I, 87.
Sappho Arg. Ep. XV.
Satyri IV, 49, 171.
Schoeneis XVI, 263. XXI, 123.
Scylla rapax XII, 123.
Scyria membra VIII, 112.
Scyron II, 69.
Scythia uda VI, 107.
Sestos Arg. Ep. XVIII. §. 1.
Sichaeus Arg. Ep. VII. et

vs. 97. — sacratus VII, 99.
Sicelides XV, 51.
Sigeum litus XVI, 21.
Simois I, 33. VII, 145.
Sinis II, 70.
Sisyphias XII, 204.
Sithonis unda II, 6.
Sithonius Aquilo XI, 13.
Sparte I, 65.
Sthenelus Arg. Ep. IX. §. 2.
Stygia unda XVI, 209.
Symplegades XII, 121.

T.

Taenaris VIII, 72. XVII, 6.
Tanais VI, 107.
Tantalidae Tantalis uxor VIII, 122.
Tantalides VIII, 45, 66. XVII, 54. Tantalidae Pelopis XIII, 54.
Telamon Arg. Ep. I. §. 1.
Telemachus I, 98.
Tereus XV, 153.
Tethys IV, 49.
Teucer XX, 69. Teucri frater III, 130.
Teuthras, Teuthrantia turba IX, 51.
Thebae domitae II, 71.
Therapnaeum rus XVI, 196.
Theseus Arg. Ep. IV. §. 7. Arg. Ep. X. VI, 151. II, 13. 72.
Thesides IV, 65.
Thetis Arg. Ep. I. §. 3. Ep. VII. §. 2, 6. vs. 133. XX, 60.
Thoas Arg. Ep. VI. §. 1, 2, 5.
Thoantias VI, 165.
Thracen armiferam II, 84.
Threïcia lyra III, 118.
Threïcii portus II, 108.
Thressa puella XIX, 100.
Thyades IV, 47.
Thybridae undae VII, 145.
Tiphys VI, 48.
Tisiphone II, 117.
Titan VIII, 105.
Tithonus IV, 96.
Tlepolemus I, 19.
Tomos VI, 129.
Trachyn IX, 43.
Trinacriae aquae XII, 126.
Triton VII, 60.
Tritonis pinus VI, 47.
Troäsin XIII, 157.
Troezen Arg. Ep. IV. §. 5 et vs. 107.
Troja I, 3.
Tros XVII, 59.

Tydeus IX, 155.
Tyndareus V, 91. Arg. Ep. VIII. §. 7. et vs. 31. XVII, 54, 250.
Tyndaris Arg. Ep. V. §. 6.
Typhois Aetna XV, 11.
Tyria urbs VII, 151.
Tyro XIX, 132.

U.

Ulixes Arg. Ep. I. §. 5. seqq. XIX, 148.

V.

Venus marita XVI, 283.
Vergiliae XVIII, 188.

X.

Xanthus V, 50.

Z.

Zacynthos I, 87.

ERRATA.

Pag.	33	*in notis*	Lennep *leg.* van Lennep.
,,	44	,, ,,	easque *leg.* eosque.
,,	52	,, ,,	Pornubae *leg.* Pronubae.
,,	53	,, ,,	aptamque *leg.* aptumque.
,,	58	*in argum.*	Patrocles *leg.* Patroclus.
,,	62	*in notis*	Ep. III. vs. 18. *leg.* Ep. VI. vs. 17.
,,	65	,, ,,	interrogat *leg.* interroget.
,,	68	*in textu*	placent. *leg.* placent,
,,	70	*in notis*	praetantiae *leg.* praestantiae.
,,	73	,, ,,	execrationibus *leg.* exsecrationibus.
,,	77	,, ,,	malignos *leg.* malignus.
,,	,,	,, ,,	Achillis *leg.* Achilles.
,,	85	,, ,,	quatenu *leg.* quatenus.
,,	86	,, ,,	neque *leg.* meque.
,,	92	*in textu*	versate *leg.* versare.
,,	99	*in notis*	Lers *leg.* Loers.
,,	113	*in argum.*	ἀλαζὼν *leg.* ἀλαζών.
,,	119	*in notis*	eundum *leg.* eundem.
,,	122	,, ,,	consentiebant omnes *leg.* consentiebant.
,,	127	,, ,,	multa *leg.* multo.
,,	128	,, ,,	vs. 9. *leg.* v. c.
,,	133	,, ,,	teronum *leg.* tironum.
,,	145	*in argum.*	Aeätae *leg.* Aeëtae.
,,	151	*in notis*	iquit *leg.* inquit.
,,	176	,, ,,	easdem *leg.* eaedem.
,,	182	*in textu*	eredis *leg.* credis.
,,	183	*in notis*	Cythera *leg.* Cytheram.
,,	200	,, ,,	ambago *leg.* ambages.
,,	211	,, ,,	vs. 3. Ep. *leg.* vs. 35. Ep. I.
,,	215	,, ,,	eodem *leg.* eadem.
,,	225	,, ,,	Neoptolemo *leg.* Neoptolemi.
,,	228	*in textu*	eessit *leg.* cessit.
,,	229	*in notis*	adjective *leg.* adverbialiter.
,,	233	*in argum.*	Philoctes *leg.* Philoctetes.
,,	244	*in notis*	pressum *leg.* pressam.
,,	251	,, ,,	Deïuira *leg.* Deïanira.

Pag. 252 *in notis* auris *leg.* auribus.
„ „ „ „ adceptis *leg.* adceptus.
„ 259 *in argum.* ludrico *leg.* ludicro.
„ 260 „ „ quaerelas *leg.* querelas.
„ 268 *in notis* arte *leg.* parte.
„ 270 „ „ quo *leg.* cui.
„ 274 „ „ consules *leg.* consulas.
„ 277 „ „ perdita *leg.* prodita.
„ 278 „ „ quaerentis *leg.* querentis.
„ 284 „ „ conspurcatus, inquinatus *leg.* conspurcatus.
„ 287 „ „ plenus *leg.* plena.
„ 288 „ „ L. II. El. 2. *leg.* Act. II. sc. 2.
„ 295 *in textu* judicio *leg.* indicio.
„ 296 *in notis* dilaniat *leg.* dilaniet.
„ 299 „ „ mearitas *leg.* maritus.
„ 311 *in textu* diserit *leg.* deserit.
„ 314 *in notis* quo cum *leg.* quo.
„ 324 „ „ causa *leg.* causam.
„ 325 „ „ compositus *leg.* compositis.
„ 334 *in argum.* suas — gestas *leg.* sua — gesta.
„ „ *in notis* quaeritur *leg.* queritur.
„ „ „ „ certare *leg.* certamine.
„ 351 *in textu* suo *leg.* nos.
„ 360 *in notis* repetito *leg.* repetitio.
„ „ „ „ incutiunt *leg.* incutit.
„ 365 „ „ perentis *leg.* parentis.
„ 366 *in textu* Tt *leg.* Et.
„ 372 *in notis* quidem *leg.* quidam.
„ 375 „ „ dicitur *leg.* dicuntur.
„ 383 „ „ raperes *leg.* raperet.
„ 388 „ „ perditae *leg.* perdite.
„ 389 „ „ Erichto *leg.* Erichtho.
„ 403 „ „ vs. 59. Cf. *leg.* Cf. vs. 59.
„ 406 „ „ feruntur *leg.* feriuntur.
„ 407 „ „ Gregorg. *leg.* Georg.
„ 429 „ „ nequeant *leg.* nequeat.
„ „ „ „ effectus *leg.* effectus.
„ 443 „ „ Hypollage *leg.* Hypallage.
„ „ „ „ Sabinum *leg.* Sabino.
„ 452 „ „ autem *leg* enim.
„ 483 „ „ haetenus *leg.* hactenus.
„ 495 „ „ Cynthia *leg.* Cynthiam.
„ „ „ „ dictum *leg.* dictam.

Pag.	499	*in textu*	quaerimur *leg.* querimur.
,,	500	*in notis*	minitu *leg.* monitu.
,,	516	*in textu*	icubi *leg.* Sicubi.
,,	,,	*in notis*	etamina *leg.* stamina.
,,	535	*in argum.*	advectas *leg.* advectam.
,,	536	*in notis*	adusmendum *leg.* adsumendum.
,,	542	,, ,,	Rem. Aen. *leg.* Rem. Am.
,,	553	,, ,,	deponerant *leg.* desponderant.
,,	555	,, ,,	sc. 9. *leg.* sat. 9.
,,	557	,, ,,	Padalirius *leg.* Podalirius.
,,	582	,, ,,	Ago *leg.* Age.
,,	587	,, ,,	neseio *leg.* nescio.
,,	588	,, ,,	st *leg.* si.
,,	614	*in indice*	Nec — mira *leg.* Nec — mora.
,,	615	,, ,, ,,	lacrymas *leg.* lacrimas.
,,	616	,, ,, ,,	opposita fores *leg.* oppositas fores.
,,	,,	,, ,, ,,	ornavit sc annis *leg.* — armis.
,,	623	,, ,, ,,	Sollio *leg.* Solio.



THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

STALL-STUDY
CANCELLED